756514

pro Ex. Seminarii

398

DUPLUM VENDITUM
Duplum 2461.

METAPHYSICA,

SEU

GNOSEOLOGIA,

QUAM SCRIPSIT

JOSEPHUS VERNER,

AA. LL. et Philosophiae Doctor, in R. Scient. Universitate Pestiensi Logicae, Metaphysicae, et Philosophiae Moralis Professor P. O. Societatis Eruditae Mineralogicae Jenensis Membrum Honorarium, nec non Incl. Comitatus Jaurinensis, ac Sed. Praed. Nobilium de Füss et Bácsa Tab. Jud. Assessor.

PARS SECUNDA.

PESTINI. 1835.
TYPIS J. M. TRATTNER-KÁROLYIANIS.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

METAPHYSICAE

PARS SECUNDA.

METAPHYSICA APPLICATA.

Conspectus.

PARS II. Introductio . . . . §. 1.
SECTIO I. Metaphysica inferior §. 2 — 23.
Cap. I. Stoichoiologia metaphysica . . . . . §. 3.
Cap. II. Somatologia metaphysica . . . . . §. 4 — 23.
Membr. I. Hylologia metaphysica . . . . §. 5 — 16.
Membr. II. Organologia metaphysica . . . . §. 17 — 23.
SECTIO II. Metaphysica superior . . . . . §. 24 — 149.
Introductio . . . . . §. 24.
Cap. I. Cosmologia metaphysica . . . . . §. 25 — 56.
Membrum I. De notione mundi ejusque realitate §. 26 — 28.
Membr. II. De origine mundi §. 29 — 31.
Membr. III. De nexu cosmico §. 32 — 41.
Membr. IV. De perfectione mundi . . . . §. 42 — 45.
Membr. V. De natura ejusque legibus . . . . §. 46 — 56.
Cap. II. Psychologia metaphysica, seu rationalis §. 57 — 111.
Membr. I. De animae humanae simplici et immateriali substantialitate . . . . . §. 58 — 67.
Membr. II. De animae humanae immortalitate . §. 68 — 82.

Membr. III. De animae humanae libertate . . §. 83 — 92.
Membr. IV. De commercio animae cum corpore §. 93 — 99.
Membr. V. De origine animae, idearumque humanarum . . . . . §. 100 — 105.
Appendix. De animabus brutorum . . . . . §. 106 — 111.
Cap. III. Theologia metaphysica seu Theologia rationalis. . . . . §. 112 — 149.
Introductio . . . . . §. 112.
Membr. I. De existentia Dei §. 113 — 122.
Art. I. De argumentis existentiam Dei probantibus . . . . . §. 114 — 121.
Art. II. De execrandis Atheismi effectibus . §. 122.
Membr. II. De attributis Dei §. 123 — 135.
Membr. III. De operationibus Dei . . . . §. 136 — 149.
Art. I. De creatione . §. 137 — 138.
Art. II. De providentia DEI . . . . . §. 139 — 149.

INTRODUCTIO.

§. 1.

Metaphysica applicata conceptus metaphysicos, atque decreta in relatione ad objecta determinata expendit. Cum vero omnia objecta, vel in spatio et tempore, sensualiterque perceptibilia, proinde materialia, seu corpora sint; vel in spatio et tempore, sensibusque nequaquam cognoscibilia, proinde suprasensualia, seu cogitabilia sint, patet, Metaphysicam applicatam necessario in duas partes, puta: sensualium et suprasensualium objectorum distribuendam esse; illam inferiorem, hanc superiorem, seu sublimiorem, recte vocabis.

Scholion. Denominatio Metaphysicae inferioris, et sublimioris non ad totam Metaphysicam, verum ad partem duntaxat ejus applicatam referri debet. Metaphysica pura, alias Ontologia dicta, discrimen positum ideo non recipit, quia ad objecta universim refertur: quod tum demum locum habere potest, cum conceptus decretaque Metaphysicae ad certa objecta, puta: sensibilia et suprasensibilia applicantur; objecta enim suprasensibilia ratio necessario ut altiora considerare debet, eo, quod illam in consideratione eorundem supra sensibilem perceptionum sphaeram attolli necesse sit.

SECTIO I.

Metaphysica inferior.

§. 2.

Metaphysica inferior, materiae, et corporum, quae ex ea exurgunt, seu objectorum,

quae sub sensus externos cadunt, mutationumque, quas in iis percipere licet, consideratione occupatur; et cum quodvis corpus quibusdam absolutis elementis, eorumque cohaesione constet, hinc duplex ejusdem doctrina enascitur: nimirum de absolutis corporum elementis, seu stoichoiologia; et ea de corpore metaphysice considerato, seu somatologia metaphysica. Ens corporeum quodcunque, tamquam aliquid impenetrabiliter extensum et mobile in spatio, requirit aliquid intimum, absolutum, tamquam actuosa constitutiva, quorum actione illae proprietates existant. Haec intima constitutiva sunt absoluta elementa, seu primigenia initia, et actuosa principia omnis concretionis corporeae, constituuntque corporum primitivam essentiam. Quare stoichoiologia metaphysica, somatologiam metaphysicam praecedere omnino debet.

Scholion. De essentia materiae, et modo, quo ea in nos agit, diversa jam olim inter Philosophos regnabat opinio. Antiquissimis temporibus materiae vires, illis animae similes, inesse defendebatur, medio quarum materiae partes suam in nos exserant activitatem. Leucippus, et Democritus, qui tales vires materiae inesse negabant, spatium vacuum, et atomos statuerunt, et ex his universam naturam viventem per externam virium efficientiam explicare nitebantur, sicque celebrati systematis atomistici fundamenta jecerunt. Recentioribus temporibus Cartesius, id quod est materiale, ab eo, quod simplex est et spirituale, distinguens, essentiam materiae in sola extensione consistere propugnabat. Cum omnia, quae existunt, in duas classes entium, materialium utpote et spiritualium distribuerit, theoria illius nomine Dualismi insignita est. Secundum hanc, materia non est simplex, sed composita ex partibus, quae reapse indivisibiles, mente tamen adhuc divisibiles et extensae sint. Neutonus metaphysicis scrutationibus minus deditus, id solum asserit, se materiam, ut minimarum partium agglomerationem considerare, quae iterum materiales et extensae sint, et nonnisi per ignotam quamdam vim arctissime inter se cohaereant. Neutonum itaque pariter Atomistis recte accensueris. — Dualismus Cartesii ob suam entis spiritualis cum materiali connexionem magnis Metaphysicos involvit difficultatibus, causaque plurium systematum metaphysicorum exstitit. Inter

haec celeberrimum est Idealistarum, seu Idealismus, vi cujus omnis prorsus materiae existentia negatur. In conformitate hujus systematis omnes nostrae de materia repraesentationes nil aliud sunt, quam ideae, vel repraesentationes per ipsum Deum in anima humana efformatae. Malebranche opinione hac Cartesii ultra justos limites provecta, nos in Deo omnia videre asseruit, id insuper adjiciens, nos per fidem ipsam provocari ad negandam omnium aliorum entium praeter Dei et Spirituum existentiam. Materiae in Spiritum nostrum influxum solius Dei efficientiae attribuit. Spinoza et Hume in Idealismo ulterius adhuc progressi sunt. Prior admittit unicam saltem substantiam, eam esse dicit infinitae extensionis et cogitationis, reliqua vero entia nihil aliud esse, quam meras modificationes hujus unius substantiae. Hume nullas, seu substantias, seu subjecta, aut alia quaepiam per se subsistentia entia dari, verum omnia entia, tam spiritualia, quam materialia, nil nisi seriem praetereuntium phaenomenorum esse defendit. — Idealismo universalis Materialismus opponitur, omne quod extra nos est, ipsam quoque animam materialem esse statuens. Materialismus hic jam antiquitus a nonnullis Philosophis propugnabatur. Leibnitz videns, quam difficulter impressionem, quam materia in nos exserit, ex Dualismo, Idealismo, et Materialismo explicare liceat, novam excogitavit theoriam, doctrinam videlicet de Monadibus inferius a nobis proponendam. Opinioni Professoris Boscowich conformiter, materia ex physicis punctis duntaxat, quae in certis distantiis viribus repulsivis et attractivis praeditae sint, constat. Hanc opinionem Pristley magis adhuc excoluit. Huic materia nil aliud est, quam attractio et repulsio ad certa mathematica puncta in spatio relata. Hanc commode ex nobiliori quadam materia explicari posse censebat, quae viribus solum constet, et non obstante sua materialitate, facultate etiam cogitandi et sentiendi gaudeat. De Luc e contra asserit, vim unice ad aliquod mathematicum punctum in spatio relatam, esse vocabulum omni sensu destitutum, et in attractione et repulsione nequaquam etiam facultatem cogitandi et sentiendi contineri posse. Plures adhuc opiniones de natura et essentia materiae adferri possent, at jam ex his abunde elucet, nostras cognitiones in hoc puncto limitibus constrictas esse, quas hucusque nulli mortalium praetergredi concessum fuerat, nec ut puto, in hoc quo versamur statu praetergredi unquam concedetur. Mea opinione mens in rite intellecto Dualismo conquiescere potest, etiamsi limites inter spiritum et materiam intercedentes determinare nequeamus. Quod autem materiam ipsam adtinet, opinio Kantii, vi cujus essentia ejusdem in attractivis et repulsivis viribus consistit, experimentis hucusque circa eandem institutis, maxime conformis nonnullis esse videtur.

CAPUT I.

Stoicheologia metaphysica.

§. 3.

Elementa corporum appellamus prima illa corporum initia, e quibus ea ultimo coalescunt, et ad quae in eorum resolutione cogitando denique devenimus, in quibus praeterea ratio eorum continetur, quae in corporibus notantur. Quae nobis de his sententia est, eandem sequentibus propositionibus sub unum conspectum ponimus. I. Omnis substantia vi activa praedita est. Deum certe, mentes item humanas vi activa praeditas esse in confesso est; quis enim intimo sensu non convincitur se volitionum suarum cogitationumque caussam vere ac proprie efficientem esse? Quod si vero de substantiis paulo ante nominatis id certum est, quid obstat, quominus omnibus universim substantiis vis ista activa tribuatur. Aliud quidem certe assignari nequit, quo substantia ab eo, quod substantia non est, recte distinguatur. Ita certe substantiam viventem nonnisi actiones vitales, substantiam vegetantem actiones, (si ita loqui licet) vegetativae nobis manifestant. II. Corpora vi activa praedita sunt. Videmus enim corpora motioni suae ita resistere, ut vis, quae sufficiens foret massae determinatae loco emovendae, massam certa ratione auctam, e quiete ad motum transferre nequeat, inque hac massarum emotione ex vi impellentis partem quampiam semper destrui. Videmus etiam corpora in motu constituta motum coeptum tanto majore intervallo prosequi, quo minora sunt motus obsta-

cula. Corpus item in motu constitutum, alterum in quod impingit, ad motum determinat. Hoc porro omnia vis cujusdam activae argumenta esse, in dubium vocari haud potest. III. Vis corporum activa alia non est, quam vis motrix. Nam 1. quae numero praecedente recensuimus phaenomena, manifeste indicant, actionem corporum, vel productione, vel destructione motus definiri. 2. Quaecunque corpori accidunt mutationes, aliud non sunt, quam motiones variae, ut notum est, vis ergo eosdem efficiens vis motrix est. 3. Proprietates corporum omnes, et qualitates, per motiones varias, vel conatus ad eosdem exponi possunt, ut ex Physica patet. 4. Virium nobis cognitarum duo tantum sunt genera: vis nempe cogitandi, et vis movendi. Vim porro cogitandi, quae essentialis substantiarum spiritualium character est, substantiis materialibus convenire non posse, in aperto est; superest igitur una vis movendi, sive vis motrix, quae substantiis materialibus tribui possit. — IV. Corpora sunt entia composita. Sunt enim extensa et divisibilia: entia igitur composita sunt. V. In resolutione entis compositi, deveniri tandem debet ad entia simplicia. Quodsi enim ens compositum resolvatur in partes quamcunque stupendae subtilitatis, quamdiu partes illae compositae erunt, ulterius quaestio redibit, quibusnam ex partibus ea coalescant; ratio igitur entis compositi in partibus illis quantumvis exiguis haud continebitur, sed deveniri tandem debebit ad entia simplicia, in quorum varia conjugatione ratio entis compositi inveniatur. VI. In resolutione corporum ad entia simplicia tandem deveniri debet. Sunt enim corpora entia composita: at vero in

compositorum resolutione ad entia simplicia deveniri debet, ergo etiam in resolutione corporum. VII. In ente composito nihil est verae activitatis. Essentiâ entis compositi consistit in modo, quo partes, ex quibus ens compositum exurgit, uniuntur; sed in nullo modo est quidpiam verae activitatis: ergo etiam in essentia entis compositi, ac proinde in ente ipso composito nihil verae activitatis deprehendi poterit. VIII. Quidquid in corporibus activitatis est, tribui debet entibus illis simplicibus, ex quibus ea coalescunt. Corpora enim entia composita sunt; quoniam vero in ente composito nihil verae activitatis deprehenditur, activitas corporum entibus illis simplicibus tribuenda est, ex quibus corpora coalescunt. IX. Principia corporum sunt substantiae simplices vi motrice praeditae. Corpora enim ultimo resolvuntur in entia simplicia, quae, cum entia activa sint, substantiae sunt, et quidquid in corporibus activitatis est, substantiis illis simplicibus tribui debet, activitas quoque corporum vi motrice definitur: his igitur substantiis vis motrix tribuenda est. Corpora igitur resolvuntur ultimo in substantias simplices vi motrice praeditas; hae proinde illorum principia, seu elementa sunt. — Quoniam praeterea omnia ea, quae in corporibus notantur, per motiones varias exponi possunt; sequitur, in substantiis his simplicibus vi motrice praeditis eorum omnium rationem contineri, quae corporibus insunt, id quod superius ad elementi, seu principii notionem pertinere diximus.

Scholion I. Substantias has simplices, ex quibus corpora omnia coalescere asserimus, P. Boscowich puncta indivisibilia ac inextensa appellat, quae a mathematicis, aut zenonicis punctis, ex quibus corpora omnia com-

poni veterum quidam existimarunt, vi activa, quam illis tribuendam diximus, discrepant, solamque simplicitatem cum illis communem habent. Porro sententia haec nostra de elementis corporum cum Leibnitzii monadibus in eo convenit, quod elementa corporum ponamus substantias simplices, quales sunt Leibnitzii monades. Vires activae, quas iis tribuimus ad mentem Neutoni sunt. Rationem, qua puncta haec vim suam motricem exerunt, ex phaenomenis eruit P. Boscowich, et ad unam simplicem naturae legem, quam is legem virium appellat, redegit.

Schol. 2. *Objiciunt*: 1-mo Ratiocinandum est ex ideis, quas habemus; sed ideas punctorum indivisibilium et inextensorum nullas habemus: ergo puncta ejusmodi pro corporum elementis habenda non sunt. ℟. Con. Maj. N. min. Habemus enim ideam entis compositi, in quo idea entis simplicis quoque continetur. Verum quidem est, quod vi imaginandi ejusmodi punctorum repraesentationem efformare nobis haud possimus; sed quanta sunt in natura universa, quae nostras imaginandi vires exsuperant! quis quaeso hac imaginandi vi repraesentationem sibi efformet minimorum illorum corpusculorum lucis, quorum myriades per foramellum acu in charta efformatum transeunt, seque intersecant, quin in se impingentia, directiones, ac celeritates suas immutent? satis est, si vi intelligendi ideam punctorum ejusmodi efformare nobis concessum sit. Ulteriorem hujus objectionis diluitionem, horumque punctorum indivisibilium et inextensorum naturae expositionem legere potes in Bosc. virium theoria N. 132. *Obj.* 2-do Si elementa corporum absoluta darentur, in illis ratio sufficiens ultima, et caussa absoluta existentiae, proprietatum et virium corporis continerentur, essent ergo entia necessaria, atqui hoc est absurdum, ergo. ℟. N. M. Dum elementa corporum absoluta defendimus, non intelligimus per ipsa rationem sufficientem ultimam existentiae, proprietatum et virium corporis; cum enim etiam elementa absolute ultima sint entia contingentia, rationem sui sufficientem ultimam in Deo, ceu caussa absoluta universorum habere, jam vel ex Ontologia scimus: sed intelligimus subjecta absoluta, et conditiones, principia ultima omnis compositionis corporeae, seu materialis, recte eo sensu, quo animam humanam dicimus esse subjectum absolutum omnium suarum activitatum, quin ideo atheismi, aut irreligiositatis nos accusare liceat. *Obj.* 3-tio. Si corporum elementa essent simplicia, tunc corpus idem, et simplex, et compositum esset, atqui hoc fieri non potest, ergo. ℟. N. M. Tametsi ens compositum et simplex opposita sint, adeoque idem ens simul compositum, et simplex esse non possit, nihil tamen obstat, quominus e pluribus simplicibus inter se cohaerentibus unum compositum consurgat, id quod innumeris exemplis illustrari potest. Numerus ex unitatibus, quarum nulla seorsim numerum constituit, coalescit; globus

eburneus non est series, et tamen ex multis globis eburneis juxta se positis oritur series: ita quoque ex partibus, quae non sunt horologium, confit horologium; ex militibus, quorum quivis, nec exercitus est, nec sufficiens caedendo hosti, cõnflatur exercitus ad id praestandum sufficiens; sic denique omne totum consurgit ex talibus, quae ipsum non sunt. Igitur etiam e simplicibus inextensisque partibus potest oriri per unionem earundem compositum, quod extensum sit, dummodo extensum mathematice continuum non cogitetur; tale enim non existit in natura. *Obj.* 4-to Per simplicitatem elementorum tollitur essentiale inter corpus et animam discrimen ergo. R. N. A. Discrimen substantiale et absolutum semper manet inter corpus et animam, seu corpus dicatur e simplicibus constare, seu non; corpus enim semper erit substantia composita, anima contra substantia simplex: quod vero ad discrimen inter materiam, quae sit ens simplex, et spiritum attinet, illud in eo situm est, quod hic vi cogitandi polleat, illa autem eadem careat. *Obj.* 5-to Tanta corporum dissimilitudo ex elementis simplicibus adeoque perfecte similibus consurgere nequit, ergo. N. A. Tanta licet sit corporum dissimilitudo, ut nuspiam deprehendantur vel duo sibi perfecte similia: nihil tamen obstat, quominus eadem ex elementis perfecte similibus consurgere dicamus; magna enim illa varietas in corporibus inde provenit, quod diversa sit in ipsis proportio, numerus et modus consociationis elementorum: est igitur solum proprietas relativa ad aggregata corporum, et nostros sensus, quos singula materiae elementa tanta vi afficere non possunt, ut in anima sensationem sui excitent, nisi multa simul sint, et in molem majorem excrescant. Sic literae alphabeti nigricantes, non ductu atramenti continuo, sed e punctulis rotundis, et a se interstitiis, nonnisi per microscopium discernibilibus, remotis efformantur: quae punctula, quamvis sibi perfecte similia forent, attamen diversa proportione et modo combinata omnibus literis, et omnium idiomatum, quae extiterunt, aut existere possunt, vocibus formandis sufficerent.

Schol. 3. Diversissimas illas, quae inde a mundi exordio de principiis corporum apud Philosophos extitere opinationes ad scriptores historiae philosophicae exponere quidem pertinet, quam Deo favente suo tempore exhibebo; ne tamen interim omni, adminus celebratiorum in hoc puncto, systematum cognitione, scholares mei careant, Atomistici, Leibnitziani, Dynamici et Chymicorum systematis mentionem hic loci injicere placuit. Atomi apud veteres partes minimae, indivisibiles, attamen physicae, prima materiae stamina erant. Est autem atomus vox graeca ab α privativo et τέμνω seco, divido, proveniens. Graecis etiam audiebant σώματα ἀδιαίρετα, et Latinis corpora minima, atoma, corpuscula, corpora indivisibilia, insectilia,

puncta physica. Jam Moschus apud Phoenices; teste Possidonio apud Strabonem doctrinae de atomis habebat notitiam. Plures tamen eorum inventionem Leucippo adscribunt, de quo Laertius refert: primus hic atomos principia statuit. Docebat enim atomos corpuscula esse indivisibilia, ab aeterno existentia, viribus praedita, et per fortuitum confluxum mundum objectivum constituentia. Leucippum secutus est Democritus. — Cicero (de nat. Deor. l. 1. C. 42.) scribit de utriusque atomis sequentia: „*ista enim flagitia Democriti, sive etiam ante Leucippi, esse corpuscula quaedam laevia, alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quaedam et quasi aduncа: ex his effectum esse coelum, atque terram nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito.*“ Interea tamen — prout Epicurus docet — diversitas haec figurae in atomis essentiam horum corpusculorum plane non mutat; omnes enim habent unam eandemque naturam, attamen motum duplicem, naturalem et reflexum; motu naturali moventur propter gravitatem suam linea recta, a qua tamen modice deflectunt; motu vero reflexo se invicem attrahunt et repellunt. — Epicurum iterum sequutus est Lucretius (de rerum natura), et ex recentioribus Gassendus. Memoratu hic dignissimae sunt sequentes propositiones: 1. Materia primitiva est absolute impenetrabilis. 2. Est absolute homogenea. 3. Nexus corpusculorum simplicium est absolute invincibilis. 4. Inter corpuscula haec interstitia absoluta vacua dantur. Gassendus quidem (*vid. animadvers. in Diogonem Laertium, lib. X. et libr. physic.*) non omnia Epicuri theoremata adoptavit eg. atomos aeternas esse, a recta linea in motu aberrare; interim quoad essentialia praeceptoris sui mentem retinuit; pro vero enim habet: atomos in motu continuo constitutas esse, se invicem trudere, in gyros agi, attrahere et repellere, sicque materiam componere. Philosophiam hanc de atomis atomisticam, seu Philosophiam corpuscularem, Systema atomisticum vocare solent Auctores Philosophici. Theoriam hanc sequentia refellunt. 1. Superstruitur doctrinae absurdae de atomis aeternis, quam suo loco refutabimus. 2. Atomi, vel constant et partibus realibus, vel non; si illud: elementorum absolutorum nomen non merentur, neque ad explicandam primam originem corporum inserviunt, cum denuo reditura sit quaestio, unde ipsae conflentur; si hoc: non gaudebunt extensione, figura, magnitudine, quae tamen ipsis tribuuntur. Cui diversas antiquorum de atomis sententias penitus nosse libuerit, ille vel Werenfelsii meditationem de atomis, vel Cel. Walchii Lexicon philos. art. atomi evolvat.

Schol. 4. Entia simplicia, ex quibus, tamquam ex primis staminibus omnia entia composita constant, dicuntur a Leibnitzio Monades, et a Wolfio in Metaphysica Germanica Unitates, (Einheiten): Vox Monas, origine graeca,

indicat unum, et proprie usurpatur de unitate, in qua omnis numerus, quantuscunque etiam ille sit, tamquam in fonte suo et ultima origine, subsistit et terminatur. Hoc sensu vocabulum Monas jam a Pythagora fuisse adhibitum, dudum est eruditis notum. Leibnitzius ultima et prima corporum tamquam entium compositorum principia et elementa indicaturus, hanc vocem a veteribus mutuatus est, eandemque in scriptis suis identidem adhibuit. Idque non una adductus ratione Leibnitzius fecisse putandus est. Corpora putat Leibnitzius, nos nobis repraesentare debere, tamquam numerum maxime compositum, et ex multis constantem unitatibus. Atqui vero, quemadmodum omnis numerus ex unitatibus, tamquam partibus suis ultimis constat, omnisque numerus ultimato in unum resolvitur, ita corpora quoque tandem resolvi debere in prima sua, et ultima elementa, (quae idem sint, quod unum in numero) putat Leibnitzius. Hinc prima illa corporum elementa, vocat Monades, sive Unitates, et corpora ipsa vocat Monadata, sive aggregata ex multis monadibus. Num vero prima corporum stamina et elementa recte monades dixerit, nunc non definiam. Cl. Creilingius Professor Tubingensis, in principiis Philosophiae Leibnitzianae examinatis p. 4. dicit: „*Monadis nomine vix aliud aptius dari potest, prima et simplicissima rerum elementa in universum exprimens, neque obstat, quod Epiphanes auctor monadicae cognitionis, aliique haeretici eodem usi fuerint.*“ Dum prima illa corporum stamina et elementa a Leibnitzio vocantur monades, ipsa autem haec elementa ab ipso habentur pro entibus simplicibus, et revere etiam talia sunt, uti superius diximus, factum est, ut Leibnitzius omnia entia simplicia appellet monades. Monas itaque et ens simplex sunt ipsi synonima. Hinc, cum Deus ex omnium et Theologorum et Philosophorum sententia, sit ens simplex, imo vero ens simplicissimum, mirari noli, Leibnitzium Deum vocare Monadem. Quae appellatio quanto fuerit offendiculo iis, qui Leibnitzii mentem nec voluerunt, nec potuerunt capere, plus satis inter omnes constat. Quotquot vero Deum ens simplex esse putant, et Leibnitzio ens simplex et monada synonima esse norunt, non errasse Leibnitzium fatebuntur illi quidem, at veritatem ejusmodi inconvenienti exprimi vocabulo minus probabunt. Quia porro anima humana, brutorumque animae sunt entia simplicia, id quod in psychologia luculenter demonstrabitur, vides, quid sit, quod Leibnitzius animam hominum, aeque ac brutorum monades appellet. Elementa tamen et stamina prima corporum, quae entia simplicia esse demonstravimus, sunt in Leibnitziana Philosophia stricte sic dictae monades. Ex his intelligi nunc potest, cur Leibnitzius quatuor monadum constituat classes. In prima classe, ex ipsius sententia, collocatur Deus, qui ab ipso, ob simplicitatem, seu immaterialitatem suam, vocatur Monas, quique distinctissima omnium rerum cognitione gaudet. Ad alteram mo-

nadum classem refert Leibnitzius animas hominum rationales, quae non clara modo, sed distincta quoque rerum gaudent repraesentatione. Ad tertiam classem pertinent animae brutorum, quae claris quidem, sed confusis ideis sint instructae. Quartam denique et ultimam classem constituunt ultima et simplicissima corporum elementa, quae ut dixi, Leibnitzio sunt monades stricte sic dictae, quaeque ex Leibnitzii sententia, hoc universum sibi obscure repraesentant. Deum, a quo omnia, cum simplicia, tum composita, entia suam petunt originem, vocat Leibnitzius Monada originariam, primitivam, increatam: cetera entia simplicia, scilicet animam humanam, animas brutorum, elementa item corporum, vocat monades derivativas, quia a Deo, tamquam caussa efficiente suum ortum derivant. Speciatim illis monadibus, quae ad ultimam pertinent classem, quaeque ipsa sunt corporum elementa, Leibnitzius tribuit quaedam haud firmo nexa fundamento, quaeque, dici non potest, quam vehementer sint impugnata. Existimat nempe 1. has monades, sive entia simplicia, ex quibus entia composita constent, gaudere vi repraesentativa, atque ipsum hoc universum sibi repraesentare obscure. 2. Hinc illas vocat viva specula hujus universi. 3. Affirmat, in monadem creatam forinsecus, nec substantiam, nec accidens ingredi posse. Adeoque 4. existimat, omnes mutationes in monadibus creatis obvias, a principio interno et vi intrinseca proficisci. Hinc 5. appellat monades entelechia, propterea, quod in se habeant certam quamdam perfectionem, et detur quaedam in iis sufficientia, vi cujus sint actionum suarum internarum fontes, adeoque automata incorporea. (*Conf. Creiling. in disput. I. qua principia Phil. Leib. examinantur p.*) 14. Unde 6. concludit Leibnitzius, nullam monadem creatam, sive derivativam, physice influere posse in interius alterius monadis creatae, sive derivativae. 7. Opinatur, omnes monades creatas gaudere determinationibus et qualitatibus intrinsecis, quibus a se invicem distingui possint. 8. Nullam item monadem creatam in rerum universitate alteri monadi creatae per omnia similem existere autumat. 9. Affirmat, monades quae sunt corporum elementa, nullam quidem habere apperceptionem cum perceptione conjunctam, sed eam tamen perceptionem, licet sit obscura, et careat apperceptione, sive conscientia sui, perpetuo tendere ad novam perceptionem, adeoque gaudere illas monades appetitu. 10. Ut Leibnitzius, quales sint repraesentationes entium illorum simplicium, sive monadum, quae constituunt entia composita, luculentius ostendat, vocat statum perceptionum illarum, stuporem. Qualis status animae nostrae est, cum vel deliquio animi laboramus, vel somno profundo absque somnio oppressi sumus. Has positiones, quas, cum de monadibus ageret, in medium protulit Leibnitzius, reperies cum aliis pluribus, et in *monadologia ipsius* a doctissimo Henrico Koehlero.

Professore Jenensi, et in *Hanschii Principiis Philosophiae Leibnitzianae, more geometrico demonstratis. Francof. et Lips. edit.* 1728. 4to. — Leibnitzium sequitur in Monadologia Wolfius, sed ex parte tantum, et ita, ut in pluribus ab ipso faciat secessionem. Hinc perinique illi agunt, qui Wolfii dogmata aliis invisa reddituri, id omne omnino, quod Leibnitzius de monadibus tradidit, Wolfio tribuunt. Wolfius concedit quidem, omnia entia composita, et corpora omnia constare ex elementis, iisque non compositis, sed simplicibus, omnia quoque, quae de ente simplici a nobis dicta sunt, praedicari posse de corporum elementis affirmat, at iis simul tribui posse, vel mundi perceptionem, vel vim repraesentativam, id vere negat, et pernegat. *Conf. Metaph. Germ.* §. 599. *et* 199 *item* §. 898. 199. — Theoriae huic sequentia opponuntur: 1. In conceptu fundamentali substantialitatis errat; docet enim vir summe venerandus, essentiam substantiae in facultate repraesentandi sitam esse, et nullum ens, nisi ens repraesentans, substantiam esse, consequenter res materiales et corpora nequaquam pro substantiis haberi posse. 2. Apertum est, doctrinam hanc idealismum spirare, et ad absurda ducere. Secundum Leibnitzium enim omne compositum ex viribus repraesentantibus constat, sequitur ergo, objecta materialia nil nisi repraesentationes in monadibus esse, nullam itaque realitatem, habere. Meum igitur ego, utpote monas, distinctas habens repraesentationes, entia extra repraesentationes suas nulla agnoscit, mundus igitur ei nil nisi idea est. 3. Si verum est, monades species animarum esse, tunc omne ens compositum animabus constabit, ergo aggregatum animarum erit, quod absurdum est. 4. Si monades species animarum sunt, bruta et homines non unam, sed plures numerabunt animas, quod iterum absurdum est. 5. Si monades species animarum sunt, tunc omne ens compositum facultate repraesentandi gaudebit, quod materialismum redolet. 6. Si quaevis monas mundum integrum sibi repraesentat, sicut speculum objecta illi opposita repraesentat, necessario mundus integer in quamlibet monadem singulam aequali modo agere, in qualibet monade se quodvis individuum quasi depingere debet. Sed in monadem tantum illa entia perfecte agere possunt, quae ei proxima sunt. Ergo non potest quaevis monas omnia entia i. e. mundum integrum repraesentare, ergo etiam non speculum mundi totius esse. 7. Ego meum est monas. Est itaque in Ego meo mundus integer, velut imago in speculo repraesentatus, et cum Ego meum monas cum conscientia distincta repraesentans sit, etiam Ego meum mundum integrum distincte cognoscere deberet, quod tamen dici nequit. 8. Monades sunt vires repraesentantes, et dependentes a monade primitiva: ergo quasi effluvia vis repraesentativae divinae, ergo in quolibet corpore particula Dei adest, adest in omni materia Deitas, quod si non spinozisticum, absurdum certo est. Dicit Leibnitzius: monades originem suam, rationem

sufficientem existentiae suae in ente infinito agnoscunt. Nascuntur quasi de momento ad momentum per fulgurationes Deitatis in limitatione essentiae creaturarum. (*Wenzel Metaph*: 83. *et* 84. 85). Quae contra Monadologiam vel Leibnitzianam, vel Wolfianam moveri uberius possunt dubia ea deprehendes *in dissertatione a Cl. Gottschedio* sub S. R. Langhansenii praesidio Regiomonti 1721 defensa, quae inscribitur: *Dubia circa Monades Leibnitzianas, quatenus ipsae pro elementis corporum venditantur. Conf. Ruardi Andalae dissertat. de quatuor fictis simplicium speciebus.*

Schol. 5. Chymici, quos alio nomine Alchymistas, Empiricos, Spargyrices, Hermeticos vocant, tria praecipua, ac veluti activa rerum omnium principia, quae ipsis elementa vocare libuit, statuunt. Mercurium videlicet, sulphur, et salem; his adjiciunt alia duo, inertia tamen, ac solum passiva, terram nimirum, vel caput mortuum, sive damnatum, et aquam, vel phlegma, resque omnes ex elementis ejusmodi componi arbitrantur. Id autem maximo ejus rei argumento fore conjiciunt, quod cum vi ignis in tenuissimas particulas corpora dissolvantur, haec eadem postremo supersint, mercurii, salis, et sulphuris corpuscula, quibus proinde primo corpora ipsa componi debuerint; cum in illa, ut Philosophi omnes fatentur, postremo corpora in sui corruptione resolvantur, quibus primo in generatione componuntur. Ex plurimis autem, ac fere innumeris experimentis, et observationibus, quibus id uberrime confirmant Chymici, unum hic afferemus, quod et celebrius est, et rem ipsam clarius prae caeteris, et illustrius exponit. Si itaque vinum in alembico ponatur, et ignis admoveatur, tenuem primum et inflammabilem liquorem emittit, quem spiritum, aquam ardentem, sive mercurium adpellant; deinde aqua insipida, humor nimirum insipidus, minime inflammabilis, quo sal facile solvitur, extrahitur, quem phlegma vocant; cum vero mercurius et phlegma ex vino prodierint, in fundo alembici materia quaedam crassior et viscosior remanet, quae vehementiori igni admovetur intra vas, quod ideo retortum, vel cornutum dicunt, quia in cornu, vel pyri formam sit recurvum: tunc vero pinguis, oleaginosa, inflammabilis, ac odora substantia erumpit, quam sulphuris nomine exprimunt. Durior denique arida, et sicca substantia, quae ignis vi in cineres est resoluta, sal in se continet, quod facile ab ipsa secernitur, si illi aqua fervida prius affundatur, deinde haec aqua charta bibula, vel panni lacinia secernatur. Extracto demum sale superest aridus pulvis omnem vim ignis eludens, quem caput mortuum, vel terram vocant. Haec igitur 5 substantiarum genera, quae ex corporibus singulis, quemadmodum ex vino educuntur, prima rerum omnium principia dicuntur a Chymicis; eo tamen discrimine, ut

antea vidimus, quod terra et aqua inertia solum et passiva sint, reliqua vero 3 maxime vegeta et actuosa. Hinc etiam qualitates omnes et accidentia corporum desumunt Chymici; ex sale nimirum sapores; odores et colores ex sulphure; vim corporum dissolventem, fermentationem, mixtionem, caeteraque id genus ex mercurio. Ac mirum certe est, qua fiducia de principiis, elementis, ac rebus ejusmodi disserant Chymici; quam sibi de inventae veritatis et sapientiae gloria blandiantur; quum praeclara ac divina propemodum caeteris polliceantur. Hinc enim lapidem Philosophorum, quem opus magnum, medicinam summam appellant, proditurum existimant, quo metalla in aurum convertantur, hominis vires reparentur, universa denique rerum natura perficiatur. Quin et plerique ejus artis et scientiae praecepta caute adeo caeteris produnt, ut quod Eleusinae Cereris Sacerdotes, quod Pythagoras, Auditoribus suis isti silentium imponant, ut veluti mysteriis et arcanis quibusdam initiari videatur, qui ad illos sacris ejusmodi cognitionibus erudiendus accesserit. Inde etiam huic disciplinae maximum decus, et pretium quaerunt, quod primos Parentes eam coluisse dictitent, quod Moysis, Salamonis, Alberti Magni sapientia, studiisque eam floruisse, quod sacris etiam litteris illustratam esse constanter asserunt; quasi vero si egregium hoc studii genus, ut ipsi divenditant, superioribus saeculis floruisset, omnis prorsus illius memoria, omne vestigium excidisset. Verum haec longa oratione non indigent, ut refellantur, neque enim Chymici cordatis viris, veraeque sapientiae studiosis facile imponent. Quod itaque verum est, atque ingenue fatentur illustriores Philosophi, artis ejusmodi, quam Arabes omnium primi, deinde Raimundus Lullus, Rogerius Baco, Theophrastus Paracelsus, aliique olim excoluerunt, studium neque prorsus contemni unquam debet, nec prorsus deseri. Compertum est siquidem ex illustriorum Chymicorum (neque enim ex imperitioribus aestimari res debet): crucibulis et alembicis plurima in Physicam et Medicinam commoda profluxisse, cum utriusque observationes Chymicorum laboribus illustratae, vel auctae fuerint; atque eadem haec rerum principia, quae excogitantur a Chymicis, non prorsus inepta, falsa, et ad explicandam rerum naturam inutilia sint. Aegre tamen adducimur, ut ipsa in rebus omnibus explicandis sufficere existimemus, aut omnia, quae a Chymicis de illorum numero, origine, proprietatibus affirmantur, vera esse putemus. Ac 1-o certum est, haec prima rerum principia esse non posse, cum ipsa quoque particulis subtilioribus, tenuissimisque corpusculis componi debeant, aut certe materia et forma constare, quemadmodum inferius ostendetur. 2-o Ad haec, quamvis ex prima et sensibili corporum distillatione, sive, ut ajunt, rectificatione, quinque illa substantiarum, sive elementorum genera prodeant, eadem tamen possunt in partes et elementa adhuc subtiliora dissolvi. Sic in academia Parisiensi Mercurius ipse vi acriori

flammae in salem et aquam dissolutus est: oleosus, aut sulphureus liquor in terram, salem et aquam. Sal denique in aquam et terram; ut in chymicis elementis 4 vulgarium elementorum particulae reperiantur, quarum quidem terrestres et aqueae subsidant, et sensibiles sint; aereae vero et igneae, utpote subtiliores, inter distillationem paullatim avolent. Oleum similiter ex plantis diversis eductum, et aequali semper aquae portioni admixtum, et per crebras distillationes rectificatum eandem aquam sale volatili praeditam reddidit, ita, ut post 24 distillationes ex unciis 10 e. g. olei, solae demum 2 olei superessent, quod adhuc ulterius in phlegma, salem et terram resolvi potuisset. 3. Licet etiam elementa chymica veluti prima omnium rerum principia haberi possent, non 3 haec tamen, sed plurima ac fere infinita dicenda forent. Constat enim, alium salem ex sanguine, alium ex urina, alium ex plumbo, alium ex hoc, alium ex alio plantarum genere educi; quod etiam de sulphure et mercurio verificatur; quin etiam ex eadem quoque substantia alius educitur sal, quem fixum, lixivialem, et alkali vocant: alius volatilis, qui calore facile avolat: quemadmodum etiam diversa sulphuris et mercurii genera ex eodem mixto educi posse fatentur Chymici. Sic etiam mercurius alter est pinguior, et inflammabilis; alter aridior et non inflammabilis. Sulphur et oleum aliud volatile, aliud fixum, aliud spirituosum, quod spiritum sulphuris vocant; aliud crassius et aqua levius, quod oleum; aliud gravius et in aqua subsidens, quod balsamum Chymici appellant. 4. Quid quod plurima quoque sint mixta, quae in haec elementa resolvi nequeunt, ut vitrum, aurum, crystallus, aliaque id genus; aut certe in ea resolvuntur, quae a Chymicorum principiis differunt, quemadmodum testatur Robertus Boyle, in hac disciplina egregie versatus, se ex oleo quaedam eduxisse, quae vix ad haec tria referuntur: et Chymici omnes ex 3 illis activis elementis quartam quamdam volatilem, siccam, insipidam substantiam extrahunt, quam flores appellant; ac saepius ambigunt, ad quodnam principii genus particulas illas, quae in accuratiori quorundam analysi supersunt, referri debeant. Hinc ingens illa vocum varietas, quibus apud diversos, atque eundem etiam auctorem principia chymica insigniuntur. Frequenter enim inter se differunt, aut quid mercurii, quid sulphuris nomine intelligant, ambiguum est; aut certe eodem nomine res inter se plurimum dissidentes exprimunt. 5. Sed quod omnem prorsus Chymicorum sententiam funditus evertit, illud optime viri doctissimi conjiciunt, principia illa, sive elementa chymica non actualiter inesse corporibus, aut ab illis vi ignis extrahi, et secerni, sed potius vi caloris magna ex parte procreari. Et sane quis ambigat maximam in partium ligni textura mutationem vi caloris produci, maximam quoque accidentium omnium diversitatem, ut ex innumeris fere experimentis apparet? Qua meliori, verisimiliorique ratione unquam explicari

poterit, quomodo ex variis substantiis varia sulphuris, mercurii, salisque genera educantur, quomodo varii liquores, et sales ex eadem ipsa substantia prodeant, pro minori, aut majori flammae calore, aut diversa quoque circumstantia, qua ignis admovetur? Certe si lignum occluso vase distilletur, nec cineres dabit, nec fuliginem; atque ex ipsa fuligine diversi spiritus, oleum, et sal extrahentur, quam si aperto vase fiat experimentum. Sic ex cineribus vitrum vi ignis conficitur, cum tamen eadem caloris vi in cineres vitrum abire non possit; insipidum etiam est vitrum, cum tamen cineres, quibus constat, plurimum salem alkali contineant. Haec autem caeteraque id genus sexcenta aperte demonstrant, non solum dividi, ac in particulas tenuissimas resolvi corpora, vi ignis, sed etiam acriter adeo, et intrinsece misceri, perturbari, ut diversae quoque partes sensibiles ex illis efformentur, ac proinde, ut omnia verbo complectar, Chymicorum principia neque prima, neque vera, neque numero definita haberi unquam posse.

Schol. 6. Sunt Philosophi naturales, qui neque spatia vacua, neque indivisibilia corpuscula elementaria sumpserunt, verum specificam materiarum, intuitu densitatis differentiam universe in originariis materiae viribus quaerunt, unde Philosophia eorundem, Philosophia naturae dynamica, aut systema Dynamicum appellatur. Secundum hanc philosophandi rationem, materia spatium non absoluta sua impenetrabilitate, verum repulsiva, seu expansiva vi implet; quae cum in variis corporibus, major, aut minor esse potest, densitatem quoque augeri vel minui necesse est. Huic systemati conformiter negatur dari entia absolute simplicia in hoc mundo, materia in infinitum divisibilis et nequaquam absolute impenetrabilis statuitur. Huic theoriae obstant, quod statuat Duce Kantio cognitiones humanas ad sola objecta experientiae, qualia entia simplicia alioquin non sunt, restringendas esse, quod tamen falsum est; neget porro existentiam entium metaphysice, seu absolute simplicium, atque sic implicite animae humanae spiritualitatem tollat, quam tamen in Psychologia extra omne dubium ponemus. Denique vires illae originariae Dynamistarum in materia in infinitum divisibili, vel sunt substantiae entium materialium, vel accidentia; si primum: sunt entia simplicia, si alterum: vel substantiis inhaerent, vel non: si inhaerent, dantur absolute simplicia in corporibus; si vero non inhaerent: omne reale disparet, et materia, basis experientiae, essentia carebit. Hinc est, quod ipsi jam recentissimi Dynamistae recognoscant, theoriam suam, praeprimis in applicatione ad experientiam, multis difficultatibus laborare.

Schol. 7. Saepe numero Atomisticum systema ad explicanda rariora phaenomena, adhibitum est v.g. in Rhabdomantia seu Metallo-Hydroscopia, ope virgulae di-

vinae, seu virgae mercurialis exercita. Erant scilicet, qui existimarent, homines, qui virga mercuriali ad aquam, metalla, thesauros latentes, scelera perpetrata, perturbatosque limites detegendos uterentur, ea ratione hoc perficere valerent, quod cum aqua, metalla, personaeque flagitiosae nunquam non subtilissimas, minimasque particulas evaporarent, eaeque poros virgae mercurialis, eorumque, qui virgam mercurialem manu sustentarent, portarentque penetrarent ac complerent, virgam quoque in motum cierent, aut in portatoribus certas peculiaresque sensationes elicerent. Quare opinandum erat atomisticis, quod, quemadmodum vis magnetica acum magneticam ad motum dirigit: ita effluvia quoque corporum dicta, virgam mercurialem impraegnarent, eamque sursum aut deorsum in motum determinarent. Enimvero, abusus hic culpandus, ac superstitiosus atomisticae, haud quaquam systemati ipsi imputandus esse videtur: si quidem dynamici quoque naturae Philosophi nostris temporibus similibus deliriis obnoxios se fecisse, negari nequit.

Schol. 8. Cum corpora ex simplicibus consurgant elementis, quorum naturam cognoscere nequimus, internam quoque corporum essentiam nos latere patet. De eo inde quoque convincimur: 1-mo Quod ex sensationibus, quas de corporibus habemus, eorundem proprietates dijudicemus. Sensatio enim dependet a constitutione organorum sensoriorum. Illud discrimen, quod observamus, dum haec aliquam subeunt mutationem, nos illud judicium promere facit, a constitutione organorum pendere, ut idem objectum, quod nunc nobis dulce esse videtur, mox amarum esse appareat, ut quod nobis nunc rubrum, mox nigrum, quod quadratum mox rotundum, quod magnum, id parvum et vicissim esse videatur. 2. Quamquam corpora in simplicissima, ex quibus constant, elementa, resolvere nobis concessum haud sit, ex eorum tamen vel aliqua resolutione innotescit, quod proprietates, quae entibus conveniunt compositis, nequaquam etiam eorundem constitutivis partibus conveniant; quod per mutationem modi, quo partes alicujus corporis inter se connectuntur, longe alia, ac prius fuerint entia, obtineantur. Hinc quidem non sequitur, corpora esse meras ideas, mundum materialem nonnisi ut repraesentationem in mente nostra existere. At quod corpora phaenomena sint, extra mentem quidem nostram existentia, at per valde permistam confusamque apparentiam cognita, quae intimas eorundem proprietates (phaenomena substantiata) celant, id quidem defendi potest. Unde id quoque consequitur, nos vehementer errare, si proprietates harum apparentiarum, vi ad ipsas quoque intimas proprietates simplicium entium extendere volumus, prout id iis familiare est, qui existimant, quod phaenomenon contactus corporum impossibile foret, si elementa quoque eorundem se se non contingerent. Et sic in pluribus quoque id obtinere casibus, supponendum est.

Schol. 9. Ex eo, quod corpora ex simplicibus elementis constare doceamus, nequaquam inferas: Ergo corpora, adeoque universus mundus corporeus componitur ex spiritibus. Plura enim profecto ad spiritum requiruntur, quam sola simplicitas, seu immaterialitas. Equidem omnis spiritus est ens simplex, at non omne ens simplex est spiritus (quia ad spiritum requiruntur etiam intellectus et voluntas). Quae igitur consequentia? Omnia corpora constant ex entibus simplicibus (iisque, quod probe notes, omni distincta repraesentatione et intellectu destitutis), ergo omnia corpora constant ex spiritibus. Perinde esset, ac si dicerem: Mundus constat ex corporibus, ergo mundus constat nonnisi lapidibus. At inquis, ex quocunque coalescere debet compositum et extensum id ipsum quoque sit compositum et extensum, necesse est. *Respondeo.* Quamvis quoad modum coalitionis entium compositionem ex simplicibus nihil certi determinari queat, negandum tamen non est, non magis absonum esse, fieri ex non-extenso extensum, quam fieri ex non-bibliotheca bibliothecam, ex non-pio pium, ex non-erudito eruditum etc. *Conf. Bülfingeri dilucid. p.* 88. *sqq.*

Schol. 10. Sunt nonnulli Philosophorum, qui cum varios naturae effectus, universi pulchritudinem, universamque rerum cognitionem ex prima rerum origine, primorumque principiorum, seu elementorum cognitione pendere arbitrantur, nihil rite intelligi, vel explicari posse opinentur, nisi prius prima rerum materia, elementorum natura et proprietates expositae fuerint omnes. Hinc cum Philosophorum opiniones dissidentes adeo hac in parte conspiciant, atque de principiis ipsis quidpiam certo definiri non posse intelligant, de invenienda prorsus veritate desperent, omnisque in ipsis inquirendae veritatis ardor, contemplandaeque naturae studium prorsus extinguatur. Ego vero nobilius de rerum natura, ejusque cognitione sentio, ut quamvis ipsam principiorum cognitionem ab effectibus rite, fauste, feliciter explicandis pendere prorsus existimem, effectus tamen ipsos, ac plurima, quae in ipsis observantur, optime intelligi et explicari posse confidam, etsi prima rerum principia, vel nondum cognita, vel accurate definita fuerint. Itaque licet veteres, recentioresque Philosophi plurimum de corporum principiis, atque mirifice dissideant, eorumque discrimen, opinionumque varietas tamdiu constantissime sit perseveratura, quamdiu Philosophiae nomen vigebit; tumque solum haec celeberrima quaestio; quae 3. fere millium annorum spatio Philosophorum ingenia exercuit, sit dirimenda „*exitio terras cum dabit una dies;*“ tantum tamen abest, ut cetera ignorari debeant, omnemque acquirendae sapientiae spem, cognoscendaeque naturae studium in nobis languere oporteat, ut acrius inde potius debeat excitari. Quis enim varios siderum motus ab ipsis

elementis materiae, qua componuntur, pendere existimet; ut si incertum adhuc obscurumque sit, an illa sit corpus, vel pura potentia, admirabilis et accurata siderum periodus observari, certissimeque definiri non possit, qua orbitam propriam describunt? Quis ubi siderum, aliorumque corporum lucem explicare velit, illius naturam et originem ex substantialis formae, vel materiae primae natura repetat, non vero hanc potius in celerrimo tenuissimarum partium motu, quae a lucidis corporibus emittuntur, aut etiam, si malit, in sensibili qualitate, vel accidente positam dicat? Quis pluviarum, fulminis, aliorumque corporum, quae in aëre sublimi apparent, et Meteora dicuntur, originem explicaturus materiam primam terrae, vel aquae novam substantialem formam inducere observet, qua fulminis esse acquirunt; non vero potius tenuissimas aquae, vel terrae partes, vapores, halitus calore solis per aërem diffundi, ascendere, in media aëris regione concrescere, condensari, moveri doceat, appositisque fumi, glaciei, aliisque 600 exemplis exponat? Nonne Medicum ineptire merito putaremus, si febris causas et originem prodituras, materiam primam sanguinis, aut cibi veterem formam amisisse serio, graviterque diceret? cum clarius certe, longeque facilius intelligi res ipsa posset, si velociorem ille, vehementioremque in subtilioribus sanguinis partibus motum, acriores humores, aliaque id genus exponeret? Quid materiae primae natura ad explicandam cibi triturationem, comminutionem, cordis motum, totius corporis nutritionem, aliaque ejusmodi conferre unquam poterit, quae cum ex sola partium textura, admirabilique organorum dispositione dependeant, ex illa repeti, accuratissimeque exponi possunt? Cum itaque in explicandis naturae effectibus, rerum discrimine, variisque corporum affectionibus, viribus atque operationibus non ad materiam primam confugere Peripatetici ipsi et Sapientes omnes consueverint, atque inprimis Aristoteles ipse, qui in 38 sectionibus problematum, atque in iis libris, qui „*parva naturalia inscribuntur*," in omnibus denique libris, si 8 Physicorum et 14 Metaphysicorum excipias, vix materiae primae unquam meminit, sed ex varia solum partium textura, motu et figura haec repetere consuevit, quas tenuissimas quidem, insensibilesque particulas in aëre, igne, vaporibus, aliisque innumeris rebus Peripatetici ultro quoque admittunt, etsi non atomos, sed „minima" corpora eas vocent, quod perinde est, quid in inquirenda primae materiae natura tamdiu solliciti sumus, non vero potius effectus ipsos inquirimus, contemplamurque? „Neque enim (*ut egregie prorsus admonuit Aristoteles*) a primo rei principio aliquando inchoandum est, sed unde quis facilius discat." (*Metaph. V. cap.*) Quodsi subtilius adhuc, et diligentius ipsas quoque particulas ex partibus, et principiis aliis, materia nimirum et forma componi, sive constare quis dixerit, aut objiciat, constent et com-

ponantur per nos liceat; quid enim interest, quidve refert, an ejusmodi corpuscula sint prima, vel secunda, vel tertia rerum principia, dummodo tamen effectibus omnibus sensibilibus explicandis clariora et accomodatiora sint? Quodsi denique effectibus omnibus sensibilibus, aut quibusdam certe, rite et feliciter explicandis solam partium figuram, texturam, ordinem, motum imparem esse quis dicat, adeoque substantialem insuper formam in ipsis requirat, is sane intelligat, hoc sibi perspicue, non ex praeconceptis opinionibus, hoc evidenter, hoc invicte probandum esse, quod utinam tamen praestare possit! His, primo huic Metaphysicae inferioris Tractatui, in quo prima, ac intrinseca corporum principia scrutati sumus, supremam denique manum imponimus, ceteros ordine superius exposito traditurі. Id vero nos merito, ac mirifice recreat, quod si in hoc primo ingens illa opinionum varietas, varias in partes animum ipsum distraxit, gravissimamque fere caliginem sensibus, mentibusque nostris induxit, in illo certe, qui sequitur, et mira Philosophorum consensio, et clarissimus veritatis splendor ad purissimam sapientiae sedem nos diriget.

CAPUT II.

Somatologia metaphysica.

§. 4.

Quemadmodum consideratio eorum, quae sub sensus externos cadunt, objectorum, h. e. corporum, rationem indagatricem et interpretem Naturae dirigit ad cogitationem quorumdam elementorum, quae sint omnis compositionis corporeae intima et absoluta principia et constitutiva; ita haec metaphysicorum omnis corporeae concretionis initiorum cogitatio et veritas, rationem ad contemplationem corporum reducit, quae somatologia metaphysica, ut objecta cognitionis empirica considerans, leges eorundem a priori eruit. Cum autem corpora, partim ut non organica, partim ut organica spectari possint, intelligitur, Somatologiam in Hylologiam metaphysicam, et Organologiam metaphysicam dispescendam esse.

Scholion. Somatologia metaphysica, velut Physica metaphysica, a Physica empirica per id discernitur, quod illa, nequaquam velut haec, ab observationibus ac tentaminibus, proinde a posteriori, verum a conceptibus et decretis facultatis cognoscendi puris, progrediatur ad leges corporum a priori investigandas. Quamquam ergo Somatologia metaphysica ad objecta empirica referatur, attamen haec illa nonnisi secundum principia transcendentalia pertractat, quorum validitatem ratio philosophans, independenter ab experientia, agnoscere tenetur. Ea itaque rationalis etiam Physica jure vocatur: communis autem illa, in qua Physica rationalis, nomine Physicae generalis propedeutice tantum proponitur, Physica empirica nuncupatur, cujus Physica experimentalis, Chemia, Historia naturalis, et Physiographia, (falso Historia naturalis dicta) nonnisi diversae partes esse videntur.

MEMBRUM I.

Hylologia metaphysica.

§. 5.

Materia quaeque et inde consurgens corpus, non aliter a nobis percipitur, quam qua objectum in spatio existens, sensusque externos afficiens. Sed hoc aliqua saltem mutatione in spatio facta fieri potest, quippe qua corpus nobis ut mobile quidpiam apparet. Quare conceptus motus, est conceptus Hylologiae metaphysicae fundamentalis, ipsa vero Hylologia nihil aliud est, quam doctrina motus metaphysica, seu systema conceptuum et decretorum a priori, quae materiam intuitu motus attingunt.

Scholion 1. Si quid est in rerum natura, quod a Philosophis omnibus maxime inquiri et accuratissime pertractari debuerit, id certe sapientum omnium judicio est motus, cum non solum ignorato motu, ut optime ait Aristoteles, necesse quoque sit naturam ignorari (*Phys. III. cap.* 1.); sed etiam sublato motu tollatur non modo Physica, quae corpus mobile contemplatur, sed omnes quoque aliae scientiae, et opiniones seu artes, quae sine motu peragunt nihil. (*Phys. VIII. c.* 3. *tex* 5. *Vid. Etic. ap. Laert. X.*). Hinc nulla fere Physicae pars a veteribus Philosophis illustrius, aut uberius est explicata, quam quae circa motus

naturam, originem, ac leges versatur: atque incredibile sane est, quibus illi ingenii viribus, quanto rationum apparatu, quantis observationibus, haec omnia illustraverint; ut nihil fere Cartesius, Neutonus, Borellius, Gassendus, Gallileus invenerit, quod ad motus naturam et cognitionem non pertinere plurimum videretur. Illud est tamen inter veteres recentioresque Philosophos insigne discrimen, quod illi motus naturam abstractis quibusdam rationibus investigaverint, isti vero experimentis, ut plurimum ac geometricis demonstrationibus ita rem totam perfecerint, ut Physica Mathematicae inseparabiliter hac in parte arctissimeque conjungatur.

Schol. 2. Pyrrhonici, Diodorus et alii motum negarunt, hoc solum consilio, ut ostenderent, nihil adeo certum et indubium haberi consuevisse, de quo dubitari non possit, et rationes plurimas afferri, quae omnem illius fere veritatem obnubilare videantur. Ejusmodi certe est illa Diodori ratio, quae apud veteres est celeberrima. „Si quidquam movetur, vel movetur in loco, in quo est, aut in loco, in quo non est; at neque moveri potest in loco, in quo est; in eo enim manet, si in ipso est; neque in loco, in quo non est, ubi enim quidpiam non est, ibi neque agere, neque pati quidpiam potest, quamobrem quidquam non movetur.“ (*Empyr. Hypot. III. et II. et III. advers. Phys. s.* 9. 2.) Hujus argumenti vim tunc maxime deprehendere potuit Diodorus ipse, cum Herophilum medicum accersivit, ut sibi luxatum humerum restitueret. Herophilus enim sumpto Diodori argumento humerum luxari, aut loco moveri potuisse negavit: „Nam, inquit, aut emotus esset e loco, in quo erat, aut in quo non erat; aut neque in quo erat, neque in quo non erat, igitur emotus non fuit.“ Quod audiens Diodorus Medicum rogavit, ut missis argutiis illis manum operi admoveret. Ferunt et Diogenem Cynicum Zenonis sophismata non alia ratione solvere consuevisse, quam deambulando; interrogatus autem quid faceret, „Zenonis, ajebat, argumenta solvo.“ „Et certe stultus omnino sit ille, oportet, qui arbitretur omnia quiescere, et sensu dimisso rationem quaerat. Est enim hoc prave dijudicare, quid sit in rebus praestabilius, credibilius, prius, si quis eorum rationem quaerat, quae praeclarius cognoscimus, quam ut ratione indigeamus. Et quamvis pene falsum videatur, quod Heraclitus, Cratylus, Homerus, Epicharmus, Empedocles et alii dicunt, semper omnia moveri, hoc tamen magis physici dixerim, quam nihil moveri: quoniam licet Natura sit tam motus, quam quietis principium, ipse nihilominus motus res magis naturalis est. (*Arist. II. Phys. c.* 2. *et VIII. c.* 3. *tex.* 23.).

Schol. 3. Hylologia metaphysica, neque empirica neque mathematica doctrina motus esse potest, eam proin ab omnibus materiae proprietatibus empiricis, demonstrationibus ac determinationibus mathematicis numero et mensura expri-

mendis abstinere oportet; ea enim debet esse tantum Philosophia materiae, qua rei mobilis. Quamvis ergo cognitiones Hylologiae, neque ex experientia, neque ex mathematica hauriantur: nihil tamen in ea occurrere debet, quod experientiae repugnet, aut ad quod Mathematica applicari non posset, cum hic Philosophia idgenus objectum tractandum habeat, quae ei ipsa experientia, velut objectum mathematice determinabile, offert.

Schol. 4. Motus quadruplici potest spectari modo, nempe secundum quantitatem, i. e. phoronomice; secundum qualitatem, i. e. dynamice; secundum relationem, i. e. mechanice, et secundum modalitatem, i. e. phaenomenologice. Secundum quantitatem, seu phoronomice spectatur, cum sine omni relatione ad aliquod mobile, ergo tamquam quantum purum consideratur. Secundum qualitatem, seu dynamice spectatur, cum tamquam praedicatum, seu proprietas materiae conveniens, ergo in relatione ad aliquod mobile consideratur. Secundum relationem, seu mechanice spectatur, cum tamquam vis materiae in relatione ad aliam materiam consideratur, seu dum mobilium mutua relatio in communicatione motus spectatur. Secundum modalitatem, seu phaenomenologice sumitur, dum relatio motus, ejusque oppositi nempe quietis, ad nostram repraesentandi rationem, seu ut phaenomenon spectatori datum investigatur. Nascuntur inde 4 de motu doctrinae particulares: Phoronomia nempe, Dynamica, Mechanica, et Phaenomenologia, quae simul sumptae scientiam illam novam constituunt, quam KANTIUS primus sub nomine Scientiae naturae, seu Physicae purae mundo philosophico exhibuit, et quam nunc novis laboribus prosequitur SCHELLINGIUS, sub titulo Philosophiae naturalis. Id quod ad scopum nostrum ex his doctrinis immediate confert, in usum vocabimus, cetera Physico relinquentes, et sic praeparati ad explicandas corporum determinationes metaphysicas, seu praedicata necessaria et universalia accedimus.

§. 6.

Cum corporibus mobilitatem, seu eam proprietatem tribuimus, qua de loco in locum transferri, aut transire possunt, tam ab interna eorundem proprietate, quam ab externa eorundem extensione et forma abstrahimus. Quare in antecessum, quodlibet mobile, ut merum punctum, et spatium ab eo describendum, ut meram lineam consideramus, proinde ad motum duntaxat materiae, seu corporis, intuitu directionis et celeri-

tatis ejusdem reflectimus. Quamdiu porro mobile locum suum mutat, moveri, contra si, et quamdiu locum suum non mutat, quiescere dicitur. Est proinde motus mutatio loci, quies vero, ejusdem in eodem loco perseverantia. Quodsi mobile, non ut merum punctum, verum ut corpus, adeoque ut complexus plurium mobilium cogitatur, tum vero mutatio loci, aut intuitu totius, aut intuitu partium potest percipi. In casu posteriori, non videtur quidem corpus locum suum mutasse, quoniam totum ipsum non aliam spatii partem occupat; cum tamen sensim et pedetentim omnes ejus partes aliam spatii regionem occupent, profecto corpus locum suum durante motu mutare existimandum est, atque ob eam ipsam caussam, mutat quoque id, qua totum, relationem suam ad alias spatii partes, in quibus id positum non est. Proinde dici quoque jure potest, motum esse mutationem externarum relationum rei cujuspiam: contra quietem, permansionem ejus in iisdem relationibus.

Scholion 1. In quantum mobile ut merum punctum considerandum est, in tantum punctum, qua infinite parva spatii pars cogitari debet. Nam cum mobile (corpus) in spatio esse debeat, non potest sine repugnantia ut quidpiam cogitari, quod ipsum spatium non esset, sed limes duntaxat spatii. Punctum itaque, ut repraesentans mobilis in spatio, adminus pro infinite parva spatii parte haberi debet, ita ut ei locus quoque possit adtribui.

Schol. 2. Motum, mutationem externarum relationum rei cujuspiam esse, negant aliqui ideo, quod motum materiae internum non includat e. g. fermentationem cerevisiae in dolio; hic enim relationes locales, seu externae dolii cerevisiarii ad spatium a dolio occupatum immutatae manent, cum tamen cerevisia in motu constituta sit. Sed respondemus: materia, de qua motus praedicatur, debet tamquam unitas considerari. Dolium cerevisiae in motu constitutum non est, sed cerevisia in dolio movetur. Motus materiae, et motus in materia non sunt conceptus identici. Quaevis cerevisiae gutta relationes suas externas, seu locales ad do-

lium, quo circumdatur, mutare potest, quin dolium tamen, qua tale, relationes suas locales ad spatium externum mutet, quin consequenter in motu constitutum sit.

§. 7.

Cum omnis motus, velut mutatio loci in spatio et tempore accidat, sequitur, eum duntaxat in dato spatio, datoque tempore esse possibilem. Quare in quovis motu corpus motum certam relationem ad certas spatii partes, h. e. directionem, et praeterea spatium, quod corpus motum percurrit, certam relationem ad tempus, in quo id a corpore percurritur, h. e. celeritatem habere debet. Consequenter directio et celeritas cuique motui competere debent: licet ambae, durante motu, aut manere eaedem, aut mutari etiam possint.

Scholion. Directio et celeritas in motu velut datum quodpiam sumuntur, idque recte, si motus empirice, aut mathematice consideretur. Sed doctrina motus metaphysica ostendere debet, quod, et cur motui cuique directio et celeritas competant. Atque hac in re situm est quoque metaphysicum fundamentum celebratae illius formulae mathematicae $C = \frac{S}{T}$ quae nil aliud indicat, quam ad aestimandam celeritatem motorum corporum investigandum esse, quomodo semet spatium et tempus ad se invicem habeant. Nam quo majus, aut minus spatium in eodem tempore a corpore moto percurritur: eo minus, aut magis celerem oportet esse motum. Quare aequalibus temporibus ita sunt inter se celeritates, quemadmodum spatia: aequalibus autem spatiis reciproce ut tempora. Pone v. g. corpora A et B in 4 secundis, illud quidem 16, hoc 8 pedes percurrisse: sane celeritas corporis A duplo major erit, quam corporis B; nam $\frac{16}{4} = 4$, et $\frac{8}{4} = 2$. Quodsi vero ambo corpora 8 pedes, illud quidem 4, hoc autem 2 secundis percurrissent: tum celeritas corporis A duplo minor fuisset, quam fuit corporis B; nam $\frac{8}{4} = 2$ et $\frac{8}{2} = 4$. Caeterum cum haec proprie ad doctrinam mathematicam motus pertineant, quae hoc loco diximus, illustrationis tantum caussa dicta sunto.

§. 8.

Cum spatium, in quo corpus velut mobile quidpiam reperitur, aut ut absolutum, aut ut relativum cogitari possit, profecto motus quoque et quies, aut ut absolute, aut ut relative tales possunt cogitari, in quantum utraque in cogitationibus jam ad absolutum, jam ad relativum spatium referuntur. Sed quia spatium absolutum, qua tale, objectum experientiae non est, nullus quoque motus absolutus, et nulla quies absoluta percipi queunt, verum omnes motus (et quies) quos percipimus, simpliciter relativi sunt. Quare etiam in vicem motus corporis, in spatio quieto, secundum unam eandemque directionem, motum spatii relativi, in quo motum percipimus, in opposita ad corpus quiescens directione, in pari celeritate ponere nobis licet.

Scholion. Spatium absolutum est repraesentatio sensualis originaria, seu intuitio pura, proinde ut objectum externum percipi nequit, consequenter spatium absolutum neque materiale, neque mobile est, quod idem etiam de loco absoluto, motu absoluto, quieteque absoluta dicendum est. Contra omnis motus et quies, cum percipiuntur, ad spatium locumque relativum referuntur, unde solum spatium relativum est empiricum, materiale et mobile. Quare cum corpus quodpiam moveri videmus: tum nihil aliud videmus, quam illud relationes suas externas ad alias res in spatio relativo mutare v. g. dum navis in fluvio nobis praeterlabitur, aut cum in sylvis arboribus utrinque praetervehimur.

§. 9.

Cum motum, aut eandem semper directionem conservare, aut continuo aliam, atque aliam directionem ingredi cogitamus, sensu priori motus rectilineus, sensu posteriori curvilineus existit. Motus dein cogitari potest, aut eandem semper retinere celeritatem, ita, ut res mota aequalibus temporibus aequalia spatia per-

currat, aut continuo aliam, atque aliam obtinere celeritatem, ita, ut res mota aequalibus temporibus inaequalia spatia percurrat: casu priori motus uniformis, seu aequabilis, casu autem posteriori motus variatus, seu inaequabilis existit. Motus iste iterum subdividitur in acceleratum et retardatum. Illius celeritas ita variat, ut semper crescat, seu ejus celeritas variando crescit e. g. motus lapidis ex alto dejecti. Motus iste oritur, cum in corpore commoto adhuc vis quaedam agit a motu priori residua; hac enim motus praesens acceleratur. Motus retardatus, est motus variando decrescens. Motus acceleratus, vel est iterum motus aequabiliter, vel inaequabiliter acceleratus; illius celeritas temporibus aequalibus aequabiliter, hujus temporibus aequalibus inaequabiliter crescit. Ita et motus retardatus, vel est uniformiter, seu aequabiliter vel inaequabiliter retardatus; illius celeritas temporibus aequalibus aequaliter, hujus temporibus aequalibus inaequabiliter decrescit. Motus quoque ita cogitari potest, ut res mota aut circa axem suum revolvatur, aut non; proinde motus, aut in se redeat, aut extra se porrectus sit. Casu priori motum versatilem, posteriori progressivum dicimus. Motus progressivus, aut majus et majus spatium continuo occupat, aut in dato spatio clausus existit; casu priori dilatatus, posteriori reflexivus dicitur. Motus autem reflexivus vicissim ita quoque cogitari potest, ut res mota spatium, aut in una eademque continuata ratione, aut in directione reciproce opposita percurrat: casu priori circularis, posteriori oscillatorius appellatur; priori moventur globi circa axem, posteriori pendula. Denique motus, aut ut unicus, aut ut complexus plurium, qui ta-

men ut singularis apparent, cogitari potest; casu priori simplex, posteriori compositus vocatur. Motus simplex uniformem tantum habere potest directionem, proinde, ut semper rectilineus sit, necesse est; motus enim curvilineus quolibet momento directionem suam mutat, quamobrem, ut ex infinite multis rectilineis compositus considerari potest. Contra motus compositus, aut eandem, aut variam potest habere diversionem, adeoque partim ut rectilineus, partim ut curvilineus potest cogitari.

Scholion 1. In motu curvilineo, corpus motum directionem suam continuo mutat: attamen propter hanc continuitatem, sive motus in circulo, sive in ellipsi fiat, cum corpus quoddam directionem suam semper ad certam legem immutare censendum sit, haud inepte dici potest, idem in eadem directione moveri; proinde identitas mutatae directionis pro identitate directionis sumi potest.

Schol. 2. Retardatio quidem et acceleratio motum efficiunt semper inaequabilem: attamen cum motus retardationis, et accelerationis semper idem esse possit, dum scilicet is unam eandemque regulam sequitur, velut in ascensu et lapsu corporum: intelligitur, cur etiam acceleratio et retardatio uniformis, seu aequabilis locum habere queat; quae tamen cum motu aequabili minime confundenda est.

Schol. 3. Modus, quo conceptum motus compositi intuitive construere oportet, minime ad Metaphysicam, verum ad mathematicam motus doctrinam spectat: nam Metaphysico intuitu Mathematicorum nihil aliud faciendum est, quam conceptum motus compositi, tam rectilinei, quam curvilinei dare: de reliquo, quid cum his agendum sit, illorum est providere.

§. 10.

Corporibus, vel rectius substantiis illis simplicibus, ex quibus ea coalescunt, vim motricem, a qua tamquam principio possibilitas mobilitatis eorundem dependet, tribuendam esse, ex superioribus constat. Vis haec, in quantum ut caussa remotionis corporum cogitatur, vis repulsiva; in quantum autem, ut caussa appropinguatio-

nis eorundem spectatur, vis attractiva nominatur. Vi repulsiva corpus se in spatio expandit, contra vi altera se comprimit; unde illa vis expansiva, haec compressiva dici potest. Vis materiae repulsiva est originaria, seu essentialis, proinde universaliter et necessario omnibus corporibus competere debet, idque sic, ut absque ea nullum prorsus corpus, ut spatium implens, et mobile possibile, h. e. quoad nos intuibile et cogitabile foret. Elementa enim absoluta corporum compenetrari mutuo nequeunt, secus omnis extensio tolleretur, et corpus quodvis in merum punctum recideret, sed cum punctum nullam spatii partem efficiat, profecto corpus sine vi repulsiva minime ut in spatio existens intueri ac cogitare liceret; consequenter existere debet quidpiam, quod impediat, quominus cum aliquo corpore in spatio dato aliud quoddam in eodem spatio existere possit: hujus autem actionis principium est vis repulsiva; igitur vis materiae et corporum inde coalescentium repulsiva est originaria et essentialis. Sed et vis attractiva est originaria et essentialis corporum proprietas. Cum enim ob vim repulsivam seu expansivam partes materiae se mutuo refugiant, neque haec vis, aut per se ipsam, aut per solum spatium restringi possit, profecto nulla materia, nisi huic alia vis quaedam opponeretur, intra limites extensionis cohiberi posset, verum in infinitum dissiparetur, adeoque nullum determinatum materiae quantum in determinata aliqua spatii parte reperiretur, h. e. nullum spatium impleretur, proinde nullum prorsus corpus intueri et sensibus nostris percipere possemus. Ergo alia quaedam adhuc vis movens adsit necesse est, quae modo vi repulsivae contrario, proinde compressive agat. h. e. quae caus-

sa sit appropinguationis partium materiae, seu corporum, sed vis haec attractiva audit, ergo cuivis materiae praeter vim repulsivam, vis quoque attractiva convenire debet. Est ergo utraque vis materiae originaria essentialis, seu fundamentalis: unde vicissim sponte consequitur, materiam, corpusque inde coalescens spatiumque implens, neque sola expansiva, neque sola attractiva vi, neque etiam sine ambabus his viribus possibilem h. e. relate ad nos intuibilem et cogitabilem esse posse.

Scholion. Dari vim attractivam ex motu ustrorum, seu a posteriori etiam probari potest. Constat enim ex astronomorum observationibus planetas primarios circa solem, secundarios vero circa primarios in lineis curvis in se ipsas redeuntibus revolvi. Jam autem notum est Mathematicis, corpus, quod circa punctum aliquod describit lineam curvam in se ipsam redeuntem, vi duplici urgeri, quarum una constanter appropinguare nititur illi puncto, circa quod corpus revolvitur. Planetae igitur primarii constanter ad solem, secundarii vero ad primarios accedere nituntur. Accedunt phaenomena corporum gravium terrestrium: videmus enim corpora omnia in superficie terrae posita ad eandem, si obstaculum absit, accedere, positoque obstaculo nisum accedendi ita exercere, ut si ea sat valida non sint, a corporibus gravibus etiam perrumpantur. Cum ergo in his vis attractiva consistat, eam corporibus propriam esse, negari non potest. At non saltem ad mutuum accessum corpora mutuo determinari, sed vim repulsivam dari, a posteriori clarum redditur; ex corporum enim elasticorum tam solidorum, quam fluidorum phaenomenis colligitur, dari in corporibus conatum quemdam a se invicem recedendi. Exemplum praebeat lamella elastica, quae, si inflectatur, cessante vi inflectente pristinam illico iterum figuram resumit: moleculae igitur ex parte concava per lamellae inflexionem propiores effectae, nisum acquirunt a se invicem recedendi, quem exerunt in potentiam inflectentem, cujus actio si cesset, effectus consequitur, restitutio nempe figurae prioris. In fluidis item elasticis (aëre praecipue) nisus perpetuus molecularum, ex quibus ea fluida constant, a se invicem recedendi notatur, cujus termini hactenus inveniri non potuere. Vim igitur repulsivam pariter corporum esse proprietatem in aperto est. Sunt quidem Physicorum nonnulli, qui vim repulsivam saltem igni tribuendam esse asserunt; at vero, cur certae materiae portioni vires quaspiam largiamur, quas residuae materiae parti denegemus? praecipue cum in corporum resolutione

ad entia simplicia, similia, iisdem prorsus viribus affecta deveniendum sit.

§. 11.

Vis repulsiva, seu expansiva, et attractiva, seu compressiva essentialiter, ut diximus, omni materiae competit, neutra proin exstingui potest, verum ex omnibus punctis spatii a materia occupati in omnes partes utraque agit. Jam vero agente semper vi expansiva, extensio materiae nunquam prorsus tolli, adeoque materia a materia nunquam penetrari potest: agente autem vi compressiva, quaevis materiae portio ad aliam accedere, seu semet in directione majoris gravitationis movere nititur, quod gravitare dicitur; consequenter per vim repulsivam materia impenetrabilis, per vim attractivam gravis est.

Scholion 1. Vim materiae repulsivam immediate percipimus, cum ea sua se impenetrabilitate tactui nostro annunciet, unde etiam fit, ut impenetrabilitas pro nota materiae characteristica habeatur. Contra vim attractivam duntaxat argumento elicimus, cum ad necessarias vis expansivae sequelas reflectimus, vimque attractivam, ut secundam impletionis spatii fundamentalem conditionem cognoscimus. Quare intuitu perceptionis sensualis vis expansiva est realis; attractiva est vis materiae idealis; ex quarum unione synthetica demum conceptus materiae potest cum ratione construi: quae etiam caussa est, cur vis attractiva non tam facile pro vi materiae universali ac fundamentali recipiatur. — Caeterum utraeque hae vires, quali in relatione, sive universe, sive intuitu certorum materiae quantorum agant; et quomodo ex illis determinatae illae res materiales, quas ope experientiae percipimus, agant; id vero Metaphysica, partim mathematicae, partim empiricae naturae investigationi inquirendum relinquit, cum ei hoc loco universalia tantum ambarum virium discrimina characteristica, quemadmodum ea ex conceptu earum emergunt, proponenda erant.

Schol. 2. Cum quaelibet vis, quae objecto empirico propria est, quantum intensivum sit, in sua efficacitate determinatum habeat gradum necesse est, quod idem etiam de expansiva materiae vi verum esse debet. Scilicet, si absolute summus efficientiae materiae gradus locum haberet: tum vero vis expansiva, ut vis movens, tanta cum celeritate ageret, ut ea, in finito, quantum-

vis exiguo tempore, infinitum decurreret spatium, quod fieri nequit. — Pariter, si absolute infimus efficientiae materiae gradus locum haberet: tum vero vis expansiva, ut vis movens, tam exigua cum celeritate ageret, ut in finito, quantumvis magno tempore, nullum prorsus spatium percurreret, quod vicissim fieri non potest, cum sic omnis motus sublatus esset. Ergo vis expansiva in sua efficacia perpetuo gradum aliquem habere debet, qui nec absolute maximus, nec absolute minimus esse potest.

Schol. 3. Sunt, qui ex eo, quod virium dictarum distinctam notionem non habeamus, et agendi modum plene cognoscere nequeamus, earundem existentiam negant; quibus accomode r e s p o n d e b i s, si dixeris, nos pariter nescire, quid rei sit, illa innegabilis animae vis sentiendi movendique corpus, neque qua ratione perceptio fiat, aut ope fluidi motus in cerebro distincte nascatur. Neque d i x e r i s: vim motricem esse indicium substantiae viventis; vivere namque illa entia dicuntur, quae gaudent motibus spontaneis. Neque gravitatis universalitatem imponderabilitas quarundam materiarum infringit; ut enim taceamus, existentiam talium materiarum multis adhuc premi dubiis, gravitas et pondus res sunt diversae: proinde id quod imponderabile est, non esse etiam grave, minime sequitur.

Schol. 4. Recentioribus temporibus p e n e t r a b i l i t a s, si non mechanica, certe c h e m i c a defensa est. Cogitari scilicet vis solvens potest, quae non prius agere cessaret, quam partes materiae solvendae, cum partibus materiae solventis, prorsus et aequaliter permixtae forent. Quare penetratio chemica solutio quaedam absoluta esset, h. e. talis, vi cujus materiae specifice diversae ita invicem commixtae forent, ut in qualibet totius parte pars utriusque materiae reperiretur, eaeque non extra se, ut contiguae, sed in se, ut continuae in uno eodemque spatio essent unitae. Id genus ergo penetrationem chemicam in experientia locum habere nulla ratione probari potest, cum, neque intuitione perfecta illa solutio percipi, neque argumentando ex ulla perceptione elici possit. — Impenetrabilitas porro materiae, aut ut absoluta, aut ut relativa potest cogitari. Impenetrabilitas absoluta, sumtione nititur, materiam simpliciter comprimi non posse, aut nonnisi in tantum, in quantum spatium vacuum in se continet: impenetrabilitas autem relativa, resistentia illa nititur, quam materia quaepiam alteri, quae illam penetrare laborat, ope vis expansivae opponit, quae vis cum gradu compressionis semper proportionate crescit.

§. 12.

Universalia vis attractivae et repulsivae resultata sunt sequentia: 1. Deter-

minatum quodpiam materiae quantum, seu corpus, quod spatium in determinato quopiam gradu implet, non aliter existere potest, quam per conflictum originarium repulsivarum et attractivarum virium, cum per illas partes materiae sese in infinitum dissiparent; per has autem solas in unicum punctum coirent. 2. Cum cuilibet materiae parti vis attractiva et repulsiva propria sit, non minus unam, quam aliam vim pro ratione auctionis, aut diminutionis massae corporis augeri, aut diminui necesse est. 3. Quo magis certum quoddam materiae quantum vim suam attractivam et repulsivam exporrigit, eo magis eam diminui necesse est. Nam cum ea semet in majus spatium extendit, in quovis majoris spatii puncto minor virium gradus adesse debet, quam in quovis spatii minoris puncto. 4. Si quantum materiae, quod minus antea spatium impleverat, sensim sensim majus spatium compleat: id quidem majus volumen consequitur, sed minorem densitatem; et vice versa, si id sensim sensim minus spatium impleat, minus volumen et majorem densitatem obtinet. Quare volumen in extensione impletionis spatii, densitas in intensione ejusdem consistit.

Scholion 1. Densitas absoluta nulla datur, sed semper relativa est; nam impletio spatii a materia determinatur per reciprocam actionem vis repulsivae et attractivae. Materia nempe, quae in spatio A agit, materiam aliam B attrahit, et ut se in spatio A conservet, i. e. ut spatium hoc per aliquod tempus impleat, materiam attractam denuo repellere debet, et quidem, sicut quaelibet vis, in gradu determinato. Cum vero gradusiste impletionis spatii densitas ipsa sit, sequitur, densitatem necessario a nominatis duabus viribus determinari. Ergo non datur densitas absoluta, sed tantum relativa.

Schol. 2. Cum vis materiae repulsivae, seu expansivae, effectus sit impenetrabilitas, ea originaria quoque elasticitas vocatur, quae ab elasticitate empirica distinguenda est. Est autem elasticitas empirica id genus facultas, seu nisus certarum rerum materialium, vi cujus

quantitatem, aut formam vi motrice immutatam, iterum recuperare contendunt, vi illa remittente. Elasticitas isthaec, non solum ut expansiva, verum etiam ut attractiva, vel potius contractiva apparet, pro eo, ac corpus elasticum compressum majorem suam extensionem recipit, aut expansum vicissim contrahitur. Interdum utraque elasticitatis species in uno eodemque corpore locum habet, velut in lamella acinacis inflexa, et mox remissa. Qua verò in relatione sit elasticitas empirica ad originarias materiae vires, enarrare ab hoc loco alienum est. Caeterum consultius foret nomen elasticitatis ad vim originariam expansivam omnium materiarum haud referre; sed saltem ad illam certorum corporum proprietatem, in quibus ea se se nobis in prorsus diverso ab illa charactere exhibet. Minus enim recte sonat, dum initio asseritur, omnem materiam originarie elasticam esse, et postmodum corpora in elastica et non elastica dividuntur, ubi ad novum discrimen inter elastica et non elastica, perfecte et imperfecte talia, et ad eam sententiam proferendam coactos esse videmus, nullum dari corpus perfecte non elasticum, seu absolute durum.

§. 13.

Cum vis motrix cuique corpori insita se se actu exserit, tum secundum certas quasdam regulas et leges vis illa movendi determinatur, modificaturque. Illae propositiones, sive regulae, secundum quas corporum quodlibet in motu et conflictu dirigitur, leges motus appellantur. Ea, quae quantitatem materiae in omnibus naturae corporeae mutationibus universe semper eandem manere enunciat: lex subsistentiae materialis appellatur. Legis hujus realitas in natura materiali in dubium vocari non potest. Quantitas enim materiae universim sumtae est summa substantiarum, ex quibus natura materialis constat, ergo si quantitas illa eadem non maneret, deberet aut augeri per ortum, aut minui per interitum absolutum quarumdam substantiarum materialium; ast nulla oritur nova substantia absolute, nec etiam interit; illud enim per creationem, hoc vero per annihilationem fieri deberet, sed nec vis creandi, nec vis annihilandi creatae substantiae, ac proin finitae, qualis est natura materialis universim, competit,

ut suo loco id evincemus, ergo quantitas materiae universim sumtae, nec augeri per ortum, nec minui per interitum quarumdum substantiarum materialium potest; consequenter quantitas materiae in omnibus naturae corporeae mutationibus semper eadem manet, omnisque ortus et interitus substantiarum materialium apparens duntaxat est, res proin quaevis materialis separatione et additione partium augeri saltem et minui, non vero materia ipsa potest.

Scholion 1. Vis motricis corporibus propriae actiones juxta certas quaspiam et immutabiles leges peragi ipse hujus universi ordo exigit, qui ab omni inde aevo, quantum sive nostra memoria recolere, sive ex momentis retro lapsorum saeculorum eruere possumus, immutatus persistit. Astrorum certe motus iisdem legibus, eoque ordine peraguntur, quo ab omni inde aevo peracti sunt. Id sane nisi ita se haberet, haudquaquam praedici in annos futuros eorundem loca, situsque mutui, et quae ex his dependent phaenomena ita possent, ut eventus praedictioni ea accuratione respondeat, quam ingenii humani limites permittunt. Deinde noctium dierumque vicissitudines, variae anni tempestatum successiones eaedem sunt, quae aliquando fuere. Neque novae animalium plantarumve species eduntur; quaeque variis corporum speciebus aliquando notatae sunt inesse proprietates, iis adhucdum insunt: magnes ferrum ad se allicit, ignis corpora expandit, aurum in subtilissima fila diduci potest, quae omnia a priscis inde saeculis in corporibus his notata fuerunt. Ex his vero recte conficitur, omnes substantiarum corporearum mutationes, id est motiones, certis quibusdam legibus, pulcherrimoque ac immutabili ordine peragi.

Schol. 2. Meliores, ingeniique laude clariores Philosophi, qui ante Aristotelem floruerunt, omnes etiam, qui aetate, aut illi suppares, aut posteriores sunt, recentiores omnes, omnes denique, qui variis, tempore, loco, consilio sapientiae studia illustrarunt, eam esse omnis mutationis materialis naturam existimarunt, ut in illa, non nova quaedam, atque a veteri simpliciter prorsus et absolute distincta substantia produceretur, sed solum vetus substantia ita alteraretur, ut illa proprietates et affectiones omnes sensibiles amitteret, novasque a veteribus diversas indueret; tenuissimas nimirum veteris substantiae partes ita permisceri, novo quodam ordine perturbari, disponi, conjungique putarunt, ut exinde nova novarum proprietatum, accidentium, vel sensibilium affectionum congeries oriretur, quae sensibus nostris novam substantiam, novis nimirum

proprietatibus sensibilibus praeditam, sive sensibiliter a veteri substantia diversam exhibeat, quemadmodum fere crystalli partes in tenuissimum pulverem comminutae, etsi eandem prorsus substantiam retineant, novas sensibiles affectiones acquirunt, novamque fere substantiam exhibent; cerae particulae in aërem vi caloris disgregatae fumum, aquae corpuscula simul concreta glaciem, nova scilicet atque diversa substantiae genera efformare videntur, quod ex varia textura, figura vel ordine novas proprietates sensibiles acquirant. Veterem hanc antiquissimorum temporum opinionem eleganter expressit Ovidius in XV. Metamorphoseon, dum canit:

Nec perit in tanto quidquam, mihi credite mundo,
Sed variat, faciemque novat: nascique vocatur
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; morique
Desinere illud idem: cum sint huc forsitan illa,
Haec translata illuc: summa tamen omnia constant.

(Vers. 252).

Empedocles apud ARISTOTELEM et PLUTARCHUM asseruit, nihil esse naturam, sive ortum rerum, nisi permixtionem et divulsionem elementorum: sic enim scribit in primo libro de naturali Philosophia (I. Plac. cap. 30.)

Jam quod naturam mortales nomine dicunt,
Haec nihil est, neque enim mortem natura, vel ortum
Humano praebet generi: nam mixtio solum,
Mixtorumque subest quaedam secretio rebus;
Idque homines vulgo naturam dicere solent.

Schol. 3. Alii alias allegant leges motus. NEWTONUS *in Philos. Natural. Princip. Mathemat. p.* 12 *eas ad tria* sequentia axiomata reducit: I. Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi, vel movendi uniformiter in directum, nisi quatenus a viribus impressis cogitur statum illum mutare. II. Mutatio motus proportionalis est vi motrici impressae, et fit semper secundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur. III. Actioni contraria semper et aequalis est reactio: sive corporum duorum actiones in se mutuo sunt aequales et in contrarias partes diriguntur. (*Conf. Keil in introd. in veram physicam p.* 115 *et Verdries. in Physica p.* 9.) — *A cel.* BÜLFINGERO *in dilucidationibus philosophicis* §. 170 *sqq.*) sequentes enumerantur leges motus. I. Actioni aequalis et contraria est reactio. II. Effectus plenus semper est aequipollens viribus caussae integrae. III. Persistit in universo eadem virium quantitas. IV. Corpus unum quodque perseverat in motu suo.

§. 14.

Naturam materialem legi quoque inertiae, vi cujus quodlibet corpus in statu suo, puta, quie-

te, aut motu, ejusque directione ac celeritate, tamdiu permanere debet, quamdiu externa quadam caussa non in alium statum fuerit transpositum, subjectam esse, haud licet ambigere. Materia enim duntaxat ut res mobilis consideratur in Hylologia, proinde talis, quae nullis aliis mutationibus obnoxia est, quam quae motu fiunt, caussa itaque mutationum materialium non potest esse interna, siquidem materia, qua talis, internis determinationibus prorsus est destituta, proinde, si ea ex motu in quietem, aut ex quiete in motum transire debeat, ea a causa externa ad id necessitari debet: sed hoc idem est, ac materiam per se, i. e. absolute sumtam, inertem esse, ergo materia absolute sumta iners est.

Scholion 1. Quae huic sententiae opponuntur, ea potissimum haec tria sunt. 1. Materiae vis repulsiva et attractiva originarie propria est, ergo facultas quoque ei competit interna semet ad statum suum mutandum determinandi. R. Neg. Cons. Nam cum nulla pars materiae semet ipsam repellat, aut attrahat, sed partes alias: sane quaelibet materiae pars intuitu alterius caussa est externa motus efficiendi. 2. Experientia docet corpora mota per se ad quietem redigi, Ergo. R. Neg. Ant. Nam externum semper debet adesse impedimentum, quale est v. g. etiam resistentia aëris, quo motus tollitur, aut sufflaminatur, seu excitatur. 3. Corpora viva ex interna sui determinatione statum suum immutare possunt. Ergo. R. N. Cons. Nam vita est principium actuositatis, quod materiae nonnisi sub certis conditionibus, adeoque non universim competit, de qua re infra in organologia ex instituto agetur.

Schol. 2. Cum materia, qua talis, statum suum absque caussa externa mutare nequeat, jure eam inertem appellare licet. Sed inertia isthaec non est positivus quidam ad statum suum conservandum nisus, verum negativus duntaxat, sive impotentia statum suum per se mutandi. Quare cum Keplero materiae non videtur tribuenda esse vis inertiae, id enim foret contradictio in adjecto; siquidem vis mutationem producit, dum actuosa est, vis autem inertiae recte tunc nullam faceret mutationem, dum esset actuosa. Quare non dicendum: Inertiam materiae esse vim statum suum conservandi, sed potius contendendum est: Inertiam materiae, esse impotentiam statum suum absque vi externa mutandi. Neque tamen inertia pro mortua quadam mate-

riae affectiore habenda est, sed pro inanima duntaxat: cum quod mortuum est, id vixisse prius oportebat, quod non de quavis materia praedicare licet. Certe assertio, materiam, qua talem, vivere, quam sententiam Hylozoismum appellant, omnem Philosophiam naturalem extingueret.

Schol. 3. Cum ad quamvis mutationem status materiae caussa externa requiratur, sequitur, quod materia semel in motu constituta, motum hunc, et non alium observare debeat. Debet itaque motus materiae 1. perdurabilis esse, i. e. nonnisi per caussas externas, per impedimenta externa cessare potest. His non accedentibus durat perpetuo. 2. In celeritate sua debet esse aequabilis, i. e. perpetuo talis, qualis in celeritate sua vis pellens, vel impediens. 3. Debet esse in directione sua uniformis, i. e. eandem debet perpetuo retinere directionem, ad quam sumendam a caussa, seu vi externa determinatur; aliam enim si sumserit directionem, vis, seu caussa externa alia accedere deberet. 4. Motus materiae agente vi, seu caussa externa, una in materiam rectilineus esse debet; quivis enim motus curvilineus est productum virium continuatim agentium.

§. 15.

Lex tertia asserit: in communicatione motus actionem et reactionem locum habere debere, et antagonismi materialis nomine insignitur. Hunc obtinere probamus: communicatio motus est actio reciproca; in actione reciproca agunt duo corpora in se invicem, ergo se mutuo attrahunt, et repellunt. Jam vero non potest corpus unum attrahere alterum, nisi simul ab hoc attrahatur, secus enim nulla adesset actio reciproca, et corpora nunquam convenirent: neque potest corpus unum alterum repellere, nisi una ab hoc repellatur, quia secus iterum nulla adesset actio reciproca, et corpus repellens penetraret non repellens, quod fieri non potest, quia corpus est impenetrabile. — Prout igitur corpus A a corpore B attrahitur, ita etiam debet B ab A attrahi; quia si non fieret, nulla actio reciproca adesset, et B et A nunquam convenirent, motus ergo nunquam communicari posset; et prout corpus A a B repellitur, ita etiam debet B ab A repelli, quia si

id non fieret, aeque nulla adesset actio reciproca, et corpus B non repulsum spatium corporis A implere, ergo illud penetrare deberet, quod propter impenetrabilitatem fieri nequit. Patet itaque in communicatione motus actionem et reactionem locum habere.

Scholion 1. Quanta sit reactio, aequalisne, an inaequalis, id vero ad Mathesim determinare pertinet, quae sola in quantitate determinanda versatur. Metaphysica docere duntaxat debet, Antagonismum in communicatione motus locum habere. Quodsi ope Matheseos ostendi possit, actionem reactioni esse aequalem: tum vero quantitas motus in mundo corporeo, quemadmodum quantitas ipsa materiae universe, semper eadem esse debebit.

Schol. 2. Ex hac lege metaphysica liquet, communicationem motus non in forma transfusionis esse concipiendam. Nam secundum repraesentationem Transfusionistarum, corpus A mere active, et corpus B mere passive semet habere deberent, quo omnis communicatio seu commercium tolleretur. Unde id quoque hinc simul appareret, essentialem esse differentiam inter legem antagonismi, legemque inertiae. Nam lex inertiae id tantum enunciat, corpus quodque statum suum per se mutare, nisi alio impellente, non posse: lex autem antagonismi docet, actionem cum reactione esse semper conjunctam, proinde activitatem et passivitatem nunquam unilateralem, sed semper bilateralem esse. Utraeque leges autem non empirice, sed a priori sunt determinatae, proinde cum summa universalitate et necessitate conjunctae.

Schol. 3. Confirmat legem hanc experientia. Quis enim nescit pilam in terram et lapidem duriorem projectam resilire? Qua vero ratione resiliret pila, nisi pressioni pilae resisteret terra et lapis, sive, quod idem est, reageret? Quis porro nescit, hoc majori cum impetu resilire pilam, quo fortiori majorive vi in tellurem dejicitur?

§. 16.

Quarta demum lex continuitatis mechanicae vocatur, vi cujus corpus quodvis ex statu suo in alium, puta e quiete in motum, e motu in quietem, ex hac motus celeritate et directione in aliam, nonnisi sensim sensim, h. e. non in momento, sed per intermedia tempora successive transit. Quare motus in quietem nonnisi per

retardationem, et quies in motum nonnisi per accelerationem transire, quemadmodum motus universim nonnisi per sollicitationem communicari, potest. Natura materialis in suis mutationibus hanc quoque legem observat. Vi enim 1. legis continuitatis nunquam fit transitus in mundo ab uno statu ad alium, neglectis statibus intermediis, sed progressus ubique continuus observatur; igitur in mundo quoque materiali corpus quodvis ex statu in alium, puta e quiete in motum, ex motu in quietem, ex hac motus directione et celeritate in aliam sensim sensim i. e. non momento, sed per infinita intermedia tempuscula transit. 2. Cogitemus momentum illud, quo corpus ab altero ad motum sollicitatur, ut infinite parvam temporis particulam: tunc vero corpus movendum ista temporis particula resistentiam omnibus moventis corporis viribus parem praestare non valet, sed solum infinite parvam; igitur illud per hoc ad motum sollicitabitur, i. e. movebit illud se primo momento cum celeritate infinite parva; sed quia sollicitatio crescente sequentibus momentis resistentia crescere debet, motum quoque augeri oportet; igitur corpus e quiete in motum pedetentim, hoc est, per accelerationem transit. Si vero e contra corpus ex motu in quietem transire debet: vis movens opposita corpori moto infinite parvam resistentiam opponet momento primo, proinde diminutionem quoque motus nonnisi infinite parvam efficiet: ast sequentibus momentis resistentia eo magis crescet, quo magis motus diminuitur, ergo vis movens motum corporis nonnisi sensim sensim i. e. per retardationem debilitat, dum motus prorsus cessat, corpusque motum quiescit.

Scholion 1. Quaevis naturae materialis mutatio tres diversos complectitur status, praeteritum nempe, subsequentem, et in-

ter hos medium. Quodcunque enim mutatur, ex statu determinato in alium determinatum statum transit. Transitus iste necessario in tempore fieri debet. Tempus vero, in quo materia aliqua in alium transit statum, non est tempus prius, est tempus a priori diversum, ergo tempus subsequens. Inter duo autem tempora dantur tempora media, obveniunt itaque in quavis naturae mutatione tres diversi status, nempe status materiae in tempore praeterito, status praeteritus, status materiae in tempore subsequente, status subsequens, et status materiae in temporibus mediis inter praeteritum et subsequens. Ex adlata in §-o lege id quoque sequitur: non dari hiatum, non saltum in mundo corporeo; si enim daretur saltus, deberet materia ex statu A in B transire, quin fuisset in statu intermedio, hoc vero est juxta mox probata impossibile, ergo etiam saltus in mundo materiali est impossibilis. Et hinc nec creatio, nec annihilatio per vires naturae est possibilis.

Schol. 2. Cum dicimus nullum dari saltum, nullum quoque dari vacuum asserimus. Si enim vacuum daretur, daretur vel in sensu phoronomico, vel dynamico, vel mechanico, vel phaenomenologico. At sub nullo horum quatuor respectuum dari potest; non in sensu phoronomico: spatium enim vacuum hoc sensu est tantum idea spatii vacui, nihil reale; non respectu dynamico: spatium enim vacuum sensu dynamico est spatium non impletum, in quo nihil existit, in quo vis repulsiva nulla agit, quod igitur qua realiter existens cogitari nequit, cum omne spatium a materia praesente impleri debeat, propter vim materiae expansivam Hinc etiam non datur spatium vacuum mundanum, nec coacervatum, nec disseminatum. Non respectu mechanico: spatium enim vacuum respectu mechanico esset spatium coacervatum motui corporum destinatum. Sed corpora haec, planetae, moveri possunt; repellunt enim per vim suam repulsivam corpora alia. Non denique respectu phaenomenologico: spatium enim vacuum phaenomenon non est; non est quid perceptibile, sed tantum quid cogitabile, quid logicum, ut videlicet aliquid habeamus, in quo omnis materia et motus ultimatim reponantur. Sequitur inde motum in materia, et materiam in materia existere, materiam in materia moveri, hinc omne spatium impletum esse. (*Venzel Met. p.* 92).

MEMBRUM II.

Organologia metaphysica.

§. 17.

Cum rei cuivis in natura, non magis majori, quam minori, peculiaris quaedam forma propria

sit, qua se ab aliis rebus magis, aut minus discernit, et cum formae hae rerum materialium universe in perpetua quoque successione semet conservent, etiamsi individua mutentur, aut plane intereant, profecto necessitate victi, peculiarem quampiam vim, a qua formatio illa rerum materialium originarie dependeat, admittere debemus, quam vim naturae, formativam, seu Plasticam universalem, aut originariam appellare solent. Vis haec originaria materiae, principio in eo genere formationis actuosa est, quod nobis, ut mera certarum materiarum aggregatio et cohaesio sub determinatis figuris appareat, quam etiam crystallisationem nominant. Verum longe alia ratione vis formativa actuosa est in effectione talium corporum, quorum partes, ut ad se mutuo pertinentia, et reciproce ad se invicem referenda membra Totius cujusdam in se perfecti apparent, quaeve semet intus susceptione et assimilatione certarum materiarum in determinata sua forma conservant, proinde in tali formationis ratione, quam organisationem nuncupant. Unde corpora prioris formationis inorganica, posterioris vero organica dicuntur, et vis illa formativa naturae in altiori hac sua potentia sumta, dici quoque potest vis organica, haecque ut nisus formativus, seu plasticus cogitari debet, cum ea perpetuo per se ipsam actuosa sit, et propter quam res materiales nisum praeseferunt, manifestantque semet in certis formis, quae quantumvis regulae congruae sint, attamen ut fortuitae apparent, explicandi, aut jam explicatas conservandi.

Scholion 1. Naturae scrutatores omnia corpora naturalia in organica et non organica dividere solent. Haec oriuntur, augentur et intereunt iterum, et quidem secundum leges duntaxat mechanicas, secundum leges affinitatis chemicae. Vi hujus electi-

vae affinitatis quaedam substantiae in natura cohaerent, et corpus quoddam, seu totum efformant, quod per continuatam accessionem homogenearum partium semper magis et magis crescere solet, quin in interna hacce materia determinatus quidam ordo, vel vasa, in quibus succi elaborantur, aut activa quaedam vis observetur. Quin potius internum ejusdem vita carens sine omni mutatione tamdiu in statu connexionis perseverat, donec alter situs, aut aliae circumstantiae ejusdem solutionem, seu conjunctionis partium separationem caussent et perficiant. Interire tum oportet corpora non organica, eorumque partes constitutivae novas subeunt connexiones. Alio prorsus modo oriuntur, augentur, et intereunt corpora naturae organica. Germen ortus eorundem in corporibus illis prorsus similibus continetur, et illorum existentia in continua serie individuorum sibi similium usque primam sui generis procreationem se se extendente fundatur. Non per vim mechanicam, nec per solam chemicam affinitatem, ut in lapidibus et mineralibus aliis obtinet, verum per internam, vivam, formativam vim germen in homogeneo corpore producitur, et per eandem etiam post sui a materno suo corpore separationem evolvitur, perque interna vasa, quae peregrinas materias, in eam corporis, ad quod pertinent, incomprehensibili modo assimilant, alitur. Hac ratione corpora organica crescunt, dum summam incrementi sui mensuram attingendo, novorum individuorum germina in illis evolvantur, pedetentimque suae resolutioni appropinguent. Exhinc discrimen inter organica et non organica corpora conficitur. Recte omnino corpus organicum ut artificiosum quoddam activum, non moventem duntaxat, sed formantem quoque vim continens ens spectaveris, quod nequaquam per materiae ab extus agglomerationem, verum per ejusdem in se susceptionem et elaborationem ab intus foras versus crescit et augetur. Materia organici corporis incremento inserviens, videtur saltem quoad formam, qua in illud assumitur, non autem reipsa eidem peregrina esse; secus enim qua ratione ab organis, seu instrumentis ejusdem, assimilari posset? Non videntur itaque illi naturae scrutatores errare, qui peculiarem quamdam propriamque in natura organicam materiam assumunt, ab ea mineralium corporum prorsus diversam, quae per nullam operationem in hanc, prout haec in illam, converti mutarique possit. Existentiam similis organicae, h. e. organizationis capacis materiae, propugnat illud phoenomenon, quod animalia animalibus, et productis ex regno vegetabili et animali desumtis, plantae vicissim animalibus plerumque aut etiam vegetabilibus duntaxat vescantur. Nec obest huic assertioni, quosdam Americae meridionalis incolas tempore famis terra vesci, id enim non alia ex caussa, quam ne stomachus eorundem penitus flaccescendo contrahatur, facere videntur. Nec illud subsistere videtur, carpiones, alios

que pisces et conchylia suum ex parte nutrimentum in limo reperire; limus enim, ut passim in lacubus, aliisque aquis invenitur, copiam plerumque animalium et vegetabilium partium continet, et haec sunt, quae dictis animalibus nutrimento inserviunt. Quod denique plantas adtinet, videri omnino posset, quasi minerales saltem materiae earundem nutrimento servirent, at hic etiam evidenter observatur, incrementum earundem vel maxime a copia contentae in terra organisationis capacis materiae dependere. Excrementa animalium stercorationi sunt maxime idonea, hanc excipit terra evulsis plantarum diversarum partibus impregnata, utraque incremento maxime opportuna. Nec proficit plantarum incrementum in terra animalibus et vegetabilibus materiis prorsus destituta, imo nec hoc exiguum, quod observatur, locum haberet, nisi eae ex aëre et aqua, sine dubio pariter ad organica corpora pertinentia, nutrimenta insugerent susciperentque. Non qua nutrimentum, sed ad necessariam mixtionis rationem duntaxat producendam, nonnunquam salia, aliquas terreas ferreasque particulas vasa animalium et vegetabilium corporum, et id etiam casu saltem, in se recipiunt, suumque in usum convertunt. Recentissimis chemicis observationibus conformiter, partes fundamentales constitutivaeque corporum organicorum esse videntur praecipuae: carbonicum, azoticum, quibus adhuc tamen, ex parte aliqua, materia lucis, caloris, materia electrica, hydrogenium, oxygenium, sulphur, phosphorus, soda, alcali vegetabile, terra silicea, argillacea, terra calcaria, magnesia, terra ponderosa, ferrum et manganesia accedit. Haec sunt illa elementa, in quae artificiosa horum corporum solutio abit. Homo itaque gaudet quidem potentia corpora organica resolvendi, at vi, ex partibus his constitutivis organicum iterum ens producendi, non tantum destituitur, sed illam penitus ignorat.

Schol. 2. Formae entium organicorum multo magis et fere in infinitum variant, neque ex legibus mechanicis et chemicis intelligi possunt; praecipue autem character fortuitae conditionis, qui in peculiari rei cujusque organicae forma dominatur, simpliciter nos cogit, ut peculiare quoddam altiusque principium sumamus, quod reciprocam materiarum influxum mechanicum et chemicum tali ratione modificet, ut materia inorganica formae organicae semet subjiciat. Atque hoc ipsum principium intelligimus nomine nisus formativi, qui a mera vi formativa multum differt. Quare organismus est technicismus naturae, supra merum mechanismum et chemismum exaltatus.

Schol. 3. Sunt, qui crystallisationem pro imperfecta organisatione, et organisationem pro perfecta crystallisatione haberi volunt, sed falso. Nam si experientiam

consulas; velis nolis, fatendum est, excrescentiam plantae ex semine, et partum pulli gallinacei ex ovo foecundato, longe plus et diversum quid ab eo esse, quod praecipitantiam et evaporationem vocant. Quamvis ergo vis formativa naturae in crystallisatione cum viribus mechanicis et chemicis quoque coincidat: attamen, quamdiu vires mechanicae et chemicae viribus organicis subordinantur, ut hae in quopiam naturae producto dominentur, vis organica a vi formativa in crystallisatione, velut ab ea diversa, distinguatur necesse est. Simulac autem vires mechanicae et chemicae viribus organicis praevalent, tum vero organismus tollitur, licet postmodum eadem vis naturae solutas hac destructione materias, vicissim ad novam organisationem convertere possit, quod quotidie opportunitate putredinis corporum videre licet. Proinde destructio et productio in natura perpetuo sunt conjunctae, ut natura quodammodo dici queat, esse animal, quod se ipsum devorat, et vicissim parit.

§. 18.

Quodsi ad naturam materialem ceu totum reflectimus, discrimina rerum singularium illico tolli necesse est. Tum enim quaelibet ejus individua, tamqnam necessario ad se pertinentia, separatam quamdam et independentem a se mutuo existentiam nequaquam habentia, verum ut partes reciproca inter se relatione, proinde ut membra totius cujusdam in se consummati, semetque continuo formantis et conservantis arctissime inter se connexa, apparent. Quoniam autem principium organismi, prout naturam percipimus, praecipua cum energia in certis iisque affinibus productis, plantis videlicet et animalibus actuosum est, ea, ut partes totius organicae ad potentiam evectae, jure per eminentiam organica naturae producta appellantur. Hinc intelligitur, naturam pariter ipsam universe, ut totum quoddam organicum considerandam esse.

Scholion 1. Tam majora mundi corpora sphaerica, quae in immenso illo spatio, ut puncta lucida, seu superficies percipiuntur, et partim propria luce corruscant, partim ab aliis collustrantur, quibus posterioribus nostra quoque

tellus cum suo satellite, seu luna, accensenda est, quam etiam corpora minora variae formae ac proprietatis, partim viva, partim inanima, quae in tellure nostra posita sunt, tam solida, quam fluida, Totum naturae efficiunt, quod semet in continuo perpetuoque nexu conservat et effingit protenus.

Schol. 2. Licet naturam materialem universim sumtam, ceu totum organicum cogitare oporteat; universalis tamen iste organismus ab individuali illo animalis tantopere diversus est, ut nonnisi per saltum vitiose argumentando possit concludi, mundum esse animal quoddam magnum, animamque ipsi competere eo sensu, quo eadem homini et bruto tribuitur. Si vero per animam mundi diversum aliquod ab anima principium intelligatur, consultius foret hoc termino abstinere, ne secus in Philosophiam somnia veterum revehantur, aut saltem iis revehendis occasio detur. Dum porro in natura materiali ad explicanda phaenomena vim formativam originariam pro principio sumimus, Deum esse auctorem et formatorem materiae mundanae minime negamus, imo qua talem cum plena convictione adoramus, uti id tam ex principiis ontologicis, quam et ex Cosmologia Theologiaque suo loco apparebit. At cum hic loci, qua seduli naturae indagatores, eventuum naturalium caussas naturales et proximas quaeramus, ad immediatam caussalitatem Dei confugere, nisi omni scientiae naturae finem imponere velimus, non potuimus.

§. 19.

In omnibus naturae productis organicis, certum quemdam nisum motorium, seu mobilitatem ex se et per se producendam reperimus, quae tamen per constantem cum objectis externis conflictum in variis gradibus perpetuo conservatur, quamque vitam dicimus. Est ergo vita nihil aliud, quam resultatum, seu productum incitabilitatis cuilibet enti organico propriae, et illius, quacunque demum ratione orti, stimuli, quo incitabilitas in realem incitationem transponitur. Consequenter actuositas vitalis est actuositas organica, et vis vitalis est vis organica; nam quamdiu vis organica in quopiam corpore actuosa est, hoc ut vivum apparet; utprimum autem haec, vi mechanicarum, aut chemicarum potentiarum opprimitur, illud ut mortuum se se nobis exhibet.

Scholion 1. Si nomine vis vitalis, vis quaedam a vi organica diversa, et ab organismo prorsus independens intelligeretur, illa nil, nisi conficta foret; cum enim vitam duntaxat in entibus organicis percipere liceat, nulla est ratio, cur praeter vim organicam etiam vim vitalem statuamus. In quantum autem corpus quodpiam vi sui organismi incitabile est, incitabilitasque haec ope certorum stimulorum in incitationem transit, proinde phaenomenon vitae ex ipso organismo egreditur, in tantum vis organica, vis quoque vitalis appellari potest. Quare vita est commune duorum factorum productum, puta incitabilitatis et stimuli, quorum scilicet recipiendorum corpus vi sui organismi capax est, ita, ut ex dato incitabilitatis certo gradu, dataque proportione stimuli ad eandem, determinata quaedam vis actuositatis, certaque bonae aut malae valetudinis corporis organici conditio provenire debeat. Hinc porro sequitur: sanitatem esse statum aequilibrii proportione illa, quae inter duos dictos factores intercedit, determinati, ut sic necessarium ad salutem physicam robur incitationis adsit; contra morbum esse statum aequilibrii disproportione inter duos factores intercedente, sublati, itat ut neessaria ad physicam incolumitatem fortitudo incitationis amplius non adsit. Haec autem incitationis fortitudo non adest, sive dum incitatio justo debilior est, asthenia vocata, sive cum ea justo validior est, hypersthenia dicta (male sthenia appellata). Utrique status sunt declinationes ab ideali proportione normali, status sanitatis perfecti, proinde abnormitates, quae primum in altiori tantum gradu sensibiles, periculosaeque fiunt, et tunc pro realibus morbis habentur cognoscunturque. Ambos hos status sequi potest mors, h. e. status, in quo incitatio in corpore organico penitus exstincta est, et duntaxat mechanicae et chemicae vires agunt. Caeterum positis quoque omnibus his explicationibus, ipsum vitae phaenomenon, dulcis illius amoenaeque consuetudinis existendi et agendi, mysteriorum plenum obscurumque est, et qua tale etiam manebit.

Schol. 2. Cum vita conditionibus organismi alligata sit, natura vero materialis, ceu totum organicum spectari possit, eandem ceu totum quoddam vivum cogitari debere, palam fit. Quia tamen vita nobis nonnisi in individualibus rebus ceu vita realis se se exhibet, hacque solum ratione cognoscibilis est, et quia individualia haec naturae entia determinata forma organica, aut ut animalia, aut ut plantae praedita sunt, hinc omni experientiae et rationi repugnaret, neque philosophice specularetur, sed poëtice imaginaretur, vel potius somniaret ille, qui cum physicis quibusdam hodiernis statueret: „*totum quantum universum infinitum unum esse ens vivum, seu magnum universitatis animal, sidera quaevis, animalis hujus universalis organon esse peculiare, omniaque hujus generis organa, unum illud ens aeternum, fluidum, scilicet elasticum, seu Deum efficere.*"

§. 20.

Cum vita organica in activitate interna consistat, se aliter manifestare non potest, quam per reactionem in impressiones externas, i. e. per receptionem harum impressionum, earumque modificationem. Hinc lex organica fundamentalis sequens est: corpus organicum recipit impressiones externas, et in eas reagit, quae lex etiam lex incitabilitatis appellatur. Vi hujus legis corpus organicum recipit impressiones externas, redditur activum, exercet activitatem suam in impressiones has, assimilat, format, excernit, propagat speciem suam, et moritur. Unde lex illa fundamentalis organica has suppeditat leges derivativas: puta: assimilationis, formationis, excretionis, propagationis, et desorganisationis. Assimilatio est illa functio organismi, vi cujus determinata materiae organicae mixtio in corpore organico conservatur; quod fit: 1. per attractionem particularum ad organismum constituendum aptarum; 2. per commutationem harum particularum in materiam organicam corpori organico similem; 3. motum mechanicum non interruptum; et denique 4. per decompositionem chemicam et novam combinationem harum particularum, ut ex iis substantia cum corpore organico homogenea oriatur. Formatio est functio organismi, per quam materiae organice mixtae, forma organica, textura et structura accedit. Secretio est functio organismi, per quam omne illud ex corpore organico excernitur, quod ejus naturae organicae, substantiae et activitati nocere potest, quod fit per ejectionem omnis materiae inorganicae, et per vim medicatrícem naturae organicae, quae conatur harmoniam in organismo

per caussas externas turbatam restituere. Propagatio est nisus corporis organici novum suae speciei productum organicum efformandi, sicque suam speciem conservandi. Desorganisatio est ille per morbum caussatus status corporis organici, ubi diversis gradibus celeritatis organismus esse cessat.

Scholion 1. Propagatione conservantur genera per novorum individuorum productionem, seu generationem. Generatio in univocam et aequivocam dividitur; illa est productio organici ex organico, haec productio organici ex inorganico. Impossibilitas generationis aequivocae demonstrari nequit; nam cur principium formativum, quod in universa natura dominatur, ex materia inorganica, organicum quodpiam ens progignere non posset? Quod autem certa quaedam entia organica e. g. sic dicta animalcula infusoria hac ratione, sine ullo jam praeexistente, ab aliis ejusmodi animalculis producto organico semine oriantur, pariter ostendi nequit. Nam quis demonstrabit nostris armatis etiam oculis minima organica semina videri posse? — Generatio univoca vicissim in homogeneam, seu homonymam, et heterogeneam seu heteronymam distribuitur; illa productionem organici per organicum ejusdem speciei: haec productionem organici diversae speciei innuit. Possibilitas generationis heterogeneae pariter negari nequit; et etiamsi omnia hodierna entia organica a certis simplicibus formis originariis originem traherent, principio tamen generationes heterogeneas locum habuisse necesse est. Et alioquin etiam nunc supersunt vestigia similium generationum, quae in certis nisus formativi aberrationibus ab originariis organicis formis recesserunt. Generationes vero dimidiatae homogeneis accenseri possunt, cum illa, ut mixtae speciei producta entia, bastardi dicta, mixtam quamdam formam assumant, eo, quod illorum formatio ex formis producentium quodammodo composita sit.

Schol. 2. Cum omnes mutationes materiae organicae una vi, sic dicta organica, efficiantur, haec pro diversis his functionibus diversa sortitur nomina; nempe: quatenus integrum aliquod corpus conservare nititur, vis altrix, quatenus ad partes vel deperditas, vel disjectas restituendas tendit, vis reproductrix, quatenus denique genera conservare conatur per productionem novorum individuorum, vis genitrix, vel propagatrix audit.

§. 21.

Cum natura formatrix producta sua in maxima, quae fieri potuit, varietate protulerit, ratio

nostra vi suae ad absolutum tendentiae respectu cognitionis cogitur producta illa naturae, ut totum quoddam systematicum considerare, ea intuitu similitudinis et dissimilitudinis eorundem ad se invicem comparare, atque ut totum illud plene perspicere queat, plenam eorum classificationem effingere. Sed hujus generis classificatio nunquam non est artificialis, rationibus tamen naturalibus niti debet, licet ea semper imperfecta maneat, eo, quod naturam adaequate assequi nequeamus. Et cum quaevis naturae producta, aut organica, aut inorganica sint, sensu proprio nonnisi duae sunt cardinales classes, seu duo productorum naturae regna. At quia organica naturae producta vicissim sunt duplicis generis, scilicet animalia, quae per motum, quem edunt spontaneum, ut animata, et plantae, quae, ob defectum id genus motus, ut inanimata entia apparent, nihil impedit, quominus membra subdivisionis cum illis coordinentur, sicque tria productorum naturae regna assumantur, puta: regnum animale, vegetabile et minerale.

Scholion 1. Naturae curiosi systema Physiographiae in naturale et artificiale distinguunt. Systema Physiographiae tunc est naturale, si in divisione naturae productorum, ad discrimina illa et similitudines, quae se in totali singulorum productorum prospectu statim oculis nostris exhibent, respiciatur; artificiale autem, si ad singulares distinctivasque proprietates, quae nobis se se nonnisi accuratiori lustratione instituta exhibent, reflectamus, easque pro fundamento divisionis assumamus. Systema itaque physiographiae tunc esset naturale, si id omnibus externis criteriis, totoque productorum naturae habitu nitatur; contra artificiale, si id a singularibus characteribus petitum sit v. g. in animalibus ab ungulis et unguibus secundum Aristotelem, aut a dentibus secundum Linnaeum. Enimvero cum natura nihil classificet, sed individualia duntaxat naturae producta exhibeat, artique humanae negotium classificationis relinquat, patet omnem classificationem artificialem esse, quam tamen, ut subsistat, a naturalibus rationibus pendere necesse est. Quare inter systema naturale et artificiale nullum discrimen specificum

intercedit, sed tantum graduale, pro eo ac, jam ad plures, jam ad pauciores notas characteristicas respicitur. Prior methodus naturae magis accomodata, posterior artificialis magis putanda est; illa in generibus, hac in speciebus determinandis utendum.

Schol. 2. Quaelibet nostrae classificationes sunt imperfectae, partim ideo, quod universam naturam cum suis omnibus generibus et speciebus cognoscere nequeamus; partim ideo, quod species productorum in natura ita stricte distinctivos limites non habeant, prout ad perfectum classium systema necesse foret, sed potius per reciprocam cognationem in se quasi confluentes confusae appareant; uti hoc exemplum specierum intermediarum docet, de quibus, num ad hanc, vel ad aliam classem pertineant, determinari nequit. — Caeterum optandum foret, ut diversae productorum naturae classes his titulis insignirentur: regna, ordines, familiae, genera, et species.

Schol. 3. Discrimen animalis et plantae tam clare unius cujusque intuitioni per naturam exhibetur, ut nihil amplius desiderandum videatur: attamen conceptum de discrimine isthoc distinctum et praecisum informare non caret difficultate. Hunc inquirere, Philosophiae naturalis opus est. Scilicet utraque entium organicorum classis ee nutrit, sui simile generat, et vivit, verum quanta tamen inter utramque differentia! Vita enim animalium per motus se annunciat, qui characterem spontaneitatis in se continent, quos nos non possumus non ad certas repraesentationes, velut rationes internas referre, et cum principi m illud, unde motus spontanei animales existunt, anima nominetur, jure vocantur animalia, res animatae, seu animalia, contra plantae res inanimae seu inanimalia, cum neque in nutritione, neque in generatione, neque in aliis vitae suae functionibus ullos prodant motus spontaneos. Quodsi itaque animatum esse, characteristicum discriminis animalium a plantis criterion constituat, cum verbis ludere dicendus foret, qui animalia plantas animatas, et plantas inanimata animalia nominaret, aut de animabus plantarum generatim sermonem duceret. Contra locomotivitas, et locofixitas universalem notam characteristicam regni animalis et plantarum non exprimunt, cum multa animalia destinatum ipsis semel a natura locum per se ipsa relinquere non possint, sed in illo parte ex una figantur, et se cum aliis saltem partibus corporis sui sponte commoveant; multae autem plantae plane non sint loco affixae, ac proin suum locum, quamquam sine ullo spontaneitatis vestigio, mutent. Characteres itaque hi universalem distinctionis inter animalia et plantas notam non constituunt. Hoc facilius a diversa nutritionis ratione peti posset, nisi hic quoque discrimen fundamentale ad motus spontaneos recideret; animalia enim, dum se se nutriunt, sponte moventur, non item plantae. Atque

haec est etiam caussa, cur animalia per eminentiam prae plantis certis gaudeant partibus (v. g. nervis, velut principis sensibilitatis et inde dependentibus sensibus): per quas in illis repraesentationes de objectis externis excitantur, et certis aliis partibus (v. g. musculis velut organicis irritabilitatis principiis: per quas spontanee, aut non spontanee etiam moventur.

Schol. 4. Quod consuetam 3 naturae regnorum distributionem, quae ab Aristotele ad nos descendit, attinet: sane longe rectius logice foret, si nonnisi duo sumerentur regna, inorganicum puta, et organicum, atque ambo vicissim in duas classes dividerentur, scilicet: regnum organicum in corpora vegetabilia seu plantaria, animaliaque, et regnum inorganicum in corpora fluida ac rigida. Certe nulla caussa solida allegari potest, cur in systematibus physiographicis species corporum fluidorum non ita characterisare, seu describere placuit, prout species corporum rigidorum, cum praecipue absque illis, ne rite quidem suis quaeque characteribus possint insigniri. Si argentum vivum, et petroleum potuerunt exponi, cur non etiam aqua et aër? — tertia vero Physiographicae pars, quam inepte Mineralogia dicta sit, facile liquet.

§. 22.

Ut perfectissimum omnium sphaerae suae animalium jure merito homo sibi ipsi apparet; cum is, etiamsi nulla alia re a reliquis animantibus discerneretur, sola jam ratione supra animalitatem brutam, mero instinctu impulsam, longissime extolleretur. Scilicet ratio est, vi cujus homo determinatae cujusdam, ac perspicuae designationis communicationisque cogitationum et sensationum suarum h. e. loquelae capax est, quae voci animali longe anteponenda; — ratio est, qua is semet cum omnibus animalibus sui generis in societatem humanam conjungit; — ratio est, vi cujus is ipse sibi legislator, executorque voluntatis propriae, h. e. sui juris est; — ratio est, qua is ultra carceres, quibus eum natura circumscriptione mundi materialis inclusit, ad aeternitatem et infinitatem contendit, et hujus contentionis vi majoris semper majorisque perfectibilitatis capax

fit; ratio est, qua is documento firmissimo probat, se ex altiori, supersensuali, spirituali quodam mundo natum esse, jusque se simul habere mundum materialem finibus suis subjiciendi, dominiumque in terram exercendi. Quo consilio tribuit quoque illi natura organisationem quam convenientissimam, ita, ut is, etiamsi non in individuo, in toto tamen, quodlibet aliud animal longissime omnino superet.

Scholion. Nobiliorem homini organismum quam bruto ab Auctore naturae impertitum fuisse, patet ex structura cerebri humani, quod in nullo animante tam perfecte elaboratum, tam subtile, tam proportionaliter grave, tam mobile et teres fibrosumque reperitur. Patet id quoque ex situ pulchriori et proportione hujus visceris; commode enim et admodum bene distributum explet calvariam, fitque hac ex caussa aptum cogitationum organon, cognitionumque tabularium Patet denique id ex situ hominis incessuque erecto; si enim homo terram versus, ut brutum, corpore inclinatus esset, si quatuor, ut brutum, incederet pedibus, caputque, ut brutum, ad vorandum tantum formatum haberet, sublimior in homine vix reperiretur anima, quam in bruto. Sed et per liberum manuum suarum usum, erectum dentium incisorum inferiorum situm, mentumque prominens eum a brutis distingui Blumenbachius propugnat. Esse vero hominem inermem, ut Physiographi volunt, falsum est: cum is manibus, unguibus, dentibus, pedibusque et se defendere, et etiam hostem infestare valeat, et prosternere. Inopem vero esse hominem recenter natum adeo verum est, ut nullum animal magis tale esse videatur. Diutissime scilicet is in infantia restat, tardissime vires ejus naturales explicantur, proinde sero nimis facultatem standi, eundi, semet alendi, et procreandi consequitur. Contra, nullum est animal, quod intuitu alimentorum suorum, locique, habitationis tam minime circumscriptum esset, quam homo, qui ea ex utroque naturae regno eligere petereque, et in omnibus regionibus habitabilibus commorari potest, quo ipso, dominium suum super terram vel maxime valet extendere.

§. 23.

Quodsi ad naturam organicam universe reflectimus, intelligimus, universalem ejus characterem in vita positum esse. Enimvero vita isthaec, aliter in plantis, aliter in animalibus, et vi-

cissim aliter in meris animalibus, quam in homine, nobis exhibetur. Vita plantarum, est vita spontaneis motibus, conscientiaque destituta; vita animalis, est vita cum motibus spontaneis et cum conscientia; et quidem, aut mera vita animalis, cum motibus spontaneis et irrationali conscientia; aut vita humana, cum motibus spontaneis conscientiaque rationali conjuncta.

Scholion. Conscientia consistit in functione sciendi τοῦ esse; functio vero sciendi, aut in mera intuitione et sensatione continetur, aut ad cogitationem ipsam extollitur. Atque haec sciendi functio per solam rationem possibilis est. Nam scientia ipsius esse altiorem repraesentationum combinationem requirit, siquidem ea in recognitione illius veritatis inest, quod videamus, sentiamus, aut cogitemus; veritas autem id genus idea est, ad quam nullum ens irrationale ascendit. Quare solus homo cum ratione scit se esse, resque alias extra se esse; siquidem is se ipsum, suum Ego, aliasque res extra se, seu Non-ego cogitat, adeoque in et per suam cogitationem subjectivum et objectivum sibi invicem opponit, unumque ad alterum reciproce refert; is ergo solus quoque scit, quod is, quoad se, et quoad alias res facit, facereque debet. Sola itaque eius scientia est intelligens quaedam, seu rationalis scientia, dum scientia animalis irrationalis et mera sensibilis scientia est. — Caeterum jam olim antiqui vitam plantarum, animalem et rationalem tamquam totidem vivendi species, seu gradus distinxerunt. Enimvero ii discrimen hoc solide positum, aut falso applicarunt: cum homini rationalem et irrationalem animam, vel etiam tres animas, puta: vegetativam, sensitivam et cogitantem tribuerunt, ac primam quidem in abdomine praecipue in stomacho, secundam in pectore, praesertim in corde, tertiam in capite ibique in cerebro locaverunt; aut de mortalitate, et immortalitate variarum harum animarum amplius speculati sunt, vel potius phantasias ediderunt, originemque mali, ex repugnantia earundem explicare adnisi sunt.

SECTIO II.

METAPHYSICA SUPERIOR.

INTRODUCTIO.

§. 24.

Metaphysica inferior soli sensualis, seu materialis naturae indagationi suam impendens operam, rationi nequaquam satisfacere videtur, eo, quod intra terminos hujus naturae perceptibilia, eidem duntaxat ut relativa et conditionata, proinde finita et limitata exhibeantur. Ea itaque beneficio idearum suarum ad suprasensualem naturam semet extollit, in qua tandem illud, quod absolutum et inconditionatum est, per se inventum iri sperat. In quantum ergo ratio objecta, illis ideis cogitata, ut realia cognitionis objecta, considerat, atque conceptus pure metaphysicos decretaque ex his elicita ad eadem applicat, Metaphysicam objectorum suprasensualium delineare adlaborat, quae, ob eam ipsam caussam, jure Metaphysicae applicatae accensetur. Cum porro tres sint ideae cardinales rationis, puta: idea de universo, tamquam absoluto, seu de totali rerum, in spatio et tempore quidem existentium, sed in sua totalitate non apparentium complexu; — idea de anima, tamquam absoluto subjecto, seu substantia simplici; — idea denique de Deo, tamquam absoluta omnis subjectivitatis et objectivitatis ratione originaria, seu de ente realissimo: Metaphysica quoque objectorum suprasensua-

lium, quam ideo Metaphysicam sublimiorem, seu superiorem vocamus, in tria capita distribuitur, quae Cosmologiam, Psychologiam, et Theologiam metaphysicam in se complectuntur.

Scholion 1. Cum tres absoluti species cogitari possint, sequitur, tres proprie dari primitivas, seu cardinales rationis ideas, a quibus plures aliae derivantur. Cogitantes nempe omnia phaenomena, in spatio et tempore occurrentia, totum nobis repraesentamus, quod alterius totius pars esse nequit, quodque mundum appellamus. Cum autem perceptioni nostrae sola phaenomena, nunquam autem universum se se offerat, sequitur, repraesentationem mundi, tamquam absoluti totius, meram esse ideam, quam cosmologicam appellant, a ratione intellectui, ceu regulam, in hunc finem propositam, ut illa duce observationes et investigationes phaenomenorum continuet, atque ita ad ideam perfectionis omnis naturae cognitionis propius accedat. Cum porro omnes repraesentationes nostrae entia per se existentia non sint, sed merae determinationes: supponunt aliquid, quod ultro determinatio esse non potest, sed cui determinationes illae inhaereant, i. e. subjectum, quod alterius subjecti praedicatum non sit, i. e. animam, quam, licet sensibus percipi non possit, ceu ultimam absolutamque conditionem omnium statuum repraesentare oportet; est itaque idea rationis, et nomen psychologicae ideae nanciscitur. Ratio denique unicam omnium phaenomenorum caussam cogitat, eamque sibi, tamquam ens perfectissimum, tamquam absolutum omnium realitatum, perfectionum, ordinisque in mundo conspicui caussam repraesentare debet. Idea haec theologica audit, ejusque objectum Deus est. Hac facem praeferente, intellectus leges et constitutiones naturae scrutari potest, quo in negotio eo felicius versabitur, quo vividior perfectissimi Conditoris universi repraesentatio menti obversabitur.

Schol. 2. Quamdiu ratio in experientiae campo a conditionato ad conditionem concludit, legitime et juste concludit. Etiamsi enim ipsa conditio objectum realis perceptionis non sit, posset tamen esse, quia cum eo, quod sensu perceptum est, secundum experientiae leges cohaeret. Videns e. g. grandinem ex aëre cadentem, recte ad majorem frigoris gradum in atmosphaera concludo, quem quidem non sentio, sentirem autem, si in superiori ejus parte versarer. Absoluta quidem et ultima conditio cum experientia nostra cohaeret, sed non secundum empiricas, verum secundum leges rationales. Si e. g. in serie phaenomenorum mundanorum ab effectibus ad caussas ascendo, ratio mea, nonnisi sumta prima totius seriei caussa, acquiescet, etiamsi fieri nequeat, ut eam percipiam, vel empiricam ejus co-

gnitionem nanciscar. Cujus quidem ratio in hoc potissimum sita est, quod prima caussa in tempore et spatio non adsit; si enim in tempore adesset, rursus caussam in praecedente tempore habere deberet, atque adeo caussa prima, seu absoluta dici non posset. Absolutum igitur pro ea, qua facultas repraesentandi gaudet natura et conditione, nullo modo percipi, sed cogitari tantum potest. Hinc si ratio non tantum existentiam ejusmodi objectorum, quae percipi non possunt, eadem via demonstrare conetur, vel praesumat, qua existentia remotiorum conditionum conditionati, intra experientiae sphaeram existentis, probatur: sed internam etiam eorundem naturam et conditionem, ita, prout natura et conditio objectorum empiricorum cognoscitur, cognoscere nitatur, extra suos eidem ab Auctore naturae statutos limites evagari supponenda est.

CAPUT I.

Cosmologia metaphysica.

§. 25.

Cosmologia metaphysica, seu doctrina mundi rationalis, ab empirica, quae partem Physicae efficit, per hoc distinguitur, quod illa mundum non, quemadmodum haec, ut objectum sensus externi, h. e. mundum sensibilem, sed ut merum rationis objectum, seu mundum intelligibilem consideret; ita tamen, ut nomine hujus mundi non complexum objectorum suprasensualium, sed absolutum rerum in spatio et tempore existentium, proinde objectorum sensualium, complexum intelligat. Nam quamvis res hae ex parte se se sensibus nostris exhibeant, eae tamen in Cosmologia metaphysica non in hac qualitate, seu ut mundus sensibilis, sed in inconditionata earum qualitate, proinde ut mundus rationis ponderantur. Atque hoc ipsum est, quo, etiam a Philosophta Naturae, velut Metaphysica Naturae sensualis, distinguitur. Cum porro ea, quae ratio philosophica de mundo, ceu Toto absoluto e suis principiis determinare potest, haec quinque sint, ut-

pote: notio mundi ejusque realitas; origo, nexus, perfectio, et natura ejusdem, in totidem tractatus tota Cosmologia generalis congrue distribuitur.

MEMBRUM I.

De Notione mundi ejusque realitate.

§. 26.

Si distinctam completamque mundi generatim, seu absolute spectati, notionem formare velimus, opus est, ut hunc, qui existit, individuum mundum attente intueamur, atque ita abstractionis ope, generalem nobis conceptum efformemus ejusdem. Oculos autem nostros, vel ad coelum tollentes, vel ad terram demittentes, eaque, quae sunt ante pedes, attente contemplantes, plurima corpora obversari oculis nostris deprehendimus, animalia e. g. arbores, frutices, flumina, solem, sidera innumera, quae omnia simul existunt; cum autem ea, quae simul existunt, entia simultanea vocentur, in hoc mundo dari res simultaneas patet. Experientia praeterea nos condocet, horum, quae diximus simultanea, alia oriri, alia vero interire rursus et abesse. Diem nox, noctemque dies, aestas hyemem, hyemsque aestatem excipit, nec sol, nec luna, nec aliae denique stellae in eodem semper situ permanere cernuntur. Cum vero, quae se invicem sequuntur, dicantur entia successiva, perspicuum est, existere in hoc mundo res successivas. Omnia haec, vel simultanea, vel successiva entia, quae in hoc, quantum quantum est, (est autem maximum) universo deprehenduntur, sunt omnino ejusmodi, ut possint immutari et esse aliter. Omnia, quae in hoc

universo tibi obvia sunt, oculis, mente, ac cogitationibus percurre, et ita, opinor, deprehendes esse comparata, ut, aliter esse posse, oppido perspicias. Quid obstat, quominus potuerint pauciores, quam nunc sunt, stellae, vel planetae existere? Quid inde emerget absoni, si contendero, majorem plantarum, vel animalium numerum in hoc universo dari posse? Quid impedit, quominus eo tempore, quo sol lucis suae radiis terram collustrat, offusa nebula solis intercipiat radios, et horrenda saeviat tempestas? Quo igitur cunque oculos tuos vertis, omnia in hoc mundo esse contingentia et mutabilia vides ac sentis. Deprehendimus porro per experientiam, eam esse rerum in hoc mundo obviarum ad se invicem relationem, ut vel unam rem res altera producat, vel unum sit propter aliud. Ecquis nescis, pluviam calidam et moderatam eam producere terrae foecunditatem, quae optari modo potest? Quem latet, solem ideo cum terra caeterisque planetis una existere, ut terra illuminetur ab eo, et calefiat? si itaque verum est, ut est, vel alterum ab altero in hoc mundo produci, vel unum esse propter aliud, intelligitur omnia in hoc mundo ita esse comparata, ut unum eorum in se contineat rationem sufficientem alterius. Cum vero quae ita sunt comparata, ut eorum unum rationem sufficientem contineat alterius, dicantur connexa, manifestum est, omnia in hoc mundo esse connexa. His itaque omnibus in summam collectis, colligimus, notionem mundi genuinam, foecundam, et universalem hanc esse, quod mundus absolute consideratus nihil sit aliud, quam series omnium rerum simultanearum, successivarum, mutabilium et inter se connexarum.

Scholion 1. Mundi vocabulum diverse usurpatur. Nam 1. a Platonicis sumitur quandoque pro idea, qua Deus universitatem rerum comprehendit, diciturque sic sumtus mundus archetypus. 2. Pro solo, quem incolimus orbe terraqueo. 3. Pro complexione corporum, peculiare aliquod systema constituentium, sive peculiarem inter se nexum ac ordinem habentium. Nempe sicut corpora terrestria, certo inter se ordine continuata ac colligata, systema hoc terrestre; sic corpora solaria, lunaria, caeterorumque siderum totidem particularia systemata componunt, quae deinde pro totidem mundis nonnulli habuerunt. 4. Pro corpore vasto, globoso, opaco, in coelo instar terrae nostrae suspenso et habitabili. Prout enim stellae fixae totidem velut soles vulgo considerantur; ita singulas earum suis stipari planetis, quemadmodum sol stipatur Saturno, Jove, Marte, Venere, Mercurio, Luna, satellitibus item, sive lunulis Saturni, et Jovis: planetas porro singulos totidem terras esse, varietate rerum, qualis est in terra nostra, refertas, nec incolis forte suis destitutas crediderunt quidam, communique nomine mundos appellarunt. 5. Pro systemate planetarum, sive pro complexione, mutuoque inter se nexu ac conciliatione omnium planetarum: solet hic mundus dici planetarius. 6. Pro serie omnium compositorum materialium: nuncupaturque hic mundus corporeus. 7. Pro collectione omnium substantiarum intelligentium, pro qua acceptus, mundus intellectualis, vel intelligibilis nominatur. 8. Pro sideribus universis, eorundemque regione: dicitur vero sic sumtus mundus coelestis. 9. Pro complexione corporum subter lunam positorum: sicque sumtus mundus elementaris, vel sublunaris vocatur. Denotat 10 mundus genus humanum, hujus status, vicissitudines. 11. Complexum hominum dissolutorum, aut alicui instituto ecclesiastico non addictorum, quo sensu vocabulum hoc ab Ascetis olim usurpabatur. 12. Complexum omnium entium aspectabilium. Kantio mundus 13. erat complexus phaenomenorum seu objectorum sensu perceptibilium. 14. Schellingius mundum habuit pro reflexo, seu revelatione Divinitatis, ubi natura et libertas ad absolutum infinitum tendunt 15. Spinoza universum, quod vides, esse Deum, et entia mundana hujus tantum modificationes esse statuebat; Aliqui 16. notioni mundi ipsum Deum includunt. Alii denique 17. intelligunt sub mundo omnia entia finita, realiter existentia, tam materialia, quam immaterialia simul sumta, horumque non tantum phaenomena, sed et noumena, non tantum substantias, sed accidentia quaevis, et mutationes, seu brevibus: omnem rerum, praeter Deum, universitatem, quae notio cum nostra maxime convenit, ut expendenti patet.

Schol. 2. Ad illustrandam definitionem mundi a nobis exhibitam sequentia adjicimus: observa nimirum, nos studio dicere, mundum esse seriem omnium rerum in-

ter se connexarum. Sic intelligi potest, nonquaecunque connexa statim constituere mundum, sed eo usque extendi mundum, quousque res sunt connexae. Data dicimus dein opera: rerum mutabilium. Sic excluditur Deus a mundo, ita, ut ipse non consideretur ut pars mundi. Deus enim est immutabilis, id quod infra in Theologia naturali uberius sumus commonstraturi. Non dicimus: rerum existentium. Ut hoc modo definitio non ad praesentem modo mundum pertineat, sed ad quamcunque aliam rerum connexionem, quae praeter hunc, qui nunc existit, individuum mundum, esse potest, extendi queat.

Schol. 3. Cosmologiam Christiano Wolfio, celeberrimo Germaniae Philosopho et Mathematico, debemus, qui veritates cosmologicas dispersas collegit, auctasque in systema redegit. Qui deinde composuerunt philosophiam, quam dicunt historiae, sive naturalis, uti: Buffon, Bonnet, Smelie etc. sive universalis, uti Bertola, Herder, Jenisch etc. praeterea scriptores, qui mathematicas praecipue rationes universi perscrutati sunt, uti Kant, Lambert, Bode, Herschel, La Place etc. copiosam, quae cosmologicae augendae et emendandae inservirct, materiam subministrarunt.

§. 27.

Mundum finitum esse, ex eo, quod numerus actualis infinitus repugnet, intelligitur. Detur enim, si fieri potest, collectio unitatum infinita, illa ex hypothesi erit numerus, reapse vero non erit; ad essentiam enim numeri pertinet, ut per eum numeratio institui possit, per collectionem autem unitatum infinitam id praestari nequit; haec enim nec augeri, nec minui potest, quod tamen ad numerationem pertinere nemo ambigit; non augeri: collectioni enim unitatum infinitae omne augmentum repugnat; non minui: ponamus enim ex collectione unitatum sic dicta infinita unitatem demi, quaeri poterit, num illa porro quoque mansura sit infinita, vel evasura finita; infinita manere non poterit, si enim subtractam unitatem restitueris, collectionem illam augebis, id autem, quod infinitum est, augeri nequit. Quodsi autem assumta collectio subtracta

unitate non mansit infinita, neque eadem reddita talis erit; nam ex partibus finitis inter se additis infinitum exurgere nequit: praeterea si reddita illa unitas collectioni illi praedicatum infinitatis tribueret, tunc illa quoad valorem numericum superaret reliquam illam unitatum collectionem, quod absurdum esse per se intelligitur, ut adeo confitendum sit, numerum actualem infinitum esse impossibilem. Hinc suapte sequitur: nec spatium actuale, nec tempus actuale infinitum dari; non primum: cum supponat dari extensionem realem infinitam, quae numerum partium realium actu infinitum, qui repugnat, involvit; non secundum: cum pariter supponat dari infinitam rerum, et mutationum actualium successionem, seu numerum actualem infinitum. Cum igitur tunc saltem mundum infinitum statuere liceret, si is aut entia numero infinita in se complecteretur, aut per spatium actuale infinitum protenderetur, aut denique tempore actuali infinito perduraret, haec autem omnia implicent, mundum quoque infinitum implicare, ac proinde finitum reapse esse, suapte sequitur.

Scholion. Licet suis revera finibus definiatur mundana compages[1], de his tamen determinandis merito desperet mens humana; cum enim ultra stellas fixas, quas inermi oculo contuemur, ubi olim extremitas rerum ponebatur, tuborum ac lentium opticarum adminiculo ingens aliarum multo minorum, hincque probabilitater multo remotiorum fixarum copia sit detecta, consequens est, multo longius, quam putabatur, aut saltem eatenus, ut a nobis rite conjici non possit, procedere mundi limites.

§. 28.

Cum mundus sit ens compositum, ut ex ejusdem notione patet, suapte sequitur illum contingentem quoque esse debere, eo, quod ens compositum ens absolute necessarium esse nequeat.

Si enim illud tale esse posset, id vel ideo esset, quod ejus partes sint entia absolute necessaria, vel, quod partium ejusdem connexio pro tali haberi debeat. At primum dici nequit; tunc enim tot essent entia necessaria, quot sunt partes compositum constituentes; ubi tamen pluralitatem entium necessariorum repugnare ex ontologia constat. Sed nec secundum; nam connexio partium in composito est saltem sub hypothesi, si compositum efformandum sit, non autem absolute necessaria. Hinc necessario quoque consequitur, mundum mutabilem esse; cum enim sit contingens, ita existit, ut posset etiam non existere, aut prorsus alio modo, ac existit, existere: cum itaque his notio mutabilitatis contineatur, eum mutabilem quoque esse, intelligitur.

Scholion 1. Quae hic de contingentia et mutabilitate mundi dicimus, intelligenda sunt de contingentia et mutabilitate absoluta, h. e. de ea, quae ex notione mundi deducitur; nam multa sunt in mundo necessaria et immutabilia, v. g. ut corpus specifice gravius aquae immersum fundum petat, ut ignis bustum admotum comburat; at haec necessitas est pure hypothetica, fluens ex arbitrio conditoris, qui hanc rerum naturam libera sua constituit voluntate, hasque ei in agendo leges praefixit, quae, posita absolute conditoris voluntate, mutari utique possunt. Porro id quoque meminisse juverit: acriter olim disputatum fuisse de eo; an praeter hunc mundum plures alii possibiles essent? nonnulli enim mordicitus pro multitudine mundorum stabant; alii e contra, nonnisi unicum possibilem esse statuebant. Opinione nostra unicus solum existit mundus; nam per mundum (ut jam supra diximus) in sensu metaphysico sumtum, non intelligitur fortasse saltem planeta aliquis, aut terra, cujus incolae sumus, aut systema nostrum solare, etc. sed omnes planetae, omnes soles, verbo: mundus metaphysice sumtus, denotat universalitatem et totalitatem absolutam omnium entium simultanee, aut successive existentium, praeter Deum; omnia itaque entia, quantumvis magna, relativa tantum sunt respectu mundi, qua totius absoluti. Unde, si tanta adhuc crearentur entia, quanta jam existunt, augerent quidem mundum, sed ab eo distinctum non efficerent, ve-

rum ejusdem novae tantum partes essent, unicus igitur solum existit mundus. Aliud est, si de logice possibilibus successivis mundis quaeratur; tales enim, cum possibilium numerus indefinitus sit, plures esse posse, suapte intelligitur. — Post hunc mundum, seu seriem totalem omnium entium simultaneorum, successivorum, mutabilium, et inter se connexorum, alium mundum, seu seriem totalem cogitari posse, hoc quoque modo illustrari omnino potest. Concipe tibi seriem totalem praesentem, seu mundum hunc, instar A, B, D, E, H, G, Concipe hanc seriem esse ejusmodi, ut omnia in ea per caussas finales et efficientes sint connexa. Jam, fingas nos transponere has literas, ita, ut loco A substituatur G, et loco B ponatur H, locum denique D excipiat E. Tunc emerget haec series G, H, E, A, B, D. Annon haec series et haec connexio literarum plane alia est, et a priori diversa? Stat itaque sententia: positis aliis caussis finalibus et efficientibus, positoque alio rerum per caussas efficientes et finales nexu, ponitur alius mundus, quia mundus alius aliusve per aliam aliamve rerum simultanearum et successivarum connexionem constituitur. Accedit, quod si plures rerum connexiones logice possibiles non essent, praeter hanc, quae existit; tunc sequeretur, hanc, quae est praesens rerum connexio, unice esse possibilem, adeoque mundus hic erit absolute necessarius, omnisque ejus contingentia tolletur.

Schol. 2. Philosophos quosdam singulis stellis fixis suos attribuisse planetas, hosque pro totidem mundis habuisse; alios item, singula corpora, peculiare aliquod systema constituentia, atque adeo praeter terram nostram, singulos planetas, ac stellas fixas, singulos esse mundos existimasse, jam alibi notavimus. Verum, ut facile apparet, hi, non plures reipsa mundos, sed plures duntaxat unius ejusdemque mundi partes distinxerunt. Non defuere tamen alii ex veteribus, qui tam ab hoc toto, de quo nobis constat, tam inter se penitus distinctos effingerent mundos complures, imo innumerabiles. Hujus opinionis censentur: Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Zeno Eleates, Xenophanes, et Epicurus. Quod ipsum prorsus sine ullo argumento ab his Philosophis assertum et defensum fuisse, jam olim salse cuidam eorum oggerit Diogenes Cynicus, cum ex eo, de pluribus mundis ac intermundis serio graviterque disserente, quaesivit „quam dudum de coelo venisset? Porro autem, ut plerumque fit in litibus philosophicis, in oppositam prorsus ab eorundem opinione, qui pluralitatem mundorum tuentur, abivere nonnulli, uti Aristoteles, Abailardus, Cartesius, quibus ne logice quidem possibiles videbantur es-

se plures mundi. Verum et hi liberius, quam par sit. Ut enim nihil sine sufficiente ratione asserendum est dari: ita neque pro impossibili est pronunciandum quidquam, nisi repugnantia continere ostendatur. Cum vero non repugnet alios rerum finitarum coëxistendi et succedendi ordines cogitare, siquidem hoc modo nec entium mundanorum finitudo, eorumve nexus per spatium, tempus, causas et fines, nec eorum totalitas absoluta, habilitasve ad entium intelligentium existentiam tollatur, consequitur, plures uno mundo sine repugnantia cogitari posse, adeoque interne, seu absolute ut dicunt, possibiles esse.

Schol. 3. Qui mundi corporei existentiam inficiantur, solasque substantias spirituales exstare putant, idealistarum nomenclationem sortiti sunt; horum aliqui longius progressi, omnia prorsus entia, praeter se ipsos, id est, suum spiritum, tollunt, egoistae, propterea dicti, quorum in numero, ad tempus saltem, fuisse CARTESIUM suspicantur nonnulli, quod in meditationibus de prima philosophia, de omnibus rebus a sua mente distinctis dubitare voluerit; verum hi injuriam facere viro doctissimo mihi quidem videntur. Minus a vero abhorret, quod dicitur: egoistas esse speciem quamdam eorum, qui coeteroquin MALEBRANCHIO adhaerent, suaque dogmata non libris, sed privatis solum instructionibus propagare studeant. Referunt Trivoltienses (*Mémoires de Trévoux de l'ann.* 1713. *au mois du Mai*): Malebranchii discipulorum unum aliquam disputationem bene longam cum socio quodam Parisiis habuisse, seriaque mente affirmasse, se solum esse spiritum creatum, nec ex corporum genere praeter se exstare. Quod ad Idealistas adtinet, viam ipsis ad absurdam hanc opinionem Malebranchium stravisse indubitatum est, quamquam et LEIBNITZII Wolfiique harmonia praestabilita eo sine ambagibus deducat, prout alibi videbimus. Primus quidem, qui aperte idealismum professus est, videtur fuisse MICHAEL ANGELUS FARDELLA, Siculus; in ipsius enim Logica existentia corporum aperte negatur. Hujus vestigia pressit GEORGIUS BERKELEY Hybernus, edito primum Dublini 1710 libro de „*principiis cognitionis humanae*“; tum triennio post, dialogis aliquot Londinensibus typis vulgatis inter HYLAM et PHYLONOUM, in quibus id unum egit, ut nulla exstare, nec exstare posse corpora extra spirituum ideas commonstraret. Idem subinde docuit ARTHURUS COLLIER Anglus in „*clavi universali*“ „sive *inquisitione veritatis*“ Londini anno circiter 1733 edita. Sed tam haec, quam illa: mundum plane nullum existere, aut esse saltem, ut SCHELLING dicit, apparitionis divinae reflexum, hisque similia asserta, vana sunt delirantium somnia, nec proin philosophicis, verum medicis potius armis debellanda. Quare missis his, ad argumentum Philosopho dignius transeamus, ac sedulo inquiramus, quanam ratione mundus ad existentiam pervenerit?

MEMBRUM II.

De origine mundi.

§. 29.

Philosophorum de origine mundi sententiae ad systema emanationis, ad sententiam eorum, qui mundum aeternum esse dicebant, et ad illorum sententiam, qui mundum in tempore ortum esse asserunt, revocari possunt. In systemate emanationis statuebatur, mundum hunc ab aeterno exstitisse, at non sic, prout nunc existit, sed exstitisse in Deo, ac demum ex eo, non secus ac lucis particulae e corpore lucente, aut tela ex aranea, emanasse. Sententia haec refertur ad infantiam Philosophiae. Orpheus hanc sententiam sic describit: „*Omnia hujus mundi entia in Deo* (quem tamquam vastum aliquod ens concipit) *extitisse ab aeterno, ex eo tandem omnia sidera, maria, fluvios ac montes, animalia et vegetabilia emanasse.*“ Jam ante Orpheum videtur haec sententia viguisse apud populos orientales, et ab his demum derivata fuisse ad Graecos. — Altera sententia est eorum, qui mundum aeternum esse dicunt; ex his sunt, qui eundem talem esse, tam quoad materiam, quam quoad formam; alii autem saltem quoad materiam, non vero etiam quoad formam asserunt. Primam ex his sententiam tuebatur Xenophanes Colophonius, Philosophus ex schola Eleatica, sicque ratiocinabatur: „*Ex nihilo nihil fit, ergo quidquid existit, ab aeterno existere debet;*“ mundum proinde etiam ab aeterno existere intulit. Hoc suum assertum non tantum ad substantias, sed etiam ad accidentia extendit. Dum vero

ipsi objiceretur, multa corpora v. g. vegetabilia nova quotidie nasci, respondit: corpora haec dum oriri videntur, reapse non oriri, sed jam ab aeterno exstitisse in germine, ac in tempore duntaxat ex eodem evolvi. In toto hoc systemate Xenophanis nulla fit mentio Dei, aut si fit, per hoc vocabulum nil aliud intelligitur, quam hoc universum. Ab hac sententia non multum ablusit recentiori aetate Benedictus Spinoza, qui unicam tantum in hoc universo admisit substantiam, hanc ex infinita extensione, et infinita cogitatione conflatam esse asseruit, reliqua vero entia esse meras modificationes hujus unius substantiae. Systema igitur et Xenophanis et Spinozae atheismum pantheisticum continet. Illi vero, qui materiam hujus mundi dicunt esse aeternam, non vero formam, in duas classes abeunt: alii dicunt materiam hujus mundi fuisse atomos aeternas, improductas, atque fortuito earundem concursu mundum hunc cum hac forma enatum fuisse. Sententia haec erat Democriti Abderitae, Leucippi, Epicuri, et nonnullorum aliorum veterum Philosophorum. In hac sententia pariter nulla fit mentio Dei, continet proinde atheismum, atomisticum nuncupatum. Alii vero erant, qui materiam mundi statuunt quidem pariter aeternam, increatam, sed formam eidem a Deo inditam esse dicunt; in hac sententia erant Anaxagoras et Aristoteles, cum hoc tamen discrimine, quod Anaxagoras statuerit exstitisse ab aeterno homoimerias, seu partes similares, corpuscula scilicet diversae magnitudinis et formae, quoad massam tamen homogenea, et ex his mundum hunc a Deo efformatum fuisse. Aristoteles vero docebat, materiam hujus mundi extitisse quidem ab aeterno, at in-

ertem, informem, inordinatam, tandem materiae huic a Deo inditum fuisse motum, quo motu mundus hic praesentem, quam habet, formam obtinuerit. In sententia itaque tam Anaxagorae, quam Aristotelis jam fit mentio Dei, at non qua Creatoris, verum qua opificis duntaxat, qui ex jam praeexistente materia mundum hunc efformaverit. Sententia demum tertia est Philosophorum christianorum, qui docent, omnia hujus mundi entia ex nihilo a Deo fuisse producta ita, ut mundus hic initium existendi habuerit. Inter christianos tamen etiam Philosophos nonnulli fuerunt, qui, licet agnoscerent mundum hunc initium existentiae suae habuisse, non repugnare tamen mundo aeternitatem simul asserebant.

Scholion 1. Egregium illud sapientiae lumen, atque Italicae Sectae Parens, PYTHAGORAS, originem omnium rerum repetebat a numeris, seu, unitatibus vario modo inter se combinatis. Cum enim varias corporum et universi partes eleganter adeo conjunctas, atque mutuo connexas intueretur, ut pulcherrimum in ipsis ordinem effulgere conspiceret, qui in archetypis rerum imaginibus, sive divina mente continetur; atque ex admirabili hoc partium ordine, sive textura, proportio quaedam, harmonia, sive concentus oriri videretur, illi propemodum similis, qui in numeris observatur, Pythagoras omnia secundum numeros, et ex numeris componi dixit. Atque hanc ipsam vere fuisse de numeris, rerumque principiis Pythagorae mentem non modo ex Plutarcho manifeste deducitur, sed evidenter etiam apparet ex authoritate, vel testimonio THEANUS sapientissimae foeminae, quae Pythagoram conjugem suum audivit. Haec itaque apud Stobaeum (*Stob. Cel. Phys.*) conqueritur: „*dici a Graecorum multis, asseruisse Pythagoram omnia ex numeris generari, cum ille non ex numero, sed secundum numerum generari omnia autumaverit.*“ Pythagoras ergo, cum numeros originem rerum esse dicebat, non de intrinseco ac materiali rerum principio disseruit, acsi nimirum corpora ex numeris, veluti partibus, componi putaret, sed allegorice potius de exemplari rerum caussa, vel admirabili partium ordine locutus est, qui in singulis corporibus observatur. Quodsi Pythagorae opinio hac ratione sit explicanda, ut explicandam esse diximus, paullo quidem obscurior, et allegorice expressa censeri poterit; nihil est tamen, quod in ipsa: vel ab aliorum sententia, vel ab

ipsa veritate abhorreat. Quis enim ignoret plurimos ac nobiliores etiam effectus, quos in rerum natura conspicimus, numerorum proprietates ita aemulari, ut illi ad severiores Musicae vel Arithmeticae leges peragi videantur? Sic corporum decidentium motum ea ratione accelerari conspicimus, ut spatia successive peracta numerorum imparium seriem sequantur; coelestia corpora ea velocitate, ac periodo orbitam propriam describere, ut quadrata temporum distantiarum cubis respondeant, quod innumeris exemplis aliis intelligi, et illustrari nunc posset, nisi uberius et opportunius alibi suisque in locis exponere haec ipsa praestaret. Ceterum quid sapientissimum, praestantissimumque virum impulerit, ut allegorice potius per numerorum ambages, quam nude simpliciterque sententiam suam exprimeret, definiri vix potest. Credibile est tamen, ipsum arcanis illis et obscuris involucris fuisse maxime delectatum, ut ab ipsa rerum cognitione profanum vulgus arceret; vel certe, ut doctrinam suam augustiorem nobilioremque redderet, quod in iis etiam praeceptis, quibus mores componere instituit, observavit, ut ex aureis carminibus ostendi potest, sive ea Pythagoras ipse conscripserit, ut auctor est Proclus (*In Thimaeum lib. III*) sive potius ex variis Pythagoricorum libris Empedocles illa congesserit, ut opinatur Jamblychus (In *Arithm: Theologum pag.* 20) „*solebat enim divinissimus ille Pythagoras brevissimis sententiis plurimos atque multiplices sensus, veluti oraculis quibusdam, symbolico quodam modo apud suos explicare, atque ita igniculos veritatis abscondere illis, qui lumen inde accendere possent, in brevi oratione latissime patentem contemplationis extensionem recondens.*“ (*Jambl. Vit. c.* 29. *Cic. Tusc. IV. cap.* 2. *et Laërt. VIII*).

Schol. 2. Xenophanes Colophonius unicum rerum omnium principium posuit „aeternum, infinitum, immobile sibique simile; „Parmenides, ipsius auditor omnium rerum principium unum esse, immutabile et immobile existimavit, eandemque opinionem Parmenidis auditor, Melissus, amplexus est. Hinc Aristoteles (*I. de gen. cap.* 1. *et de caelo III. c.* 1. Plutarchus (*Plac: 1. cap.* 24) aliique plurimi (*Socr. apud Xenoph. I. Memor.*, suspicantur, ab his auctoribus omnium corporum mutationem, rerumque originem negatam, sublatam vel ademtam esse. Dicit enim Plutarchus (*Plac. I. cap.* 24. *et Laërt. IX. seg.* 24. *Arist. III. Cael.*) „Parmenides, Melissus, Zeno cum omnia motus expertia esse opinarentur, ortum et interitum prorsus negaverunt.“ Xenophanes itaque, Parmenides atque Melissus, dum omnium rerum principium unum esse, immutabile, et immobile dixerunt, sibique simile, vel de Deo id intelligere supponendi sunt; constat enim Xenophanem in Hesiodi et Homeri fabulas de Diis inanesque illorum descriptiones acerrime insurrexisse (*vide Voss. de Nat. Art. de Phil. cap.* 3) vel de hoc Universo; si

primum; nihil in eorum opinione reprobandum, si alterum intellexerunt, temere utique et erronee eos id statuisse, atque adeo non minus, ac Epicurum, qui mundum hunc infinitum, inalterabilem, unum, aeternum sibique similem, pariter, et Anaximandrum, qui Totum hoc esse immutabile docuit (*Laërt IX.* 18. *et Clem. Alex. Str. VII.* — *Laert. X. seg.* 41 etc.) reprobandos ese liquet. — „Socrates et Plato (ambo enim de Universo idem senserunt) tria statuunt principia: Deum, materiam, ideam. Mens est, quod Deum nominant. Materia primum rebus orientibus et intereuntibus subjectum. Idea natura corporis expers in conceptis mentis et imaginationibus Dei, Deus autem mens mundi. (*Plut. Plac. I. cap.* 3. *Apul. Dogm. Platon. I. Justin. Paran. Orig. Philos. cap.* 19. *et Laer. III. seq.* 69) Quid ergo Dei, Mentisve nomine intellexerit Plato, clarissime effulget; substantiam nimirum incorpoream, incorruptibilem, ac infinitam intelligit, quae rebus omnibus vim, naturam motumque largiatur. Quin etiam divinam hanc mentem per singulas universi partes ita diffusam putarunt Platonici, ut quemadmodum animus per singula corporis humani membra diffunditur, arctissimeque ipsi conjungitur, ut inde calor omnis ac motus oriri debeat, sic etiam Deum, spiritum, animam mentemque universi vocarunt, ut id sequentibus versibus expressit Virgilius, (*Aeneid. Lib. VI. vers.* 726).

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet,
Inde hominum pecudumque genus, vitaque volantum.
Sic apibus partem divinae mentis, et haustus
Aethereos dixere; Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

(*Georgic Lib. IV. vers.* 220.)

Hinc ipse Deus juxta Platonicos non modo opificis, efficientisque caussae, vel principii nomen meretur, sed insuper etiam pro intrinseco quodam principio, forma nimirum atque perfectione habetur, unde omnium rerum formae atque perfectiones oriantur. Caeterum Platonis dogmata, etsi allegorice intelligi saneque explicari possint, pluribus tamen haeresibus ansam dedisse historici testantur, sive quod haeretici illustri Platonis nomine et gloria abuterentur, ut merito dixerit Tertullianus (*De anima cap.* 3). „*doceo bona fide Platonem haereticorum omnium condimentarium factum fuisse;*“ sive quod ipse Plato „*variis utitur nominibus, ut ne illius opera imperitis et rudibus conspicua sint; ac saepius quoque diversis utitur vocibus in eadem re significanda;* ideam *enim et speciem nominat et genus, et exemplar, et principium et caussam*“ (*Laertius. III. seg.* 63. *et* 64). ut proinde merito dixerit Cyrillus (*Cont. Julian. II.*) „*Ideas interdum substantias esse, ac per se subsistentes affirmat Plato; alias Dei no-*

tiones esse definit. Verum quomodo se res habeat, etiam illius discipulos non approbare dicunt ejus rei peritii." Has nonnullorum veterum, circa originem mundi opiniones indicasse sufficiat, aliorum etiam exhibere uberiusque proponere ad Historiam Philosophiae pertinet, quam Deo favente suo tempore publici juris facere intendo.

§. 30.

Praemissis de origine mundi praecipuis Philosophorum sententiis, sequentem statuimus Propositionem: Ens contingens aeternum esse non potest. Ens enim contingens est, cui non existere non repugnat, consequenter quod natura sua indifferens est ad existendum, ergo si existit, ab alio ente ad existendum determinari debet; atqui ab alio ente ad existendum determinari, supponit initium existentiae; actio enim entis, aliud ens ad existendum determinantis, prior utique hujus existentia esse debet; cum ergo id, quod initium existendi habet, aeternum esse nequeat, ens contingens aeternum esse non posse, patet. Ex hinc sequitur: 1. Materiam hujus mundi non esse aeternam; nam quod contingens est, ut diximus, aeternum esse nequit, atqui materia hujus mundi est contingens, ergo nequit esse aeterna; *pbo m.* Id quod absoluta necessitate existit; immutabile simul et infinite perfectum esse debet, ergo ab opposito, quod mutabile et finite perfectum est: contingens sit, opórtet; atqui materia hujus mundi est mutabilis, et finite perfecta; ergo; *pbo sub. m.* Materia hujus mundi vario modo componi, dissolvi, variis motibus urgeri, verbo, modum suum existendi identidem variare solet, ut experientia testatur; immutabilis itaque dici nequit. At neque infinite perfecta est; nam, praeterquam quod haec proprietas nonnisi enti naturae perfectissimae ac proinde absoluta necessitate existenti convenire possit, vires materiae cujuscunque

limitibus circumscriptas esse experientia testatur; materiam igitur hujus mundi mutabilem et finite perfectam saltem esse liquet; cum ergo, quod tale est, contingens sit, hoc autem aeternum esse nequeat, materiam hujus mundi non esse aeternam, necessario consequitur. Hinc non subsistit: 1-mo Sententia XENOPHANIS aliorumque veterum Philosophorum, materiam mundi aeternam statuentium. Non subsistit: 2-do Sententia Atomistarum, atomis aeternitatem adtribuens, quos praeterea sequens premit difficultas. Si mundus fortuito atomorum concursu fuisset productus, motus ille, vel fuisset necessarius, vel contingens, si primum: mutari non potuisset, quod enim necessarium est, immutabile quoque sit, oportet; et quare nostro tempore ex fortuito quodam atomorum concursu, nullum aedificium, nullum artefactum consurgit? Si autem motus ille fuit contingens, aeternus esse non potuit. At ex dictis, nec ARISTOTELIS, nec ANAXAGORAE sententiam subsistere consequitur, quos similis, ac priores, premit difficultas; materia enim mundi, quam illi aeternam esse defendebant, vel fuit necessaria, vel contingens; si primum: mutari non potuisset, formam autem accipere, est mutari, mutatio autem in ens necessarium non cadit. Si alterum: aeterna esse non potuit. In sententia praesertim Aristotelis quaeri potest, an, dum materiam mundi statuit fuisse informem, intelligat, ei nullam prorsus, vel aliquam formam infuisse? prius membrum concedendo, absurdum quoque illud concedere cogetur, id, quod compositum et extensum est, nullos habere suae extensionis limites, seu formam; alterum statuendo, materiam nempe hujus mundi formam habuisse quidem, at ab hac, quam nunc habet distinctam, innuit, ante hunc mundum jam alium

mundum extitisse, quod quaestioni de origine mundi in infinitum prosequendae opportunitatem suppeditat.

Scholion 1. Eorum insania, qui cum DEMOCRITO et EPICURO ex fluctuantibus ab aeterno tamdiu atomis, donec fortuito in hanc mundi coirent figuram, universum istud ortum esse censuerunt, satis superque patescit: nam quis adeo stultus est, ut a casu aliquid tam accuratum exspectet, quasi credat casu lapides et ligna in domus, vel navis speciem coalitura, aut ex jactis fortuito literis exstiturum poëma? Hinc apposite et nervose CICERO dicit: „Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida, atque individua, vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius, et viginti formae litterarum, vel aureae, vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio, anne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Isti autem, quemadmodum asseverant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam χοιότητα Graeci vocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere, atque casu mundum esse perfectum? — Quodsi mundum efficere potest concursus atomorum; cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora." (*De nat. Deor. L.* 2. *c.* 37).

Schol. 2. Fuerunt, qui materiam ab aeterno, at ut rudem indigestamque molem, seu rem absolute informem fuisse, sed falso, sibi persuadebant. Nam materia a forma separari quidem cogitando potest; verum cum chaos isthoc, non ens rationis, seu cogitabile quidpiam, verum materia originaria omnium rerum esse debuerit, intelligitur, chaos tali sensu impossibile esse. Ut tamen id Philosophi evincerent, alii eorum chaos solidum, alii fluidum, alii chaos neutralisatum sumsere. Enimvero id frustra. Nam si solidum fuit, debet illud ceu compositum quoddam e certis moleculis, seu corpusculis primitivis, vel, si placet, atomis, quae omnium corporum mundi praesentium, et jam determinatam formam habentium elementa, seu originaria constitutiva sint, cogitari; sed compositum quodvis determinatos habet limites extensionis, certam proinde figuram: corpuscula vero illa primitiva, aut atomi, per ipsos sui patronos, ut mutuo cohaerere queant, formam jam rotudam, jam oblongam, jam angulatam habuisse dicuntur, chaos igitur solidum e corpusculis, aut atomis coalescens reipsa non est chaos, verum materia originaria formae determinatae in suis elementis. — Chaos fluidum ipsum sibi repugnat; cum, quod

fluidum est, id in partes solutum, partibus constet sphaericis. Neutralisationi vero vel ideo nullus locus superest, quod hinc origo mundi corporei tam parum explicari posset, quam si chaos solidum aut fluidum statueris. Ex quibus omnibus consequitur, materiam mundi aeternam, omni forma destitutam, seu sic dictum chaos, nullatenus admittendum esse.

§. 31.

Sicut materia, ita nec forma hujus mundi est aeterna; nam si ipsa materia, ut probavimus, contingens est, a potiori id de ejus accidente enunciandum erit; cum ergo forma sit saltem materiae accidens, eam pariter contingentem, nec proinde aeternam esse posse, liquet. Mundus hic habet caussam sui efficientem, et haec alia esse nequit, quam ens necessarium: primum patet ex eo, quod mundus hic tam quoad materiam, quam quoad formam sit contingens; alterum vero ex eo, quod entis contingentis ratio sufficiens in alio, quam in ente necessario, ut ex ontologicis notum est, sita esse nequeat. Mundus hic diversus est a sua caussa efficiente, neque est hujus ulla determinatio interna; primum ex eo, quod mundus sit contingens, ac proinde mutabile et finite perfectum; caussa autem efficiens ejusdem, seu ens necessarium, immutabile et infinite perfectum, elucet; alterum vero ex eo, quod enti necessario determinationes stricte contingentes, ut mundus est, inesse nullatenus possint, patescit. Mundus non est ortus per emanationem ex ipsa substantia divina. In eo enim casu mundus, vel esset formaliter ipsa substantia divina, vel quaedam ejus particula, vel denique ex ipsa quocunque modo ortus; atqui haec omnia evidenter absurda sunt: primum, quod iis placet, qui exemplo aranei telam e sinu suo

educentis hac in re utuntur, nec non et alterum pugnat cum simplicitate et unitate, quae competit enti necessario et infinito, quod Deus est; mundum enim non una, sed plures substantiae constituunt, cum mundus sit ens compositum. Ultimum vero falsum esse inde patet, quod nec unum quidem ens simplex ex alio ente simplici oriri possit; multo minus itaque ens compositum, quod ex multis entibus simplicibus coalescit, ex ente simplici oriri potest, mundus igitur non est ortus a Deo per emanationem. Mundus hic ortus est per creationem a Deo. Nam mundus hic, nec quoad materiam, nec quoad formam suam est aeternus, ac proinde aliquando non exstitit, seu aliquando fuit nihil, ergo dum productus est, produci debuit ex nihilo, seu creari, quae vis cum soli Deo competat, ut in Theologia naturali probabitur, mundum hunc per creationem a Deo ortum fuisse, consequitur. Mundum denique vel creari potuisse ab aeterno repugnat. Repugnat enim, ut mundus semper exstiterit, et tamen aliquando non fuerit: jam vero si ab aeterno esset, semper extitisset, et si nihilominus creatus fuisset, seu a non-esse ad esse translatus, aliquando non exstitisset, ergo mundum vel potuisse creari ab aeterno repugnat.

Scholion I. Ad id probandum, mundum non esse aeternum, sed initium existendi habuisse, sat validum inde etiam posse peti argumentum plures arbitrantur, quod rerum earum, quae ante captum Ilium, vel Olympiadum usum in mundo contigerant, aut nulla prorsus apud gentiles memoria exstet, aut nonnisi adeo confusa, totque tenebris involuta, ut pro meris fabellis habeantur, quod vix futurum erat, si mundus foret aeternus: quis enim credat, nullo retro tempore inventos fuisse similes recentioribus, qui res suas, majorumque suorum monumentis consignarent? tum praeterea, quod artes et scientiae longe citius fuissent inventae ac expolitae, cum tamen constet eas posterioribus temporibus sensim fuisse inventas, quin complures nuper ad-

modum. Quo gemino argumento jam olim usus est celebris Poeta sic canens:

- - - - - Si nulla fuit genitalis origo
Terrai et coeli, semperque aeterna fuere;
Cur supra bellum Thebanum et funera Trojae
Non alias alii quoque res cecinere Poetae?
Quo tot facta virum toties cecidere? nec usquam
Aeternis famae monumentis insita florent?
Verum ut opinor, habet novitatem summa; recensque
Natura est mundi; neque pridem exordia coepit:
Quare etiam quaedam nunc artes expoliuntur;
Nunc etiam augescunt, nunc addita navigiis sunt
Multa: modo organici melicos peperere sonores:
Denique natura haeo rerum, ratioque reperta est
Nuper. - - - - - - - - - - - - - - -

(*Lucr. de nat. Deorum. L.* 5.)

Verum huic argumento multum licet, ut dixi, nonnulli tribuunt; exiguum tamen Morhosius, et plures alii inesse putant momentum. Eas vero rationes, quibus nos universe probavimus, entia hujus mundi creata esse, et vel ideo non esse aeterna, sic ad idem probandum de primigenia mundi materia paucis, et ut solet, eleganter protulit Emin. Poliniacus (*In anti-Lucr. L.* 3. *av.* 1049)

Materies porro, seu massam intelligis omnem,
Seu varias ejus partes, consistere nunquam
Absque modis potuit, non hunc, aliumve requirent
Per se, naturamque suam (quia quos semel olim
Per se, naturamque suam tenuisset ab aevo,
Nunquam hos ex ulla posset deponere caussa)
Ast aliquem semper; nempe hunc, aliumve perinde est.
Ergo, quos habuit primos, servatque tenaces;
Vel quos deponit semper, semperque resumit;
Hos quum non habeat per se se; habuisse necesse est
Ex alio. Et quoniam revera tempore nullo
Stare potest informis, et omni cassa figura
Materies; sequitur per se consistere nullam
Materiem, atque ab eo totum hoc sumpsisse, quod esset,
A quo etiam hoc sumpsit, talis vel talis ut esset.
Propterea, quidquid per se est variabile, non est
Aeternum: et pendere aliquo ex moderante necesse est:
Talis materies nequit ergo aeterna vocari:
At si materies non est aeterna; creari
Debuit e nihilo: per se se non fuit unquam,
Est tamen; e nihilo semel ergo existere coepit.

Quae viri Cl. argumentatio huc, ut vides, redit: materia mundana variabilis est; natura sua igitur non est ae-

terna; at si natura sua aeterna non est, debuit creari ex nihilo; igitur semel e nihilo existere coepit, nullo proin pacto est aeterna. Ex his vero ultra consectarium est, Autorem hujus mundi esse Deum: ex nihilo quippe factus est; sed ex nihilo, inter quod, et aliquid, infinita est distantia, non potest aliquid fieri, nisi per infinitam virtutem; mundus igitur factus est per infinitam virtutem, sive per ens infinitae virtutis ac perfectionis, quod est Deus. Quod quidem vel admirabilis illa rerum mundanarum structura, series, et conciliatio luculente testificantur: cui enim non pla issime appareat, nonnisi ab autore summe sapiente ac potente haec ita potuisse constitui? Sed de his alibi uberius.

Schol. 2. Universum hoc nihil aliud esse, quam divinam substantiam diverse modificatam perantiquus est error. Erant in ea opinione Eleatenses quidam Philosophi; erant Pythágorici, et plures Stoici, ut prolixe probat Buddeus (*De ath. et superst. c.* 1.) Seneca (*L.* 2. *C.* 45.) in quaestionibus naturalibus id ipsum fortasse intelligit, cum ait: „*Est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, et se sustinens vi sua.*“ Idem Cato apud Lucanum ex veterum sententia pronunciat:

Est ne Dei sedes, nisi terra, et pontus, et aër
Et coelum, et virtus? Superos quid quaerimus ultra?
Jupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.

(*L.* 9. *Pharsal.*)

Refert quoque Albertus M. Alexandrum Epicureum qui Plutarchi tempore vivebat, eandem tradidisse doctrinam: „*Alexander* (inquit) *Epicureus Deum materiam esse dixit, vel non esse extra ipsam, et omnia essentialiter esse Deum, et formas esse accidentia imaginata, et non habere veram entitatem, et ideo dixit omnia idem esse substantialiter*“ (*Vid. Perer. de commun. Princip. L.* 5. *cap.* 12.) D. Thomas ejusdem sententiae defensorem facit quemdam Davidem de divinando, contra quem ex instituto disserit (*In* l. *contra gentil.* 17.) Vasquez refert de Petro Abailardo: „*Deum* (inquit) *esse omnia, et omnia esse Deum; eum in omnia converti, eum in omnia transmutari asseruit.*“ (*In prima part. quaest.* 3. *art.* 3.) Petrus Vallensis in Itinerario testificatur plures Mahumetanos id ipsum opinari. Idem narrat Bernerius de Indis, alii de Sinensibus et Japonensibus. Apud Europaeos hanc impietatem Benedictus Spinoza, vir ut ingenio, sic improbitate sua insignis, in systema geometricum referre conatus est. Ponit hic imprimis: „*Praeter Deum nullam dari, neque concipi posse substantiam.*“ (*Prop.* 14.) Ait deinde: „*Extensionem attributum Dei esse, sive Deum rem esse extensam.*“ (*Ethic. part.* 2. *prop.* 2.) Ait ultra: „*Omnem sub-*

stantiam necessario esse infinitam" (*Prop.* 10.) et „*substantiam absolute infinitam esse indivisibilem*" (*Prop.* 13.). Ex quibus infert, hoc universum ex immensa cogitatione, seu mente, et immensa extensione, seu materia conflatum esse, idque esse Deum: cujus idcirco duo sint attributa essentialia, cogitatio et extensio: vel, ut alias loquitur, res omnes, hoc universum componentes, non aliud esse, quam ejusdem substantiae, infinita cogitatione, et extensione praeditae, quae est Deus, diversos modos. Qui hoc Spinozae delirium sequuntur, Pantheistae ut plurimum vocantur propter sententiam (uti habet editus apud Anglos liber scelestissimus, autore Tolando, qui Pantheisticon appellatur) de Deo, et universo sibi propriam; Epicureis vero et Choalogis e diametro oppositam: quum nullam confusionem primaevam, nedum caussam ullam mundi opificem admittant Pantheistae; sed de rerum caussa, et origine cum Lino vetustissimo statuant: ex universo quidem sunt omnia, et ex omnibus universum." Haec Pantheistarum secta altas in Anglia radices jecit. Fuse illius systema complures viri eruditi refellunt: alii contra, abusuros se opera, et oratione censent, si id agerent, cum se ipsum ineptia sua satis, superque refellat: ego eorum gratia, qui forte confutationem illius, etsi non necessariam, minus tamen congrue omitti arbitrarentur, adscribam hoc loco integram Lockii orationem, qua ille demonstrat, nec totam materiam, nec singulas ejus partes cogitatione ex vi interna praeditas esse posse, atque adeo non posse, quod Pantheistae volunt, materiam mundanam esse eandem substantiam cum ente illo infinitae cogitationis, nempe Deo. Sic ergo ille: „*Videamus, qua tandem ratione profani homines persuadere sibi potuerint mentem aeternam corpore constare. Primum, totane materia mundana, omnesque ejus partes cogitant? Non eo dementiae evasuros puto hujus aevi profanos, ut id dicant, nisi una opera dicere velint, tot esse entia aeterna cogitantia, quot materiae partes, id est, infinita, atque idcirco infinitos esse Deos, quorum quilibet infinitos etiam alios sinu suo complectatur, quod est totam mentem mundi architectricem radicibus extirpare. Qui enim tot monagrammi Dii in tam vasto, tamque docto opere efficiendo consentire omnes potuere? Non ergo materia suapte natura, et necessitate tota est cogitans. Quid ergo? quaedam tantum partes hujus corporei entis cogitantes erunt, caeterae stupidae? at tam est perabsurdum ens cogitans ex partibus non cogitantibus componi, quam numerum ex meris zeris. Deinde quum tota materia esse cogitans nequeat, pars ne una materiae hoc erit ens aeternum et cogitans? Non minora inde, nec pauciora consequuntur absurda. Enimvero aut haec tantum materiae pars aeterna est, aut non? Si primum, reliqua materia tota inde creata erit, nec nisi ab ente intelligentissimo, et potentissimo, quo tota moles Pantheistica concidet. Si secundum, quibus tandem illi argumentis, non totam quoque materiam, sed partem tantum unam cogitare adstruent? Neque enim natura,*

et essentia pars ulla materiae ab alia differt. Quod si contendunt, ut iis sine ratione etiam credatur, non impii tantum, sed perridiculi quoque sunt. Postremo nec tota, nec una pars materiae esse ens illud aeternum cogitans dicetur, sed congeries quaedam plurium particularum? At, qui illud nec unam aeternae materiae partem, nec omnes esse intelligit, is, nisi nullam esse congeriem particularum quoque intelligat, lapide silice stultior sit, necesse est. Ens ergo illud cogitans aeternum nec tota est materia, nec una materiae pars, nec ulla materiae congeries" (*De intellectu humano L.* 4. *cap.* 10.) Atque haec de Pantheistarum insania hic loci attulisse sufficiat. Neque vero hac minor est eorum, qui Deum non quidem esse ipsum mundum, toti tamen huic, singulisque ejus partibus instar animae insitum volunt, ut adeo ipso vivant, ac spirent omnia. Erat hoc Pythagorae, erat complurium Stoicorum: qui tenebant:

\- - - - - Deum ire per omnes,
Terrasque, tractatusque maris, coelumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas.

(*Virg. Georg. L.* 4.)

Qua etiam in opinione plurimi sunt Persae, Siamenses, et Sinenses hodierni. Facile vero cuivis occurrent plurima absurda, quibus haec quoque sententia scatet, seque ipsam conficit. Fuerunt denique, complures ex Platonicis Philosophis, qui universum hunc mundum corporeum instar unius praegrandis animalis habuerunt: nempe totam seriem entium corporeorum unum esse corpus unitate compositionis, tumque illud ab una eademque anima purissima et perfectissima regi existimabant, quae in coelestibus quidem regionibus, veluti in propria sede commoretur, simul tamen se in omnia reliqua mundana corpora suaviter infundat, omnia penetret, foveat, ac gubernet; quod ex eorundem sententia Virgilius quoque ita cecinit: (*Aeneid. VI.*)

Principio coelum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Attamen haec opinio nequit certe ab ullo, nisi temere propugnari; quum enim motuum omnium et effectuum, quos in natura experimur, citra animam etiam mundanam sufficiens dari possit caussa, quodnam suppetere potest argumentum, unde animae illius existentia probetur? Dein cum nos animalis nomine intelligamus corpus organicum principio natura sua activo, seu virtute sentiendi, movendi etc. instructo animatum, mundus corporeus secundum nostra principia animal nullatenus dici potest.

Schol. 3. Fichte docuit: 1. hunc mundum corporeum non esse aliud, quam reflexam apparitionem ex mundo intelligibili,

non vero realiter existentem: ex quo inferre licet, mundi hujus in nostris tantum ideis existentis, nullum Creatorem divinum, Conservatorem, aut Gubernatorem esse necessarium. 2. Ratio in homine est absolutum illius principium, in se ipsa existit, et in aeternum subsistet, operatur, et ex se ipsa operabitur; hac mediante homo se ipsum intuendo, conscius fit realis suae existentiae, et ideo immortalitatem ex se, et in se ipso habet. 3. Solus intelligibilis et rationalis mundus realiter existit: quia unusquisque homo mediante ratione et cogitatione conscius est, se realiter existere. Ens itaque rationale cogitando, e suis ideis proprium sibi creat mundum, in se ipso existentem, quem continua operatione sua conservat, regit, immutat, dirigit et perficit. 4. Mens humana philosophans certis quibusdam formis, categoriis alligata est, ope quarum omnes reliquas apparitiones cognoscit. 5. Homo per rationem suam est illud absolutum Ego, primum et ultimum; omnia namque in se ipso habet, et continet, omnia ex se ipso incipit et perficit, neque enim externa in illum agere possunt, utpote merae duntaxat apparitiones: quapropter omnes homines, tamquam entia rationalia, constituunt unum absolutum totum, quod ex se, et in se ipso absolute existit, et vivit in aeternum. Cujuslibet hominis anima in tempore quidem comparet, et in tempore fit sui conscia, sed sine omni tempore et initio existit. Patet itaque ex his breviter allatis: hunc Idealismum egoisticum nulla ratione sustineri posse; nam ex sententia idealistae talis, nihil existit, praeter ejus Ego absolutum, et mundus est tantum productum ejus Ego; igitur nullum agnoscit Deum, nisi suum Ego, Deum vero a suo Ego distinctum et independentem, a quo totus mundus, quoad suam existentiam dependeret, admittere non potest. Dicunt equidem asseclae ejus, quod anima nostra, seu nostrum Ego absolutum praesupponat aliud Ego universale, quod omnia creaverit, at non ex nihilo: et quod una etiam dominium in nostrum Ego exerceat, ast non despoticum, et tyrannicum. Hinc est quod Coriphaeus illorum partim Atheismi, partim Autotheismi postulabatur. — Schelling autem dicit, mundum hunc esse apparitionis divinae reflexum, homines namque vocat transeuntes apparitiones, uti sunt accidentia, novas continuasque mutationes productionesque universi absoluti, quae non aliud sunt, quam totidem bullae in universalis vitae oceano, et animalis universalis vibrationes. Cum vero ex eo quaereretur, quidnam esset illud absolutum, quod Deum nominabat? reposuit: absolutum hoc esse Identitatem absolutam, puram indifferentiam inter objectivitatem et subjectivitatem; esse Chaos, complexumque naturae totius; esse animal universale, quod hoc universo empirico se quasi vestivit, ex quo omnia, ceu transeuntes apparitiones, vibrationes, et totidem bullae in universalis vitae Oceano promanant; et ad quod anima nostra incessanter tendit, et regredi anhelat. Jam systema hoc absolutae identitatis sustineri non posse,

inde patet: quod nimirum hominis individualitatem, et per hanc libertatem, moralitatem, immortalitatem una subruat; Deique ac mundi notiones nimia obscuritate confundens ad Pantheismum deducat. Hinc est, quod per ipsos Kantianos Pantheismi postuletur; licet per hoc se velit excusare, quod ipse non Deum in natura, sicut fecit Spinoza, verum naturam in Deo quaerat,

Schol. 4. Unum ex pluribus, quae thesibus nostris cosmologicis objectat KANTIUS, excerpendum esse putavi, illud de ignava ratione, quo nomine denotat quodvis assumtum principium, dictumve, exprimens finem impositum inquisitioni naturae, ut adeo acquiescere debeat ratio, quasi absoluto penitus negotio. Ignava igitur ratione sunt ex mente Kantii, qui in statuum mundanorum inquirendis caussis ad caussam primam, eamque liberam ac necessario existentem transiliunt, in eaque conquiescunt, abrupta caussarum naturalium investigatione. Ex ignava hac ratione opinatur fieri, ut principia regulativa, quae pro concipienda effectuum unitate excogitari ab humano intellectu solent, pro constitutivis habeantur, quasi existeret reipsa id, quod intellectus commodo quodam suo, et systematis caussa comminiscitur. — Culpam ignavae rationis a Kantio impactam vix sine indignatione accipient viri boni, ac solertissimi indagatores veri. Ergone Philosophi omnium aetatum, qui ex conditis rebus ad cognitionem, accuratamque demonstrationem primi conditoris rerum progressi sunt, itemque Theologi innumerabiles iisdem usi argumentis ignava ratione fuerunt? Qui nempe sensibus inhaerent toti, actuosae et sagacis rationis sunt; qui ad celsiora et suprema se se erigunt, ignavae? At ego ignaviam majorem nullam concipere animo possum, quam si humana ratio tam validis excitata argumentis a terrestribus hisce et mundanis rebus ad coelestem opificem renuat assurgere. Actuosa scilicet est ratio, dum ab effectibus mundanis ad caussas mundanas, ab his ad alias, aliasque mundanas regreditur. At quamprimum his recurrentibus iisdem, minimeque sufficientibus ad caussam primam, absolutamque eluctatur, tum repente ignava fit judicante Kantio. Quid igitur praecipit Kantius, ut agat humana ratio, ne ignaviae accusetur? nempe ut iterum iterumque et absque fine et requie sic cogitet: status ultimi praesentisque A, causa est status prior; hujus causa itidem prior: istius vero itidem prior: atque ita perpetuo, nulla enim alia notio, aut cogitatio quaestionem cosmologicam de caussa seriei statuum ingreditur. Quod potest inanius esse otium occupatione hac Kantiana? Si loco ullo, aut tempore acquiescit ratio, quasi absoluto opere, perfectaque naturae inquisitione, tum ignava est ex sententia Kantii. Equidem non ignoro, multa nobis in naturae cognitione, quemcunque fecerimus in ea progressum, discenda superesse, semperque fore; nec dubito, quin ultra eum modum, quem adhuc attigimus, progressura sit solers posteritas, nisi Kantianis prioritatum

umbris et inanissimis hypothesibus a recta philosophandi via, receptisque a Neutono legibus deduci se sinat. Sed alia est naturalis, seu physicae disciplinae ratio, alia notionum metaphysicarum, principiorumque constitutio. Haec valde generalia sunt, et objecta sua completis notionibus definiunt, et divisionibus perfectis, seu adaequatis ita exhauriunt, ut tuto acquiescere possit ratio, tamquam absoluto negotio, quod prae manibus habet. Atque id ipsum a nemine philosophorum majore opera factum est, quam a Kantio, qui omnia plane notionum, et judicigrum, et syllogismorum possibilium formas in Critica sua collegisse se, ac comprehendisse opinatur, atque adeo categoriis suis, earumque cancellis sat angustis omnem intelligentiae humanae vim, et facultatem se constrinxisse gloriatus est. Negare igitur, aut in dubium vocare nequit Kantius, quin fixis notionibus certis, aptisque divisionibus et principiis constitutis, res proposita tam perfecte in metaphysica comprehendi possit, ut acquiescere valeat ratio, nec ultra quidpiam possit desiderare. Si prohibet Kantius in progressione caussarum effectuumque hujus mundi cursum sistere, et tempore locoque nullo consistere patiatur rationem, sed progredi jubeat in infinitum, nisi ignava audire velit, debebat primo cum philosophis aliis, istiusmodi progressum distinguere duplicem; est enim progressus in infinitum rectilineus, in quo a termino quocunque assumto semper receditur vel in anteriora, qui dicitur progressus a parte ante, quando in serie conditionatorum nunquam pervenitur ad primum a praesente retrogrediendo, etsi progrediendo perveniatur ad finem, nempe ad statum praesentem, sive ultimum; vel in consequentia, qui vocatur progressus ex parte post, si in serie conditionatorum possibilium ac futurorum nunquam pervenitur ad finem seu ultimum, etsi retrogrediendo perveniatur ad primum. Praeter rectilineum alius est progressus in infinitum circularis, in quo a termino a quo receditur, rursus status prior, et caussae eaedem rerum restituuntur, cujus sequens exemplum profert Aristoteles: terra madefit a pluviis, pluviae decidunt ex nubibus, nubes coguntur ex vaporibus, vapores ascendunt ex terra madida; atque ita in orbem redeunt madefactio terrae, pluviarum lapsus, nubium concretio, vaporum exhalatio. Si quis hunc orbem cogitando obivit semel, et obire perpetuo supervacaneum ducens, ad altiora convertat mentem, divinae providentiae argumentum, certumque testimonium inde accipiens; tum scilicet egrediendo extra naturae atque experientiae tramitem, judice Kantio, saltum committet, et ignavae rationis condemnabitur, nempe una cum divo Paulo, qui ita disserit ad Lycaonas: „*Nos mortales sumus similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum et terram, et mare et omnia, quae in eis sunt. Qui quidem non sine testimonio semet ipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra*“ (*act. XIV.* 14. 16.) Quid quod in

causis quidem inquirendis omnem progressum in infinitum pro indubitato exploratoque absurdo adhuc habuere philosophi omnes, paucis exceptis, idque enumeratis generibus omnibus caussarum distincte persequitur ARISTOTELES (*lib. 2. Metaphys. c. 2.*) Sed quid Philosophi omnes ad Kantium, qui novum erexit tribunal criticum, nulla admissa incompetentiae exceptioni? (De regressivo rectilineo progressu in infinitum satis actum a nobis est in Ontologia.) Aliud exemplum idque valde luculentum progressus circularis in infinitum, uti vult Kantius, repeti potest ex revolutionibus orbium coelestium planetarii nostri systematis. Didicerat KEPLERUS, vir Svevus, accuratis longisque observationibus ad calculum reductis, planetas primarios circa solem nequaquam in circulis, sed orbitis ellipticis volvi, atque ita volvi ut 1) singularum ellipsium focum alterum sol occupet; ut 2) motus haud aequabilis sit; areae tamen descriptae temporibus sint proportionales: ut 3) distantiae planetarum, quam quisque a sole habet, et tempora periodica rationem sesquiplicatam distantiarum praeseferant. Ex felicibus his inventis NEUTONUS legem universalis gravitatis confirmavit, motumque planetarum circa solem ex physicis motuum legibus explicans, astronomiam physicam protulit, quae antea ne nomine quidem erat nota. Demonstravit itaque planetas circa centrum suum agi vi duplici inertiae et gravitatis, seu vi projectili et vi centripeta tali, quae crescit et decrescit in reciproca ratione duplicata distantiarum ab eodem centro: detexit mirificam connexionem inter eam gravitatis legem, et areas temporibus proportionales, itemque inter quadrata temporum periodicorum in planetis diversis, et cubos distantiarum eorundem a sole: explicavit rationem virium centripetarum ad vim projectionis, seu vim illam, qua planeta movetur in orbita; ex qua ratione fit, ut ellipsis potius, quam curva alia e. g. circulus describi debeat: ostendit item, accessum et recessum planetae a centro suo pendere, tum a ratione earum virium, tum ab angulo, quem vis centripeta cum tangentiali conficit. His erutis perspectisque debuerat scilicet Neutonus, coelum planetarium considerans, motum planetarum perpetuo sequi cogitando, cum iisdemque velut revolvi in orbita, ne scilicet naturam, et experientiam sensuum desereret, ac transiliret. At Neutonus tamen naturam atque experientiam sensuum transilivit, atque ad supremum mundi opificem, primam nempe caussam determinantem motuum provectus est. Videbat enim, motus illos constantes et admirabiles pendere a prima distantia, quam projectus globus a centro virium obtinuit: pendere a massa globi attrahentis, cumque nec is careat motu suo, mutuoque attrahatur pariter a massa ipsius projecti globi, pendere a prima directione projectionis, sive ab angulo, quem vis projectionis cum centripeta effecerat: pendere a directione tali, quae per centra projectorum corporum haud transiret, quaeque praeter periodicos circa centrum motus constantem globi projecti circa axem gyrationem efficeret;

pendere denique a prima positione globi, ejusque axeos, circa quem rotatur, certa ad destinatam orbitam inclinatione, unde scilicet praeter dierum noctiumque discrimina annua temporum vicissitudo proveniret. At horum omnium nulla penitus ratio in natura, atque experientia continetur; cum ex his ipsis natura eorum motuum, omnisque experientia dependeat. Natura quidem corporis cujusvis ad omnem materiae quantitatem, compositionem et massam, ad omnem celeritatem, ad omnes directiones, ad omnem virium concurrentium rationem, ad omnem positionem, distantiam, situmque axeos relate ad describendam orbitam penitus indifferens, omnimode ex se indeterminata, ac passive tantum, atque extrinsecus determinabilis est. Vidit ergo Neutonus, quod videre nos Kantius prohibet, naturam atque experientiam transiliri, atque ad primum rerum conditorem recurri necessum esse, si naturalium phaenomenorum rationes sufficientes reddere, quod unum philosophiae munus est, velimus. Non ergo ignava ratione sunt, sed maxime perspicaci, solerteque, qui naturam atque experientiam transiliunt, sed Kantius, qui fieri isthoc prohibet, ignavos reddit philosophos. Est autem haec praecipua laus Philosophiae Neutonianae, ut naturae contemplatores, veri amantes, non desperatione inveniendi naturales caussas ad Deum recurrere jubeat, eundemque velut per machinam advocet, neque per confictas hypotheses, aut longas circuitiones, vel digressiones a re proposita alienas, sed per certissimas, maximeque perspicuas rationes, perque ipsas naturae leges inductione collectas, analyticis formulis, et geometricis constructionibus expressas, ad ipsum naturae Auctorem Rectoremque planissima, tutissimaque via deducat, ejusque solius institutione cursum naturae, atque experientiam possibilem esse demonstret. — Caeterum omnes Kantii antinomias metaphysicas et referre, et condigne refutare, nec angustiae temporis mihi jam nunc pro scribendo emensi, nec mentes juvenum, quarum commodo praesentes hujus scientiae dissertationes dicatas esse volui, et qui longa earundem exhibitione refutationeque magis confunderentur, ut experientia longa didiceram, quam excolerentur, ferre, aut admittere videntur.

Schol. 5. Ut Tyrones objectionibus in Tentamine nefors proponendis refutandis magis idonei reddantur, aliquas hic proponere non putavi supervacaneum fore. Dicunt nempe 1. Non potest concipi, quomodo ex nihilo aliquid fieri possit. R. Objectio haec nulla est; inde enim, quod factum aliquod non concipiatur, necdum sequitur, factum hoc impossibile esse. Qui fiat, quod plantae et animalia ex semine formentur, non concipimus, et tamen id. fieri certissimum est. Dices 2. Ex nihilo nihil fit. Si itaque dicimus: mundum ex nihilo creatum esse, nobismet ipsis contradicimus. R. Certe ille, qui diceret, nihilum materiam esse, ex qua omnia creata sunt, vel nihilum caussam illam esse, quae omnia creaverit, nihilum ut aliquid

considerare, et sibi contradiceret, quia nempe putaret, quod nihilum, materiam quae nihil fuit, constituerit. At qui ante rerum actualitatem nihil actu ponit, et statum hunc non existentiae tamquam punctum cogitat, a quo actualitas esse coepit, is sibi non contradicit; non enim cogitat nihilum ut aliquid, non ut materiam, ex qua, velut caussam efficientem, per quam aliquid productum sit, sed ut nihilum, ut defectum actualitatis, tamquam terminum, a quo actualitas esse coepit. Dices 3. Nulla datur experientia aliquid ex nihilo oriri. R. Quod nulla experientia constet, aliquid ex nihilo oriri, hoc nullum jus tribuit, possibilitatem originis ex nihilo negandi; cum enim tale ens existat, quod rationem sufficientem omnis existentiae in se continet, per entis hujus intellectum, voluntatem et potestatem pari modo aliquid, quod antehac non fuerat, actuale fieri potest, ac in homine fit, qui antehac nullum cogitavit numerum, dum incipit cum unitate numerare. Opponunt 4. Libera licet voluntate Deus creaverit mundum, ex hypothesi tamen, quod voluerit eum creare, debuit ab aeterno creare, ergo etsi mundus sit creatus, existit tamen ab aeterno ANT. prob. Si Deus non creasset mundum ab aeterno, verum cum tempore, fuisset mutatus, ergo cum sit immutabilis, libera licet voluntate creaverit mundum etc. ANT. prob. Si Deus non creasset mundum ab aeterno, verum cum tempore, tunc, ut loquitur Proclus, „ex non faciendo migrasset ad faciendum mundum“ sed hoc est mutari; ergo. R. Dist. A. Libera licet voluntate Deus creaverit mundum, ex hypothesi tamen, quod voluerit illum creare, debuit creare ab aeterno, id est, actionem illam, vim et potestatem, qua effecit mundum (quae nihil aliud est, quam efficax voluntas existentiae mundi) debuit habere aeternam et invariatam Con. A. id est, debuit mundum reddere existentem ab aeterno N. A. et Cons. Ad primam prob. dist. similiter A. et Cons. Ad ult. prob. dist. itidem maj. et concessa min. C. Argumentum istud nimium probat: sequeretur enim ex ipso, omnia mundi entia existere ab aeterno; nec quodquam amplius posse a Deo effici praeter illa, quae jam effecit: quod quis dicat? Caeterum ex eo, quod effectus divinae creationis non sit aeternus, sed in tempore, aut cum tempore incipiat existere, nulla in Deo contingit mutatio; quoniam illud voluntatis imperium, quo Deus creat, eadem semper, et ab aeterno ratione erat in Deo, qua est tunc, cum effectus ipsius incipit existere; adeoque effectus solummodo hic illius novus est: nihil vero intrinsecus ipsi novi accidit. Eleganter in hanc rem Petrus Abailardus (*Lib. 3. Introd. c. 6.*) „Cum dicimus, inquit, Deum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi inesse intelligimus, vel aliquam in laborando passionem, sicut nobis accidere solet; sed ejus sempiternae voluntatis novum aliquem significamus effectum. Cum ergo dicimus eum aliquid facere, dicere est, juxta vo-

luntatem ejus aliquid contingere, ut in ipso nihil novi contingat, sed novum aliquid, sicuti in ejus voluntate fixum permanet, fiat. Unde bene est illud philosophicum :

- - - Stabilisque manens dat cuncta moveri.

Ajunt 5-to. Deum absoluta naturae suae necessitate voluisse existentiam mundi, unde consequens esset, ut mundus aeque, ac ille, aeternus sit. Assertum probant Deus absoluta naturae suae necessitate cognovit possibilitatem mundi, ergo eadem necessitate ejus existentiam voluit. Cons. prob. Ideo primum: quia intellectus divinus est potentia necessaria, sed etiam voluntas est similiter necessaria, igitur si illud, etiam hoc. R. Assertum veritati nequaquam consentaneum est, unde ad prob. C. a. n. C. Deinde d. M. quia intellectus est potentia necessaria quoad omnes suos actus. C. M. quoad aliquos tantum N. M. dist. m. voluntas Dei est necessaria quoad actus internos. C. m. quoad actus externos. n. m. et C. Cum Deus sit ens infinitum, nequit aliud objectum necessarium suarum operationum habere, nisi pariter infinitum, id est, se ipsum; se ipsum igitur necessario cognoscit, ac in se necessario videt suam omnipotentiam, quae cum possibilitate omnium entium, tamquam cum suo termino connectitur, unde in sua omnipotentia eadem necessitate cognoscit omnia possibilia. Deinde se ipsum, utpote bonum infinitum, necessario amat, quod ad voluntatem pertinet, quatenus illa agit ad intra, ut ajunt theologi. Quod autem ad ea, quae Deus extra se agit, spectat, non eodem modo se habet ejus voluntas; est enim liberrima, ut aliquid, vel nihil, hoc, vel illo tempore procreare decernat. Et ratio est: quia 1-mo Deus se ipso beatissimus ac perfectissimus est; nec ulla re extra se existente eget: 2-do res extraneae non contingunt bonitatem infinitam, qua ipsum in sui amorem necessario raperent; nec 3-tio denique ex rerum procreatione, aut existentia quidpiam felicitatis, voluptatis, commodi, aut gloriae internae eidem accrescit. Accedit, quod si Deus non cognosceret omnia possibilia, non polleret intellectu infinite perfecto, cum ad hoc requiratur, ut actu cognoscat, quidquid cognosci potest: possibilitas autem entium sit quoque objectum cognoscibile. Dicunt 6-to Deus ab aeterno voluit mundum: ergo mundus est aeternus. Et certe posita ratione sufficiente, ponitur rationatum: sed voluntas Dei, quae est ratio sufficiens mundi existentis, posita est ab aeterno, ergo etiam mundus positus est ab aeterno. R. d. a. Deus ab aeterno voluit mundum pro tempore c. a. pro aeterno n. a. et C. Ad alterum rursus d. M. Posita ratione sufficiente ponitur rationatum, eo nempe momento, pro quo ejus existentiam ratio sufficiens exigit. C. M. Statim eo momento, quo ipsa existit subd. Si illa ratio non respiciat aliud determinatum momentum c. M. Si respiciat n. M. sic d. m. n. C. Deus ab aeterno decrevit mundum condere, at ita, ut ille certo temporis

momento initium existendi capiat; primum: quia quidquid vult, ob suam immutabilitatem ab aeterno vult; alterum: quia nequit velle contradictoria; est autem contradictorium, ut res creata initio existendi careat. Atque ideo dicimus Deum ab aeterno, verum non pro aeterno, sed pro tempore voluisse mundi existentiam. Idem accomodandum est ad id, quod additum fuit: nempe voluntas Dei non est aliter ratio sufficiens existentiae mundi, quam quatenus ea ab aeterno respexit determinatum temporis momentum, quo mundus existere incipiat, atque ideo is nec ante existere, nec aeternus esse debuit. Nihil igitur contra stabilitam de principio rationis sufficientis doctrinam admittimus. Caeterum argumentum ab aeterna Dei voluntate petitum, nimium, uti jam diximus, adeoque secundum pervulgatum axioma, nihil probat; sequeretur enim omnem rerum successionem absolute repugnare, ac omnia, quae Deus ab aeterno voluit, simul coëxistere debere. Addunt 7-mo alii: Mundus a Deo creari potuit ante omne temporis, imaginarii nimirum, momentum distributive sumtum: igitur etiam potuit creari ante omne temporis imaginarii momentum collective sumtum, quo casu aeternus foret. E. d. a. ac id utrumque cum initio existendi C. A. sine initio existendi N. A. et C. Cum creatio sit productio rei ex nihilo, seu ejus translatio a non esse ad esse, ac proinde necessario exigat, ut res, quae creatur, ante non exstiterit, tumque, cum creatur, existere incipiat, Deus a tota aeternitate non habuit aliam potentiam creandi mundum, quam eam, quae efficere possit, ut mundus per creationem initium existendi obtineat; neque mundus a tota aeternitate aliter habilis fuit ad existendum, quam cum aliquo existentiae initio: nihil igitur, seu ex potentia Dei, seu ex habilitate mundi, licet utraque aeterna, colligi potest pro aeternitate mundi. Quod autem ad alterum: manifesta est dispar ratio: in priori siquidem casu nulla prorsus condradictio latet: nam potuisse mundum ante quodvis temporis momentum distributive sumtum condi, aliud non sonat, quam in tempore imaginario infinito nullum momentum assignari posse, ante quod non potuisset mundus a Deo effici, ita nempe, ut in illo habuisset initium existendi, quod adhuc infinita momenta antecessissent. At vero in posteriori aperta est repugnantia; qui enim ponit mundum potuisse ante omne temporis momentum collective sumtum creari, hoc ipso mundum creatum exspoliat initio existendi, quemadmodum omne temporis momentum collective sumtum, id est, totum tempus imaginarium, quod infinitum est, initio destituitur. Neque obest, quod mundus creatus possit durare in aeternum; ad creationem enim, et ad naturam effectus creati nihil refert, diune, an brevi duret, sed tamdiu durat, quamdiu conservatur: verum creatio, cum sit eductio rei ex nihilo, absolute requirit, ut effectus creatus habeat initium existendi; unde mundus creatus non potuit similiter durare ab aeterno. Dein oppo-

nunt S-vo: Nullam esse rationem, cur Deus tamdiu a mundi creatione sese abstinuerit; seu, cur non ita eum condiderit, ut infinitis jam duraret saeculis: vel quemadmodum improbe Vellejus apud Tullium quaerit „cur mundi aedificatores repente exstiterint? innumerabilia ante saecula dormierint? (*Lib.* 1. *de nat. Deorum c.* 9.) utque Manichaei teste S. Augustino: „quid Deo subito placuit facere, quod nunquam ante fecerat per tempora aeterna? (*Lib.* 1. *de Gen. contra Manichaeos.*) dicendum igitur est, semper exstitisse mundum, ne sine sufficiente ratione cum tempore eum factum esse dicamus. E. N. A. Ratio quippe, cur Deus ab aeterno non fecerit mundum, est, quia impossibilia facere nequit; cur vero non ante plura retro saecula fecerit, quam in praesentia, est eadem ipsa ejus voluntas, qua ipsum fecit. Quod ipsum jam olim agnovit Anaxagoras, qui „primus, ut habet Cicero, omnium rerum descriptionem, et modum mentis infinitae, vi, ac ratione designari et confici voluit." (*Lib.* 1. *de nat. Deorum. c.* 10.) Copiosius porro apertiusque adversus Proclum pronunciat Cl. Benedictus Perrerius. „Agentia, (inquit) quae voluntarie et libere operantur, plerumque ita agunt tantum, quia sic volunt, ut pictor pingit nunc, et non post; tantum, et non plus: interdum non aliam ob causam, nisi quia ita vult. Quocirca in his verum est illud, quod vulgo jactari solet: sit pro ratione voluntas. Et licet Deus nihil agat sine summa ratione, mundumque tunc, et non ante, vel post factum esse, non casu acciderit; rationem tamen hujus quaerere et perscrutari velle stultum est: cum plurimarum rerum, etiam vilissimarum, quas ante oculos habemus, et sensibus usurpamus, causas penitus ignoremus. Satis igitur sit, mundum, vel non potuisse, vel non decuisse fieri ab aeterno: cur autem non ante, vel post sit factus, quam est factus, cum id ex libera voluntate Dei pendeat, et occulto nobis ejus consilio. praestat pie ignorare, quam curiose, ac superbe perscrutari:" (*Lib.* 15. *de com. prin. c.* 4. *ad prim. arg. Procli*) Sunt qui et hoc modo in hoc puncto argutantur: Cur Deus citius hunc mundum non condidit? vel non potuit antea, dicunt, vel non voluit. Si non potuit, nunquam potuisset postea; si non voluit, eccur deinde voluit? Et si aliquando voluit, semper voluit, cum in ipso volitionum successio non detur. Verum nugae hae sunt. Voluit certe Deus semper; sed non pro semper; at cur hoc potius, quam alio tempore? Quia id a liberrimo ipsius arbitrio pendebat. Certe quodcunque statuas tempus, statuendum autem est necessario aliquod, cum creatio ab aeterno repugnet, semper redibit eadem quaestio, quam non enodabis, nisi recurrendo ad summam Dei libertatem. Haec de tempore imaginario mundi ortum antecedente. Quodsi de reali quaeras, respondebo cum Moshemio (*in Cudor. Syst. intell. c.* 5. 6. 22. *not.* 2) „Nullus cum sit temporum ordo in aeternitate, stultum et ineptum est sciscitari, cur hoc potius quam alio tempore

supremum Numen hanc rerum universitatem construxerit? Quoad qui sibi vult explicari, is proprie sibi rationem reddi cupit, quamobrem tempus non fuit, antequam esset tempus: quod merito absurdum et inficetum dixeris." Opponunt 9-no. Deus ab aeterno, vel fuit actu opifex mundi, vel non fuit opifex actu, sed tantum potentia; si primum: tunc mundus existit ab aeterno; si alterum: tunc Deus cum actu effecit mundum, mutatus est: transiit quippe, ut loquuntur scholae, a potentia ad actum: sed Deum mutatum esse, cum mundum creavit, dici non potest; ergo neque dici potest, illum potentia duntaxat fuisse ab aeterno opificem mundi, verum dicendum est: quod fuerit opifex actu, atque adeo quod mundus extiterit ab aeterno. R. Deum, spectata ratione sibi intrinseca, ob quam est, et dicitur opifex mundi, fuisse ejusdem opificem actu ab aeterno; spectata autem ratione extrinseca, fuisse solum potentiam. Intrinseca nempe ratio, cur sit, et dicatur opifex mundi, est voluntas illa, qua mundo existentiam tribuit: haec autem in eo erat actualis ab aeterno: ratio vero extrinseca est ipse mundus efficacitate ipsius existens: cum igitur hic ab aeterno non exstiterit actu, sed solum potuerit existere, nec Deus comparate ad illum fuit opifex ipsius ab aeterno actu, sed solum potentia. Inde autem nulla mutatio sequitur in Deo, quod denominationem aliquam comparativam non habuerit actu ab aeterno, sed in tempore obtineat; per ejusmodi quippe denominationem nihil reale Deo noviter advenit; sed novi duntaxat aliquid extra ipsum ponitur, cujus deinde respectu novi quidpiam de ipso dicitur. Nempe denominationes, ut vocant, comparativas potest ens obtinere, tametsi ipsum omnino maneat immutatum. Sic, quamvis statura Petri maneat invariata, si tamen Paulus sensim ita excrescat, ut corpore Petrum exaequet, iste novam adipiscetur denominationem, diceturque aequalis Paulo, tametsi neque aliqua mutatione in se facta hanc denominationem obtinuerit, neque haec obtenta ullam in eum induxerit mutationem. Atque hujusmodi est ea denominatio, quae Deo quodam tempore accedit ex eo, quod res, quam condit, ad existentiam perveniat. Monet hoc idem D. Augustinus: „Quod (inquit ille) temporaliter dici incipit Deus, quod autem non dicebatur, manifestum est relative dici; non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit; sed plane secundum accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relative." (De mundi creatione contra philosophos). Asserunt 10-mo. Mundi aeternitati plura favent ex historia naturali, et veteribus chronologiis depromta argumenta. Nam 1-mo crystalli montosae nonnulla exigua frustula vix multis annis efformari posse certissime constat. Quot igitur millenis saeculis opus fuisse putabimus, ut ingentes illae, et enormes crystallisationum massae efformarentur, quae repertae sunt ab amatoribus historiae naturalis. 2-do. Testantur Chaldaeorum Chronologiae, Alexandri M. temporibus Chal-

daeos jactasse astronomicas observationes annorum 473000 antea institutas. Aegyptii proprium imperium per tres series Dynastarum 36525 traductum fuisse asserebant usque ad NECTANEMUM, qui ante Alexandri M. expeditionem ab OCHO, Persarum rege, victus fuit, ac regno pulsus. Sinenses denique imperium familiae HIA demandatum dicunt annis 2207 ante Christum, et hac familia priores septem alios reges recensent, qui plusquam 7 saeculis imperarint, atque alios item memorant reges, immanis prorsus antiquitatis, quae creationis mundi epocham multo antecedit. (*Vide Stanleyum et Brukerum de philosophia chaldaeorum, Sinensium etc.*) Neque mendacii insimulari possunt chronologiae hujuscemodi. Generis enim nostri inassignabilis prorsus antiquitas ratione etiam suadetur. Nam cum viginti retro saeculis eadem fuerit incolarum telluris multitudo, quae hodie, uti ex historiis colligitur, quid prohibet quominus eandem numero multitudinem et 40 et 100 retro saeculis fuisse asseramus. Nisi enim id concedatur, necesse est, ut aliqua extiterit caussa, ob quam 20 retro saeculis crescere desierimus. Nemo autem non videt hac ratione ad aeternitatem nos accedere &c. Verum in promtu est, quod allatis argumentis respondeamus. Primo enim minus recte ratiocinari videntur aeternitatis mundi defensores, qui productionibus naturalibus auream regulam aptantes, ex quo ex grat. unus crystalli digitus non efformatur nisi 10 annis, inferunt 100 opus esse annis, ut massa digitorum 10 posset efformari. Planum enim est 10 et 1000 annis, decem aut plures crystalli digitos produci, non secus ac unum, ubi simul decem aut millenis annis ea confluat materiae quantitas, 10 aut pluribus crystalli digitis efformandis idonea. Illud insuper observo: miram mundi antiquitatem hoc argumento evinci posse, neutiquam vero ipsius aeternitatem. Propriae vero caussae imbecillitatem ostendunt adversarii, dum originis hujus mundi argumenta comtemnunt (quorum plurima ex interna telluris constitutione et structura collegerunt BURNETUS (Theoria telluris sacra) WODVARDUS (Geographia physica) JAQUELOTIUS (de existentia Dei) BUFFONIUS (in theoria telluris) aliique, ac serio fabulosas et commentitias Chaldaeorum, Aegyptiorum, ac Sinensium arripiunt Chronologias. Revera si tantae antiquitatis monumenta, aut scriptores testes requiras, nullos reperires, qui fidem facere possint; quin imo cum constet Confucium 551 ante Christum floruisse, atque ipsum de rebus Sinensibus scribentem, veluti valde dubia omisisse, quae sub Dynastis Hia et Xem accidisse narrabantur, atque Sinensium regum chronologias exorsum esse a familiae Cheu imperio, seu ab anno 1122 ante Christum satis patet, nullam hisse antiquitatibus, vel priscis illis temporibus fidem habendam esse. Caeterum hac de re fusius agere non est opus, postquam STANLEYUS, MERSENNUS, BRUKERUS, aliique Chaldaeorum, Aegyptiorum et Sinensium portentosas illas antiquitates, fabularum, contradictionum, et

mendaciorum plenas ostenderunt. Consulatur praecipue Dominus Gueudeville, qui in peculiaribus dissertationibus Regum Aegyptiorum, Sinensium aliorumque series geneologicas referens, ipsorum regna et imperia intra communem creationis mundi epocham contineri aperte demonstrat. Neque officit adjecta observatio. Nam plures nunc telluris partes excultas, et multitudinem incolarum hodie majorem esse, quam 30 retro saeculis minime possunt in dubium vertere, aeternitatis mundi propugnatores. Id enim plurima veterum historiarum eruditione demonstravit inter alios Bojerus (*in comment. Acad. Petropol. Tom. I. anno* 1726. *pag.* 385. *et Tom. III. pag.* 295). Sed quaenam caussa inquiunt, assignabitur, cur nunc major, tunc minor fuerit incolarum orbis multitudo? Unde tanta veterum coloniarum frequentia, nisi genus humanum copiosissimum tunc temporis fuisset? Nempe quia genus humanum cum artibus nutrientibus crevit; id quod et nostris evenit temporibus; siquidem Italia, ut adnotat Genuensis (*Discript. Metaph. Elem. Tom. V. Dissertat. contra mundi aeternitatem*) vigente jam ante Seculum XV commercio, omnigenisque artibus florescentibus, majorem familiarum hominumque numerum alebat, minorem Anglia, Gallia, Batavia. Hisce artibus apud nos languescentibus, atque ultra alpes oceanumque fugatis, decrevimus, illis in dies augescentibus. Frequentia autem veterum coloniarum exiguum illis temporibus hominum numerum fuisse evincit, nobisque favet potius, quam adversetur. Nam si tanta, ut nunc est, priscis illis temporibus multitudo fuisset, non facile coloniae terras invenissent, quas occuparent, aut nonnisi vi et armis ipsas obtinuissent, quod tamen fere nullis legitur contigisse. Opponunt postremo. Ecliptica, referente Herodoto, aequatoris circulo aliquando fuit perpendicularis; nunc autem a perpendiculo distat gradibus $66\frac{1}{2}$ sive minutis primis 3990. Porro cum observante Lovilleo (*In comment. Academiae Paris. anni* 1716, *et in Diss. de mutabilitate Eclipticae edita in Actis Erud. Lipsiae* 1719.) obliquitas eclipticae nonnisi uno minuto singulis saeculis imminuatur, patet annis 399000 opus fuisse, ut a perpendiculo cum aequatore ad eum obliquitatis gradum perveniret, in quo nunc reperitur. Itaque creationis mundi epocha corruente, ad ipsius aeternitatem facilis sternitur via. R. Nullius haec sunt momenti. Etenim imminutionem obliquitatis ecliptic cae ex attractione planetarum, Jovis potissimum ac Veneris pendere, atque una nodorum revolutione restitui in gradum pristinum, totiusque variationis differentiam uno gradu majorem esse non posse, neque ullam idcirco dari perennem eclipticae declinationem res sunt nunc temporis Astronomis prorsus compertae, atque accuratissimis observationibus confirmatae. Mirum hinc est Voltairum pervulgatum olim errorem de perenni eclipticae

declinatione noviter in lucem producere voluisse, ad tuendam originis nostrae immemorabilem antiquitatem. Igitur neque ex astronomicis observationibus et institutis calculis depromi argumenta possunt ad aeternitatem mundi comprobandam.

MEMBRUM III.

De Nexu Cosmico.

§. 32.

Videmus, eum esse rerum hujus mundi ambitu comprehensarum ordinem, et ad se invicem relationem, ut, vel unum alterum producat, vel unum sit, propter aliud. Ordo hic, et relatio nexus cosmicus, seu mundanus appellatur, qui duplici modo spectari potest, aetiologice videlicet et dynamice. Nexus cosmicus aetiologicus, qui aliter teleologicus, finalis, vel ratione spatii audit, est ille inter objecta hujus mundi nexus, vi cujus unum propter alterum adest, seu in se rationem, cur ei alterum coëxistat, continet. Nexus vero dynamicus seu caussalis, vel etiam nexus ratione temporis ille vocatur, vi cujus objectum unum in alterum influit, unum in altero mutationes producit, unum alteri succedit. Nexum dynamicum caussae efficienti et effectui, aetiologicum vero caussis finalibus convenire, ex notionibus caussae efficientis et finalis, in Ontologia elucubratis, facile intelligitur.

Scholion. In universo multitudines sunt multae, multa rerum genera, multae species, multa individua; multa tota, multae totorum partes: essentiae multae, vires multae, actiones itidem multae. Multitudo haec rerum tam multarum, vel ordine constat aliquo, vel ordine constat nullo; si nullo: nulla caussa effectum suum praecedit, nullus effectus caussam suam sequetur: — neque actio a viribus nascetur, neque vires ab essentia, sed haec erit post vires, et actio vires anteibit, omnia per omnia erunt fusa:

omnia in omnibus confusa jacebunt. At his omnibus contraria cernimus omnia, et experimur, ergo res mundanae omnes constant ordine aliquo, et sunt suis numeris, formis, molibus, qualitatibus ornatae et ordinatae. Copiosae id nervoseque probat Ant. Gen. (*Elem. Met. Part.* I. c. 4. *Prop.* 45). „Tota ferme, inquit ille, corporea natura, quatenus sensus nostri patent, diligentissime a recentioribus philosophis pertentata est. In tellure aër, aqua, terrae, argillae, arenae genera omnia; herbae praeterea et plantae; brutorum etiam species omnes; non majora tantum, sed minima quoque considerata, ac ad rationis lancem appensa sunt, vel exiguae eorum partes microscopiis in examen adductae. Omnia mira harmonia esse constructa compertum, nullam esse in tantis corporibus particulam, quae non ad rationis et consilii artem sit facta. Quo plus in naturae penitissima devenitur, ac adaequatius rerum singularum relationes introspiciuntur, eo clarius admirandus infinitarum particularum ordo detegitur. Detegitur et singularum serierum constantia. — Quum in iis, quae detegere potuimus, nihil hucusque extra ordinis regulas positum deprehendere potuerimus, isque ordo nec ullo unquam tempore, nec locorum varietate mutaverit, magnae profecto esset dementiae, ea quae minus comprehendimus, velut casu jacta, aut inconsiderate posita accusare. Sed non in tellure tantum, philosophorum hujus temporis perquisitiones continentur; totum ferme universum complectuntur, ac pervagantur. Systematis planetarii ordo, ejusque ordinis leges, quum aliis, tum imprimis Viro summo Isaco Neutono, enucleatae sunt. Iis constat, nihil in tanta magnorum corporum congerie non sine summa stare ratione: magna haec corpora motus suos peragere juxta aeternas Geometriae proportiones, idque tanta constantia, ut nihil in tanta temporis antiquitate luxatum sit, nihil unquam a regula exorbitaverit. Analogiae ratio exigit, ut idem de tota mundana extensione teneamus. Quando ergo in magnis hujusmodi machinis nihil est non ex regula et ratione, necesse est, ut ne in prima quidem coagmentatione simplicium, ac primigeniarum universi substantiarum quidquam sit, quod non constantem, ac certam normam sequatur. A primis enim illis, ordinis, symmetriae, proportionis initium est; ut nequeat ullum in illis esse enorme, quod non statim totum, quod illae spectant, vitiet, ac foedet.“ Quod argumentum compendio huc redit. Quaecunque nobis in tota corporea natura hucusque detegere licuit, omnia deprehenduntur miro stabilique ordine esse constituta: ergo idem nobis sana ratione judicandum est, de iis quoque, quae minus comprehendimus. Deinde in systemate planetarum accuratissimus, constantissimusque tantorum corporum deprehenditur ordo; quid nisi igitur simili ordine universam hanc mundi molem constitutam esse persuasum habeamus? Denique in magnis hujus mundi machinis nihil est non singulari ratione ordinatum; sed ho-

rum ordo pendet ab ordine simplicium et primigeniarum universi substantiarum, has quoque igitur rectissime ordinatas esse oportet. Certo itaque ac fixo ordine partes omnes hujus universi inter se digestas, conciliatasque esse, naturae ipsius contemplatio satis ostendit. Unde consequens est: 1. Mundum istum esse magnum quoddam systema ex simplicioribus plurimis coagmentatum. 2. Esse illum varietate quidem entium multiplicem, ordine tamen et unitate compositionis unum, et vel ideo essentiam illius exsistere in modo compositionis ejusdem. 3. Esse illum seriem rerum contingentium: nulla quippe entia, quae seriem mundanam constituunt, existentiae suae rationem in se continent, omnia igitur contingentia sunt. 4. Posse illum spectari instar machinae. Nomine quippe machinae venit ejusmodi compositum, cujus mutationes ex ipsa ejus structura per statas motus leges peraguntur: tale vero compositum esse mundum, tum ex illis observationibus patet, quas ad ostendendum ejus ordinem supra retuli ex Antonio Genuensi, tum in Physica patebit uberius.

§. 33.

Est in mundo nexus ratione temporis. *Prob.* Praesens rerum status a priore pendet, et prior ille pendebat ab alio ipsum praecedente, atque ita porro, usque dum ad primum conditi mundi statum deveniatur: atqui istud tantumdem est, ac esse in mundo nexum ratione temporis, ergo est in mundo nexus ratione temporis. *Maj. patet*; quilibet enim rerum status caussam suam habere debet, a qua pendeat; haec autem ad praecedentem utique statum est referenda. Certe ut materia mundi dato quopiam tempore habeat determinatum statum, ad eum a statu praecedente determinari debet; qui praecedens status si fuisset alter, ac fuerit, subsequens quoque alter esset, ac sit: neque enim e. g. lapis, qui tempore quopiam est in tellure, esset ibi, si tempore proxime praecedente fuisset in luna. Porro status praecedens non potest determinare sequentem, nisi quatenus ipse determinate existit; ipse autem itidem nullam habet in se determinationem ad existendum, sed illam accepit a statu praece-

dente, et sic porro. Nexum itaque ratione temporis in mundo esse, patet.

Scholion. Nexus hic, ut alia exempla praeteream, elucet in serie succedentium sibi animalium, arborum, fruticum herbarum; quodlibet nempe horum individuum ex alio praecedente originem suam trahit, itaque cum hoc proxime, remote vero cum omnibus illis connectitur, per quae series propagationis usque ad hanc proximam ejus causam est continuata. Alterum exemplum sit in plantae cujusvis generatione: haec ut producatur, semen ejus est terrae committendum, terra humore irriganda, humor in seminis canaliculos adigendus, calore fovendus etc. ergo in singulis his successivis naturae effectis continetur ratio crescentis plantae, proindeque hujus generatio cum omnibus illis connectitur.

§. 31.

Est in mundo nexus ratione spatii. *Prob.* Si Deus eo fine voluit unum simultaneorum alteri coëxistere, ut ei certos quospiam usus praestet, est in mundo nexus ratione spatii; ea enim, quorum unum alterius caussa conditum est, connexa esse, nemo non videt: atqui Deus eo sane fine voluit unum simultaneorum coëxistere alteri, ut certos illud alteri huic usus praestet, ergo est in mundo nexus etiam ratione spatii. *Min. prob.* Deus gubernat mundum, et providentia sua administrat, ut in Theologia naturali docebitur: ergo si unum simultaneorum alteri egregios, et necessarios usus praestat, fatendum est, hos ipsos usus fuisse fines, cur Deus ea simul consistere voluerit; atqui ab uno simultaneorum alteri egregios et necessarios usus praestari, amplissima inductione evinci potest. Sic quis non videt singulares illos usus, qui ex ea, quam experimur, solis constitutione capi in tellure solent? Finge illum ab hac tanto intervallo disjungi, ut nulla, aut prorsus exigua sit apud nos radiorum solarium efficacitas, nonne adamantino quodam gelu rigescent omnia. Finge eundem

telluri nimis vicinum reddi, nonne vehemens quidam et intolerabilis ardor nova exitii caussa erit? Quodsi unam eandemque semper telluris partem suis feriret radiis, aut ab aequatore nunquam deflecteret, veri aestas, huic autumnus, autumno hyems succedere non posset: cum tamen ex his temporum quatuor mutationibus omnium, quae terra marique gignuntur, initia caussaeque ducantur. Deinde quae erit, quaeso, rerum facies, si aër telluri circumfusus respirationi animalium, vaporibus sustentandis etc. servire desinat? Si venti vapores in nubes nunquam cogant, noxias exhalationes non dissipent? si nubes aestum nimium non temperent, inque pluviam resolutae terram non irrigent? si aquae pisces, sylvae feras, terra fruges, caeteraque nutriendis tam hominibus quam animalibus servitura prorsus denegent? Negari itaque haud potest, dari quoque in hoc mundo nexum finalem, seu nexum ratione spatii.

Scholion 1. Confirmatur ultra successivorum aeque ac simultaneorum hujus mundi entium connexio a stabili illo, aequabilique rerum cursu, quem experimur. Idem constanter ordo, in quovis peculiari systemate, uti solari, lunari, toto planetario etc. ejusdem generis causarum materialium eaedem constanter sunt actiones, per quas pari stabiliter ratione alia composita intereunt, alia exoriuntur; sed istud non videtur fieri posse citra perfectam corporearum mundi partium connexionem; hae itaque partes perfecte inter se connectuntur: quodsi autem hae, de immaterialibus quoque probat analogiae ratio. Deinde etsi plurimarum rerum fines particulares, quos Deus per illas in hoc universo obtinere intendit, ignoremus; quarumdam tamen, aliquos saltem, manifestissime videmus; ex quibus facile intelligitur, quanta sit entium hujus mundi connexio vel per caussas finales. Denique Deus quodlibet ens ad certam hanc, quae mundum constituit, seriem rerum efficiendam condidit ita: ut, nisi ad hunc finem deserviret, secundum praesentem suam dispositionem illud non condidisset; ergo sic se invicem habent singula entia hujus mundi, sicut se habent singulae partes machinae cujusdam artefactae; sed hae mutuo aliquam existentiae suae rationem continent, ac proin inter se connectuntur, ergo similiter. *Min. subs. prob.* Sicut harum partium altera sine

altera non deserviret ad certam illam machinam conficiendam, quam ex illis componere intendit artifex; ita cum hic illas in praesentia, nonnisi ejus machinae caussa efficiat, alteram illarum sine altera non efficeret; ergo aliquam effectionis, atque adeo praesentis suae existentiae rationem mutuo continent.

Schol. 2. Cum inter hujus mundi entia, secundum relativam eorum perfectionem, indeque emergentem dignitatem subordinatio locum habere debeat, inorganica naturae producta, duntaxat pro instrumentis entium organicorum habenda sunt; aut aliis verbis: quod inanime in natura est, id nonnisi pro eo praesto est, quod vivit. Atque huic decreto congruenter judicamus, dum dicimus: magna illa mundi corpora, quae in coelo, ut puncta luminaria, innumerabiliaque observamus, non minus a rebus creatis vivis inhabitari, quam tellurem nostram. Ipsa illa cogitatio, in omnibus his corporibus, quorum unumquodque multis entium vivorum millionibus domicilium, alimentum, objectaque actuositatis offerre potest, perpetuum dominari silentium, quasi aeternam referens mortem, rationi reflectenti intolerabilis esse videtur, eoque quidem magis, quo diligentius illa, magnitudinem majestatemque mundi intuetur. Quid? quod ratio, ne eo quidem videri potest esse contenta, si entia viva subordinati gradus in iis sumat, nisi etiam illa ab entibus rationalibus inhabitari simul credat. Exstare autem totalia illa mundi corpora in solius hominis gratiam, id ad pueriles opiniones easque illusorias sine negotio referendum esse, patet. Vi praefatae subordinationis entium hujus mundi, licet homines multiplici respectu reliquis animalibus, et animalia universe plantis servire dubitari nequeat, plantae tamen in serie finium, inferiorem habent locum, quam animalia, et haec vicissim, in quantum irrationalia sunt, inferiorem, quam homo. Cum enim natura hominem omnibus iis initiis originariis dotaverit, quibus ille omnia, quae sibi in natura circumposita sunt, propriis suis finibus subjicere potest; intelligitur, eum in serie finium naturae supremo in loco esse collocatum. Et licet dubitari non possit, hominem multiplici respectu ab animalibus superari, velut: viribus, celeritate, sensuum subtilitate etc. inde tamen haud sequitur imperfectius eum esse organisatum, quam sint illa, simul ac enim totum organisationis diligenter respicimus, illico praecellentia hominis in oculos incurrit. Denique verum omnino est, animalia irrationalia quemadmodum hominem suos consectari fines ac prosequi, sed cum hoc bruta coeco instinctu impulsa faciant, homo contra suorum finium conscius sit, finesque pro lubitu sibi describat: facile apparet, eundem hoc quoque titulo ad summum inter animalia fastigium esse exaltatum. Ex quibus omnibus intelligitur, hominem in systemate finium naturalium pro ultimo naturae fine intra illam sphaeram habendum esse, quam ei

natura ad sensualem ejus existentiam his in terris assignavit; ut adeo sicut plantae pro instrumentis animalium, ita animalia simul cum plantis, pro instrumentis animalium rationalium, seu hominum haberi debeant; consequenter quod irrationale in natura est, id nonnisi pro rationali praesto esse, patet.

§. 35.

Ex falsis et mancis, de omnium rerum et eventuum in hoc mundo nexu, conceptibus varias de Fato opiniones nasci, facile intelligitur. Et reapse fuisse, qui omnia entia, adeoque etiam intelligentia, uti sunt homines, in existendo atque agendo et potiendo absolutae et coecae, id est, tali necessitati, quae nullis certis causis et finibus constitueretur, obnoxia esse contenderent, ex historia philosophiae constat. Ejusmodi necessitas fati, ejusque assertio et persuasio fatalismi nomine venit. Pro diversitate fontis, a quo varii infandam illius absolutae et coecae necessitatis existentiam repetunt, diversas fati formas conceperunt et denominarunt. Nos hic earum praecipuas brevi expendemus, ad quas caeterae etiam revocari facile poterunt; fatum videlicet Astrologicum, Stoicum, Atomisticum, Pantheistieum et Muhamedanum.

Scholion. Fatalis morum et fortunae in singulis hominibus necessitas justis de mundi, et Dei natura conceptibus repugnant. Mundus, in quo omnia caussarum et effectuum, atque finium et mediorum ordine consistunt et procedunt, non materiae brutae, sed intelligentiae sapientis opus est, adeoque omnem fatalem necessitatem excludit, et tantum providentiae administrantis regimen innuit. Homo, qua ens physicum ordini et cursui naturae inevitabiliter obnoxius, qua ens morale vero, cui ratio recte et bene vivendi normam, ejus voluntate vel exequendam, vel deserendam monstrat, omni natura superior est. Sed non tantum falsae, verum etiam pestiferae sunt omnes de fatali omnium, vel saltem eorum, quae in vita hominum gravissima sunt, perfecta necessitate opinationes; aperiunt enim divinationum superstitionibus, atque ignavae rationi aditum, quae omnem caussarum investigationem, et pru-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

dentiae solertiam superfluam et inanem reddit. Historia generis humani docet, persuasiones de fati coeci dominatu maxime gentium et hominum rudium mentes tenere, atque ab iis, qui apud eos Magorum et Vatum autoritatem sibi arrogant, conservari et propagari; apud cultas gentes vero improbos subinde astrorum et fati vim accusare, ut aliquam delictorum suorum excusationem praetexerent, atque eruditos nonnunquam immoderatis speculationibus eo devenire, ut vitam humanam fato regi statuant.

§. 36.

Fatum astrologicum, etiam genethliacum, chaldaeis, aegyptiis et aethiopibus charum, omnium in hoc mundo eventuum necessitatem ab immutabili astrorum actione promanare docebat. Nullum esse ex sequentibus patet; nam 1-mo: si planetae humanas determinarent actiones, nostramque regerent voluntatem, omnis certe tunc moralitas tolleretur, dispareret omnis virtus, meritum nullum homini adscribi, scelus nullum ipsi imputari posset, et Creator mundi omnium malorum fons dici deberet. 2-do. Planetae utpote corpora vita destituta, proprietates morales habere nequeunt, hinc eas etiam homini communicare non possunt. 3-tio. Observamus homines sub eodem sidere, eodem tempore natos, hebetes alios, ingeniosos esse alios, hos sinistra, alios secunda vectos fuisse fortuna. 4-to. Experientia teste, vitia, propensiones et defectus naturales per decursum vitae corriguntur, quae tamen si per astra ingenerata et tradita fuissent, nulla ratione mutari possent. Denique 5-to cum eorum, quae in terra fiunt, quaeque hominibus accidunt, rationem sufficientem in caussis aliis antecedentibus in tellure occurrentibus deprehendamus, non est, cur ad coelum et astrorum efficacitatem confugiamus.

Scholion 1. Fatum hoc, multis passim argumentis confutavit Tullius. Insignem ejus locum referam, depromtum ex

Lib. 2. *de Divin* c. 45. „Quid, quod uno, et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas et casus habent, parumne declarant, nihil ad agendi vitam nascendi tempus pertinere? nisi forte putamus neminem eodem tempore ipso et conceptum et natum, quo Africanum: num quis igitur talis fuit? Quid? illudne dubium est, quia multi, cum ita nati essent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur, et corrigerentur ab natura, cum se ipsa revocasset, aut arte, aut medicina? aut quorum linguae sic inhaerent, ut loqui non possent, eae scalpello resectae liberarentur? Multi etiam naturae vitium meditatione, atque exercitatione sustentarunt. ut Demosthenem scribit Phalerus cum ϱ dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret. Quodsi haec astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare potuisset. Quid dissimilitudo locorum, nonne dissimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile est: quid inter Indos, et Persas, Aethiopes et Syros differat corporibus, animis, ut incredibilis varietas, dissimilitudoque sit. Ex quo intelligitur, plus terrarum situs, quam lunae tractus ad nascendum valere."

Schol. 2. Planetas cum terra ejusque incolis connexos esse, atque adeo in utraque pro ratione diversae distantiae influxum exercere, seu physice agere verum omnino est; scimus quippe a sole calefieri terram, illuminari corpora, vitam et incrementum plantarum animaliumque promoveri, lunam noctu lucere, fluxus refluxusque maris caussare, corpus item ingenium et animum hominis pro diversitate climatis modificari etc. at falsum est, voluntatem nostram, actionesque ab illa determinatas ab hoc influxu dependere, hanc enim liberrimam, suarumque determinationum independens esse principium, suo loco patebit.

Schol. 3. Inter Ethnicos et Paganos permulti exstabant Vates, ex astris vaticinantes, et nec Philosophia, nec Religio Christi eorum ad nostra usque tempora propagationem impedire potuerunt. Mirandum sane est, quam inepta, et impia saepe pariant auri sacra fames, et infirmans hominis intellectus. Nationes caeteroquin non incultae, populi praejudiciis irretiti, aulae principum et procerum, tabernae pauperum et domus civium, literati et illiterati firmiter credebant, per stellas et planetas fata hominum determinari, integramque regi naturam. Proles sub signo Veneris, vel Mercurii, aut Martis natae, jam hoc ipso determinabantur ad amandum, peregrinandum, mercandum, furandum, militandum etc; Venerem enim amoribus, Mercurium peregrinantibus, furibus et mercaturae, Martem bello praeesse, Saturnum vitae longae curam habere existimabant. Astrologi — homunculi ejusdem extractionis et farinae, ac Augures et Haruspices veterum— Chiromantes et diversi

alii hujus generis Divinatores, visitabant urbes et pagos, superstitionem et dementias suas charo vendentes pretio. Prela Typographorum sudabant in imprimendis calendariis, distincte exhibentibus, qualisnam planeta hoc anno sceptrum teneat, qualis hoc mense, imo qualis hac die regnet, quem influxum in neonatos habeat, qua die uxor ducenda, vena secanda, equi emendi sint.

§. 37.

Fatum Stoicorum est necessaria quaedam ac non interrupta caussarum effectuumque series, constituta a voluntate Dei necessaria ac immutabili, sine ulla ad propensiones voluntatesque humanas accomodatione. Falsitas hujus doctrinae inde patet: 1-mo quod in mundo non absoluta, sed tantum hypothetica necessitas locum habeat; nam primo vires materiae, prout materia ipsa, ab alio productae, consequenter conditionatae sunt, ergo hypothetice existunt, hinc etiam conditionate, seu hypothetice tantum agunt. Secundo: vires cujusvis entis tum in majoribus, tum in minoribus partibus universi, dependent a viribus corporum vicinorum. Si dependentia haec in infinitum progrederetur, daretur totius naturae dependentia, extra naturam a nihilo dependens, nihilo superstructa, quod est absurdum. Debet itaque vis quaedam superior extra mundum, seu naturam, adesse, a qua dependentia illa mundana, a qua universus dependeat mundus, seu natura. Nulla ergo in natura datur absoluta necessitas. 2-do Homo est ens spontaneum, se ipsum determinans, ergo etiam actiones hominis non sunt absolute necessariae, voluntas ejus est libera, libera ejus activitas. 3-tio Clare docet experientia, effectus naturae non semper secundum regulas immutabiles fieri; docet, quod naturae interdum placeat a communi recedere regula, uti id ex sic dictis lusibus naturae manifestum redditur. Cum denique

4-to adeo delirent Stoici, ut etiam Deum, qui liberrima voluntate hunc mundum condiderat, ferreae subjiciant necessitati, fatum illorum nullatenus sustineri posse, patet.

Scholion 1. Fatum istud sic ex Stoicorum sententia exprimit Seneca philosophus (*Quaest. nat. L.* 2. *c.* 53). „Ita haec servant cursum suum irrevocabilem, ex destinato fluunt. Et quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem; quia priorem superveniens praecipitat: Sic ordinem rerum fati aeterna series rotat, cujus haec prima lex: stare decreto. „Et alter Seneca (in Oedipo).“

Fatis agimur: cedite fatis.
Non sollicitae possunt curae
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto,
Servatque sua decreta colus
Lachesis. - - - - - -
Non illa Deo vertisse licet,
Quae nexa suis currunt causis.

Schol. 2. Sunt et hac aetate non pauci, qui e Dei providentia, seu praenotione, fatum quoddam stoicum videntur extundere. Certe dilemma Tullianum (*L. de fato c.* 12). „Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item, si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, non convalesces; et alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet.“ ex eorum sententia facile conficitur; licet enim immutare, ut fati nomen non adjungas, et eandem tamen teneas sententiam, hoc modo: Si ex aeternitate Deus praestituit (vel praenovit) ut ex hoc morbo convalescas, sive medicum adhibueris, sive non adhibueris, convalesces: item, si Deus praestituit, (vel praenovit) ut ex hoc morbo non convalescas: sive medicum adhibueris, sive non adhibueris, non convalesces: et alterutrum praestituit, (vel praenovit) medicum ergo adhibere nihil attinet. At nec providentia, aut praenotio Dei fatum inducit: non enim, quae erunt, idcirco futura sunt, quia Deus futura praenovit et providit: sed idcirco praenovit, quia revera futura sunt, quamvis cur sint, rationem sufficientem in sua contineat omnipotentia. Audiatnr Aug. *L.* 5. *de. Civit. Dei c.* 9. „Non est consequens, ut si Deo certus est caussarum omnium ordo, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et ipse quippe nostrae voluntates in caussarum ordine sunt, qui certus est Deo, cujusque scientia continetur: quoniam et humanae volun-

tates humanorum operum caussae sunt, atque ita, qui omnes rerum caussas praescivit, profecto in eis caussis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum caussas esse praescivit." Nempe non ideo fiunt liberae hominum actiones, quia Deus praenovit esse futuras, sed ideo Deus praenovit, quia libere aliquando erant ponendae. Quare tempore tantummodo non natura antecedit praenotio Dei liberas id genus actiones, impediri proinde per easdem potest. Sed haec penitius enucleare theologorum est.

§. 38.

Fatum Democriticum est necessaria series caussarum et effectuum omnium, promanans ab aeterno et ineluctabili atomorum motu, quo omnia, quae eveniunt, efficiuntur, unde etiam Atomisticum, et quia Deum impie a mundo removet, Atheisticum nuncupatur. Cum ex mente Democriti, ut habet Cicero de fato c. 10. ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur, impium hoc fatum libertatem animorum prorsus submovet, quam tamen et conscientia nobis attestatur, et gravibus deinceps argumentis propugnabimus. Cum porro atomos ex omni aeternitate extitisse, quin a Deo creatae fuerint, materiam proinde aeternam et increatam statuat, quod falsum esse superius diximus, illud sustineri non posse clarum est.

Scholion. Atomos aeternas et improductas non existere hoc quoque modo ostendi potest: atomi vel existunt numero infinitae, vel finitae; at neutrum dici potest; non primum, quod quidem Epicuro placuit; praeterquam enim quod numerus actu infinitus et extensio realis infinita repugnent, atomi numero infinitae prorsus replevissent spatium actu infinitum: in spatio autem infinito perfecte pleno fieri nequit motus, qui ad effectionem corporum mundanorum requiritur. Sed neque atomi possunt esse numero finitae; cum enim quaevis atomus absoluta necessitate, quae universalis est, nullamque exceptionem admittit, existeret, nulla omnino ratio sufficiens esse posset, cur ea necessitas in numero hoc determinato atomorum et non potius, in quovis alio deprehendatur; absolute certe impossibile est, ut necessitas absoluta ad determinatum quemdam numerum restringa-

tur. Imo tametsi existerent atomi improductae, ex fortuita tamen earum concursione mundus oriri non potuisset. Vel enim omnium atomorum motus, directio, ac celeritas aequalis esset, vel inaequalis; sed hoc alterum fieri omnino nequit; cum enim motum haberent ex eadem naturae necessitate, vi cujus existerent, consequens foret, ut quemadmodum necessitas in omnibus esset eadem, ita in omnibus quoque idem, seu aequalis sit motus, ac proinde etiam celeritas et directio, quae sola in motu discerni possunt: igitur primum sit, oportet. Jam vero si in omnibus idem esset motus, eadem directio, eademque celeritas, omnes perpetuo eadem celeritate moverentur per lineas rectas, eamdemque inter se distantiam constanter retinerent, quo posito nulla concursio, nulla cohaesio, nullumque corpusculum inde coalescens possibile foret. Quare tametsi Epicuro atomos improductas demus, nequit tamen ex fortuito earum concursu mundus oriri.

Schol. 2. Etsi EPICURUS idem atomorum systema, quod DEMOCRITUS, adoptaverit, illi tamen fatum, quod ex LAERTIO, CICERONE, et GASSENDO apud STANLEJUM discimus, aliud non fuit, quam nexus quidam caussarum posteriorum cum prioribus, quem tamen illa necessitas, quam physici inducere volebant, haud quaquam comitaretur: id genus quippe necessitatem abrumpendam opinabatur, a motu declinationis atomorum, qui nec certo tempore, nec certa loci regione eveniret. „Hanc rationem, declinationem nimirum atomorum, Epicurus induxit ob eam rem, ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali, ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cum, ut Democritus ajebat, ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur" (*Cic. de fato. c.* 10). Injuria igitur in libertatis hostibus a quibusdam numeratur Epicurus; quin et apertius alias liberum arbitrium, seu eligendi facultatem tum experientia, tum sensu communi, tum vel maxime propterea, quod homo secus nec laude, nec vituperatione dignus esse queat, ab eo stabilitum fuisse, auctor est STANLEJUS *Hist. Phil. l.* 2. *c.* 6.

§. 39.

Fatum Spinozisticum, seu Pantheisticum est necessitas absoluta omnium rerum, promanans ex ipsa natura substantiae divinae, quae eadem est cum substantia totius universi. Docet nimirum SPINOZA, ut antea meminimus, unicam tantummodo in rerum natura exstare substantiam: eandem esse aeternam, individuam, ex infinita cogitatione et extensione conflatam, Deum:

res alias omnes esse divinorum attributorum, hoc est, cogitationis et extensionis modos, fierique eas ex necessitate naturae Dei, secundum necessarias ejusdem leges. Fatuum hoc fatum esse, nec confutatione egere, arbitrantur plurimi, impiique hujus proselyti, quem nec philosophi nomine dignum esse arbitrantur, placita secum ipsis pugnare existimant, ita ut operam profundere illi videantur, qui in iis confutandis otium terunt; eo quod is, nempe Spinoza, valentiorem se ipso adversarium nec nancisci possit. Nos nobilius et honorificentius sentientes, a crudis idmodi exprobrationibus abstinendum, nec ejus judicia universalibus quibusdam formulis rejiciendum, verum in quo proprie erraverit, dilucide proponendum esse existimamus. Supponit nempe 1-mo quod falsissimum est, unicam saltem dari substantiam, cum tamen certissimum sit, plurima esse in hoc mundo, quae sibi opposita sunt, atque adeo se invicem excludunt, nec proin unius substantiae ejusdemque modificationes esse possunt. Sic ex corporibus, alia esse sphaerica, cubica alia, alia moveri, quiescere alia, alia versus ortum, alia versus occasum impelli, dura haec, mollia illa, solida itidem, fluida corpora in natura reperiri, quis inficias ibit? An non idem discrimen in mentibus quoque humanis observare est? quarum alia ignorat idem, quod haec scit, affirmat, quod altera negat, amat, quod odit altera, gaudet super hoc, super quo tristatur, et cohorrescit altera? — At impium quoque hoc fatum 2-do esse, nulli dubio subjacet; verbis enim Deus ponitur, reapse autem tollitur; statuitur quippe Deus materialis, ex partibus realibus compositus, ac diversarum modificationum capax, quo ipso negatur esse ens infinitum, necessarium, immutabile, ut ex Onto-

logia patet, quae tamen omnia essentialia esse Dei attributa, in Theologia demonstrabimus. Dein 3-tio si res omnes per emanationem ex Deo profluunt, illiusque modificationes sunt, homo scelestissimus, et quodcunque corpus, aliud non est, quam Deus certo modo se habens; quae quam absurda sint, nemo non videt. Denique 4-to tollitur hoc in systemate omnis rerum contingentia, omnisque hominum libertas; sublata enim caussae primae libertate, fieri nequit, ut ulla caussa secunda libera sit.

Scholion. Absurdissima opinio eorum, qui totum hoc universum Deum esse dixerunt, Pantheismus, ut superius diximus, vocatur, quam nemo magis impio Spinoza exornavit; quem secutus est Joannes Tolandus Hybernus edito anno 1720 libro, quem Pantheisticon inscripsit. Benigna tamen Numinis providentia contigit, ut neuter, aut multos, aut alicujus nominis sectatores, sed adversarios potius longe plurimos, et doctrina praestantes nactus sit. Spinozam praeter alios refutarunt Henricus Morus, in subversione columnarum atheismi Spinoziani;" Huetius, „in demonstratione Evangelica" Jaquelotus (dissertatione sur l' existence de Dieu); Widichius, in (Anti-Spinoza); „Franciscus Lamy le nouvel atheisme renversé;" Denique omnium maxime aperta dogmatum repugnantia et absurditate se ipsum Spinoza confutavit. Tollandi ineptias refellerunt Elias Benoist, Clarkius, Stillingfleetus, et multo accuratissime Laurentius Moshemius „in vindiciis antiquae Christianorum disciplinae contra Tolandum."

§. 40.

Fatum Muhamedanum est immutabilis necessitas cogens effectum, et finem, etiam quum caussae et media desiderantur. Feruntur scilicet Muhamedani ea esse animi inductione, ut si mors fato ipsis destinata sit, non possint non mori, quidvis demum egerint. Idcirco in quaevis pericula se audacter conjiciunt, locaque pestilentia sine horrore adeunt. Quis non videt Deum hac opinione auctorem omnium statui malorum, libertatem et moralitatem funditus everti, omnes of-

ficii et virtutis nervos incidi? At cum rerum in hoc mundo existentium nexu fatum hoc pugnare etiam perspicuum est, vi cujus quidlibet in hoc mundo caussam sui efficientem habere debet, nullus itaque effectus sine caussis intermediis, ac proinde nullus finis sine mediis obtinetur.

Scholion 1. Obstinationem illam, qua aliqui, loca etiam pestilentia sine horrore adeunt, ea opinione ducti, quod, si mors fato ipsis destinata sit, non possint non mori, quidvis demum egerint; apud nos quoque, quum anno 1739 lues Ungariam popularetur, se expertos fuisse nonnulli testantur; multos enim fuisse asseverant, qui nullis minis ab eorum consortio removeri poterant, quos contagio jam attigerat, eo, quod putaverint nulla cautione posse vitari destinatam moriendi necessitatem.

Schol. 2. Sunt, qui fati quoque christiani mentionem faciunt, estque illis caussarum ac effectuum immutabiliter, absque ulla tamen libertatis creatae laesione a sapientissimo Deo ordinata ac definita series. Boetius speciatim illud sic definit." Est inhaerens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam divina providentia suis quaeque nectit ordinibus (*Consol. phil. L.* 4) Fatum istud cum stoico in hoc quidem convenit; quod perinde ac illud, purum casum, mereque fortuitos rerum eventus ex hoc universo excludat; differt vero in eo, quod cum fato isto non divina modo, verum et creata libertas consistat, utraque autem fato stoico sufferatur. Solum porro hoc fatum recte philosophari volenti est admittendum. Neque enim aliud reapse est, quam Dei sapientissime omnia, et finibus naturisque suis accomodatissime gubernantis constans et invariabilis dispositio, sive providentia: quam dari oportere, solaque illa universi hujus constitutum esse, certumque ac firmum stare ordinem, suo loco demonstrabimus. Attamen ne erroneam fati notionem recipere videamur, fatum hocce christianum nequaquam fati sed providentiae Divinae nomine, nuncupabimus.

§. 41.

Casus dicitur ejusmodi eventus, cujus ratio sufficiens, vel non adest, vel adesse ignoratur; estque vel purus, si eventus aliquis prorsus nullam haberet sui rationem sufficientem; vel impurus, si eventus veram, ast nobis ignotam cau-

sam habeat, sic e. g. dicimus incendia casu oriri, vel hominem casu infelicem redditum esse. Casui adjungitur eventus fortuitus, et fortuna coeca, ea nempe dicuntur accidere fortuito, aut fortuna coeca, quae vel sine causa intelligente per solas vires naturales efficiuntur, uti Epicurus atomos coaluisse in unum dicit; vel a caussa quidem intelligente proveniunt, sed absque illius consilio et praevisione, ut si quis e. g. piscetur, et piscis loco thesaurum in aquae fundo haerentem deprehendat. Distinguunt dein fortunam secundam et adversam, prouti eventum fortuitum sibi favorabilem aut sinistrum homines experiuntur. Cum vi nexus mundi caussalis, omne, quod in mundo fit, caussam sui efficientem, rationemque proximam et remotam habere debeat, nullum in mundo eventum, cujus nulla ratio, nullave caussa efficiens esset, adeoque nullum etiam casum purum, seu coecam dari fortunam intelligitur. Casum vero impurum dari experientia docet e. g. multi eventus physici accidunt, quorum rationes sufficientes ignorantur; multi ad opes, honores, multi ad egestatem deveniunt, quin semper rationes sufficientes perspiciamus. Qui igitur fortuito, aut casu quidpiam sibi accidisse asseverat, suam duntaxat ignorantiam manifestat.

Scholion. Ii effectus, qui cogitatione praecipiuntur, fortuiti dici non possunt. Hinc quo quis plura ignorat, eo ipsi plura accidunt fortuito. Quod ipsum indicatur illo Aristotelis: „ubi parum ingenii, ibi plus fortunae.“ Res vitae expertes, aut ratione carentes nullam habent fortunam prosperam, aut sinistram. Hinc ridet Protarchum Aristoteles, quod eos lapides, e quibus altaria construerentur, fortunatos dixerit.

MEMBRUM IV.

De Perfectione Mundi.

§. 42.

Perfectio postulat, ut adsint in ente perfecto varia: adsit finis et scopus, ad quem ea collineent; adsit denique eorum consensus et conspiratio ad finem illum consequendum. Quare, si in hoc Universo varia entia simultanea et successiva sic inter se se consentiant, ut finis quispiam communeque bonum ea consensione obtineatur, patet sine dubio perfectionem mundo esse attribuendam. Et cum entis perfectione posita, principium quoque perfectionis ponendum sit, si mundo perfectio competat, necesse est, ut hujus perfectionis principium exstet, quod ille finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit, constituit; principium enim perfectionis mundi est illud, ad quod obtinendum omnia tendunt, quae in mundo adsunt: ac proinde etiam illud, quod Deus tam per ipsam creationem, quam per mundum a se conditum, tamquam medium, consequitur, sed id, quod agens per suam actionem, et per medium, quo utitur, obtinet, est agentis finis, ergo principium perfectionis mundi est finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit. Cum itaque de perfectione mundi agitur, finis quem Deus in ejus procreatione sibi proposuit, investigandus est. Denique perfectio hujus mundi vel comparate solum ad suum finem, vel comparate ad alios mundos possibiles spectari potest: priori respectu oritur perfectio mundi suo in genere; posteriori autem quaestio enascitur: utrum hic mundus inter omnes possibi-

les perfectione excellat, sive, ut ajunt, omnium possibilium optimus sit? Haec tria dissertationem praesenti membro exhibendam absolvent.

Scholion. E notionibus ontologicis in examen vocari prius generatim debet, quonam pacto comparatus esse mundus debeat, ut ei assignari ex vero perfectio possit, ejusdemque gradus determinari. Nec metuant aliqui, argumenti hujus in Cosmologia pertractatione, in leges methodi peccari, principia enim sequentium positionum, aut jam ex ontologicis nota sunt, aut ex theologia non precario, sed lemmatice sumentur, jam autem e re discentium est, ut veritates connexae serie non interrupta proponantur.

§. 43.

Deus mundo pro fine ultimo ac principali praestituit externam suam gloriam, seu perfectionum suarum manifestationem. Cum enim omne bonum pro ratione bonitatis suae sit amandum ei, qui sapienter amat, Deus se ipsum, utpote bonum infinitum, amore infinito prosequatur, est necesse; atqui non prosequeretur se ipsum amore infinito, si pro ultimo principalique operis sui fine aliud quidpiam praeter se ipsum praestituisset; quippe aliud illud hoc in genere sibi ipsi praetulisset. Deus igitur mundum condendo, vel aliquam sibi internam perfectionem, vel externam quamdam gloriam, in patefactione suarum perfectionum consistentem, voluit adipisci; jam autem primum dici non potest: cum Deus essentia sua sit cumulus omnium perfectionum, cui nihil addi potest; dicendum itaque est alterum, seu finem, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit, esse manifestationem suarum perfectionum, sive gloriam externam. Id ipsum etiam hoc modo conficitur: Finis mundi conditi, vel situs est in ipso mundo, vel in Deo; primum dici non potest, quia mun-

dus medium tantum erat, quo finis obtineri debebat, ergo dicendum alterum, i. e. Deus se ipsum praefixit pro fine mundi Creationis ultimo. Cum autem gloriam sui internam, quam ab aeterno habuit, amplius quaerere nec potuerit, nec debuerit, gloriam externam intenderit, est necesse.

Scholion I. Dum dicimus manifestationem divinarum perfectionum finem esse creationis: propterea absolute non excludimus beatitatem creaturarum rationalium: verum haec est finis solum secundarius et intermedius: illa vero primarius et ultimus: ex beatitate enim creatorum entium manifestatio divinarum perfectionum complete enascitur. Imo illam cum hac aliquatenus coincidere non sine fundamento arbitramur; sicut enim gloria Principis reposita est in felicitate suorum subditorum, ita vel maxime gloria Dei ex felicitate creaturarum rationalium elucescit; vera dein felicitas non potest consistere nisi in veris perfectionibus, verae autem perfectiones sunt saltem illae, quae divinis conformes dici possunt, felicitas itaque creaturarum rationalium exigit, ut perfectiones divinas actionibus suis exprimere satagant, hoc autem ipsum est tantundem, ac divinas perfectiones, manifestare. Unde recte Mosheimius (*In adnot. in syst. intell. Cudwortii*) *ait*: „Non repugnant inter se, qui Deum ideo hunc mundum creasse statuunt, ut bonitatis suae fructus cum aliis communicaret, et qui gloriam suam in fabricatione mundi spectasse perhibent: nam dum homines, et mundum Deus condidit, ut haberet, quibus benefaceret, simul gloriam suam stabilivit: dumque gloriam suam in mundo declaravit, hominum simul saluti consuluit.“ Accedit, quod verae felicitatis, ad quam conscientia perfectionum suarum, et actiones moraliter bonae, ceu totidem conditiones, praerequiruntur, multa entia mundi, qualia sunt non viventia et irrationalia, capacia haud sint, imo etiam ex entibus rationalibus eandem non participent illa, quae virtutem non consectantur. Felicitas itaque ultimus finis mundi esse non potest.

Schol. 2. Dices fors: 1. Inter Deum et Creaturas nulla est proportio, nec proin haec ad perfectiones divinas manifestandas aptae esse censendae sunt. R. Tametsi entia creata, si quoad perfectiones suas spectentur, infinite ab interminata Dei perfectione distent, ac proinde inter Deum et creaturas nulla sit proportio ratione perfectionis, est tamen proportio ratione connexionis; connectuntur enim cum Deo, velut quivis effectus cum sua causa, et vel hoc ipso apta efficiuntur ad patefaciendas ipsius perfectiones, quemadmodum quodvis artefactum peritiam sui artificis, a quo toto genere distat, commendare so-

let. Aut fors putabis: 2. Deum ob hunc finem, ambitiosum, vanum suique commodi nimium studiosum dicendum esse. At noveris, Deum non spectasse gloriam suam in condendo hoc universo ob indigentiam aliquam, aut majorem inde perfectionem, aut felicitatem consequendam, quod hominum est; sed praestitit id sapientiae suae, aliisque infinitis perfectionibus consentanee; cum enim ipse sit bonum infinitum, oportebat, ut se prae omnibus bonis finitis amaret, omniaque reliqua ad se se referret, quo, ut omnium principium, ita quoque omnium finis esset. Nec laudis cupidus fuit Deus hunc finem praestituendo; cupido enim laudis eum solet incessere, qui sine laude aliorum non est perfecte beatus: neque vane sibi complacuit, nullis enim imperfectionibus laboravit. Dicunt alii: 3. In mundo omnia ita ordinata constitutaque esse, ut dici debeat, quodvis ens esse medium aptum ad felicitatem a creatura intelligente assequendam ℟. Omnia ad felicitatem creaturarum in mundo constituta esse demonstrari non potest; nam eadem experientia, ad quam Eudaemonistae provocant, nobis quoque argumenta empirica pro contrario suppeditat; inveniuntur nempe permulta, de quibus nullo modo dici potest, quod sint media ad felicitatem creaturis procurandam; imo manifeste ad infelicitatem ducunt: e. g. revolutiones naturae devastantis, bella cruenta, terrae motus, morbi pestilenti etc. Multa ad felicitatem ducentia in mundo reperiri, lubentes concedimus, inde tamen non sequitur, felicitatem finem ultimum esse mundi; nam ipsa haec objecta saepius felicitatem creaturarum minuunt, et annihilant, alia vero dantur, quorum comes sine dubio est infelicitas e. g. inopia rei frumentariae. Objiciunt 4. Deus, ut justitiam suam manifestet, debuit homines quosdam ad immoralitatem praedestinare ℟. Hoc statuere tantundem foret, ac Deo arbitrium despoticum, quod vel in homine abhorremus, affingere; et possibilitas immoralitatis in entibus rationalibus limitatis, quales sunt homines, sufficienter intelligitur absque ulla praedestinatione. Arguunt porro: 5. Cum sanctissima Dei voluntate, qua hunc mundum procreavit, moralitas, et cum illius infinita bonitate felicitas creaturarum vel maxime congruit, adeoque harmonia inter felicitatem et moralitatem ultimus mundi finis dicendus est. ℟. Moralitatem sola entia rationalia et libera colunt, haec autem saltem partem mundi constituunt; et licet moralitas felicitati conjuncta ex finibus mundi coordinatis nobilissimus hominisque supremus sit, quia tamen entia irrationalia ad illam harmoniam tendere non possunt, idcirco finis mundi ultimus esse nequit.

Schol. 3. Ad Gloriam Dei externam omnes alii fines mundani, hucusque a philosophis propositi, ultimo reducuntur. Etenim dum veritati student entia rationalia, sapientiae Dei documenta praebent; dum virtutem colunt, perfectiones

divinas actionibus suis imitando, eas manifestant, seu Deum glorificant; dum felices sunt, bonitatis divinae praecones agunt; dum felicitas moralitati commensurata accedit, justitia Divina manifestatur, denique in harmonia virtutem inter et felicitatem veritati innixa, bonitatem, potentiam, sapientiam, justitiam et sanctitatem Dei singulariter relucere nulli omnino subjacet dubio, ut adeo manifestatio perfectionum Divinarum sit finis ille, ad quem omnes alii a diversis stabiliti commode subsumi et revocari possint.

§. 44.

Mundus in genere suo perfectus dicitur, cujus omnia entia tam simultanea, quam successiva, ad finem a Conditore suo praestitum obtinendum, quam optime conspirant, atque adeo, qui perfectiones divinas tantum manifestat, quantum ipsas ab illo manifestari Deus vult. Mundus igitur, suo in genere perfectus, est comparate ad suum finem optimus ita, ut sub eo respectu melior dari nequeat. Deus cum eligit medium ad consequendum finem sibi praestitutum, eligit aptissimum; nisi enim medium eligeret aptissimum, vel non posset, vel non sciret, vel non vellet id praestare, sed primum repugnat omnipotentiae; alterum perfectissimae intelligentiae; ultimum infinitae sapientiae, ergo cum Deus eligit medium, ad consequendum finem sibi praestitutum, eligit aptissimum. Deus hunc mundum elegit, ut medium ad consequendum finem sibi praestitutum. Cum enim Deus in procreatione mundi finem sibi praestituerit, per ipsam hanc procreationem finem hunc obtinere voluit, igitur mundus procreatus rationem continet, ut Deus finem suum obtineat, sive ut finis Dei ad existentiam perveniat, sed quod ejusmodi est, medium vocatur, ergo mundus hic est medium ad consequendum finem, a Deo sibi praestitutum. Sed praeterea quo-

que Deus hunc mundum procreavit, et quidem prae aliis infinitis possibilibus, quod electionem aliquam complectitur; igitur Deus hunc mundum elegit, ut medium ad consequendum finem sibi praestitutum. Mundus hic porro est medium aptissimum ad consequendum finem a Deo sibi praestitutum. Cum enim Deus eligit medium ad consequendum finem sibi praestitutum, eligit aptissimum, atqui Deus hunc mundum elegit ut medium ad consequendum finem sibi praestitutum, ergo mundus hic est medium aptissimum ad consequendum finem a Deo sibi praestitutum. Hinc jam suapte sequitur, hunc mundum suo in genere esse perfectum. Cum enim mundus sit medium aptissimum ad finem consequendum, necesse est, ut Deus per hunc mundum optime suum finem assequatur: igitur etiam necesse est, ut hic mundus tantum manifestet divinas perfectiones, quantum ipsas ab illo Deus manifestari voluit, atqui hoc est suo in gene perfectum esse, ergo mundus hic suo in genere perfectus est.

Scholion I. Perfectio mundi a posteriori cognosci, seu per experientiam determinari nequit. Mundi enim perfectio in eo sita est, ut omnia in eodem entia, tum simultanea, tum successiva ad communem quemdam finem conspirent; quicunque ergo ejus perfectionem per experientiam determinare vellet, is omnia simultanea et successiva singulatim pervestigare, penitiusque scrutari deberet, quonam pacto cuncta ad finem praestitutum conspirent? Quis autem hominum omnia simultanea et successiva, maxima, minima, mentis aut oculorum acie pervadere ac pertentare potest? quis implexissimam tot rerum connexionem pervidere, quis eo nexu perspecto determinare, ut omnia ad eundem communem finem contendant? Sic innumerabilis est hominum simul viventium copia, at prorsus stupendus eorum prodit numerus, si ad eos attendimus etiam, qui inde a primordiis mundi usque ad nostra tempora vixerunt, et in posterum vivent, donec consumetur saeculum. Quam autem exigua est haec multitudo, comparata bruterum omnium, plantarum, et

quorumcunque reliquorum corporum multitudini? ut prorsus taceam de elementis, haec omnia tandem constituentibus. Fac autem te ita haec omnia pernosse, ut in iis nihil sit, quod te lateat. Multi milliones stellarum fixarum existunt, quae singula corpora dicuntur, soli simillima, et suos iterum satellites foventia. Quid nosti demum de his? at omnium, maximorum, minimorum consensum deberes perspicere, judicium tibi sumturus de ea, quae est in mundo, perfectione. Ita igitur vides, non nostrum tantum intellectum non sufficere, sed ne angelicum quidem, cognoscendae perfectioni integri mundi. Verum quidem est, in omnibus iis, quae nobis detegere ac aliqua ex parte intelligere licet, nihil non miro ordine ac proportione, inque usus nobis notos aptissime constitutum esse; at ex parte aliqua de toto universo sententiam ferri non posse sine praesumtione logica, ex iis quae in Logica traduntur, manifestum redditur. Argumentatio itaque solum a priori, superius exhibita, est omnino invicta; ducitur enim ab infinita conditoris scientia, sapientia et potentia, quae omnia in Deo adesse nulla potest ratione dubitari. Qui ad experientiam recurrunt, mundique perfectionem a posteriori demonstrare volunt, operam perdunt. Non imus equidem inficias, quemvis ex paullo accuratiori corporum mundanorum contemplatione in cognitionem Creatoris independentis, aeterni, potentissimi, sapientissimi providentissimique deduci; haec enim facili prorsus ratione ex rerum creatarum intuitu colliguntur. At vero inde nondum evidenter conficitur, mundum suo in genere perfectum esse; hoc enim dumtaxat spectato, manifestum non est, per eundem perfectiones divinas eo in gradu, quem Deus constituit, patefieri. Ut vero ab experientia perfectio mundi demonstrari nequit, ita eadem simili argumento nequidquam impugnatur; cum enim imperfectio in parte ad totius perfectionem conferre, et vicissim, quod inde fluit, major partis perfectio perfectioni totius officere possit, frustra agunt ii omnes, qui perfectionem, aut imperfectionem partium apparentem ad totum mundum transferre volunt: neque igitur audiendi sunt, neque demonstrata a priori mundi perfectione, objectionibus ab experientiis respondere debemus. Ne tamen quidpiam omisisse videamur, adducemus breviter ea, quae hac in re objici solent.

Schol. 2. *Obj.* I. Si mundus hic esset in suo genere perfectus, esset is etiam omnium optimus, sed istud non admittitur, ut inferius patebit; ergo mundus hic in suo genere non est perfectus Deinde quid vetat, quominus singula entia hujus mundi perfectiora sint. Ex perfectioribus autem entibus perfectior utique et fini suo accomodatior mundus consurgeret. R. d. M. Si mundus etc. esset is etiam comparate ad hunc finem optimus C. M. absolute optimus n. M. sic d. m. n. C. Mundum in genere suo perfectum comparate ad suum finem optimum esse diximus. Quod ut

plenius intelligas, haec habe: Deus, stante hoc fine, quem ipse ex liberrimo arbitrio determinavit, non potuit alium mundum, seu perfectiorem, seu imperfectiorem eligere, in neutro enim casu sapienter egisset; sapientia quippe exigit, ut mundus aptissimus ad finem praestitutum eligatur, qualis non fuisset hoc nostro aut perfectior, aut imperfectior. Atque in hoc sensu hic mundus est omnium optimus; nullus enim ex omni genere, et specie mundorum aptius huic fini responderet: individua autem perfecte similia, quae quidem infinita possibilia sunt, cum principium indiscernibilium Leibnitzii non subsistat, aequalis sunt perfectionis, adeoque aequaliter ad hunc finem accomodata. Non est autem hic mundus absolute, et in se, abstrahendo nimirum a fine, vel posito fine absolute optimo, omnium possibilium optimus, ut deinceps apparebit. Similiter non potuit Deus, stante hoc fine, singula seorsim entia perfectiora efficere; nam istud determinatae totius mundi perfectioni derogaret, cum ea dependeat ab optima singulorum conspiratione ad finem communem, quae in hac hypothesi necessario mutaretur, nisi ponas per mutuam compensationem ultimo tandem eamdem conspirationem prodire; id quod eodem redit. Neque vero etiam ex majori singulorum entium perfectione continuo sequitur, majorem quoque in toto perfectionem fore; fieri siquidem potest, ut entia, etsi in se perfectiora, minus tamen apte ad finem obtinendum conspirent. *Obj.* 2. Multa entia hujus mundi sunt imperfecta; uti animalia monstrosa, manca etc. multa sunt admodum vilia, ut insecta; multa superflua, uti animalcula exilissima fluido aqueo, aëreo innatantia, terrae marisque visceribus contenta; igitur mundus non est suo in genere perfectus. Dist. 1. par. ant. Multa sunt entia hujus mundi imperfecta hoc sensu, quod comparate ad alia entia sint minoris perfectionis, vel quod destituantur aliqua perfectione, quae, naturae ipsorum, secundum se spectatae, congrueret C. h. p. A. Sunt imperfecta hoc sensu, quod sint inhabilia ad finem per ipsa intentum. N. h. p. A. Dist. etiam alteram partem A. Multa sunt admodum vilia secundum nostram aestimationem conc. reapse N. hanc quoque part. A. et tertiam cum Cons. Complura equidem hujus mundi entia comparate ad alia sunt minus perfecta; imo etiam destituuntur perfectionibus, quae naturae ipsorum, absolute spectatae, congruerent; nihilominus tamen haec etiam tam apta sunt ad fines per ipsa a Deo intentos, quam ullum ens esse possit; quocirca haec quoque suo in genere sunt perfecta. Illa deinde, quae vilia videntur, secundum nostram duntaxat aestimationem sunt vilia, qui finem illorum ignoramus, aut illa comparate ad alia duntaxat entia, quae natura sua perfectiora sunt, vel comparate ad usus nostros spectamus: reapse autem vilia non sunt; sed et illa habent suos fines, suntque illis accomodatissima; vel enim ad medicamenta faciunt, vel ad aërem a noxiis vaporibus

repurgandum, vel ad hoc, ut rerum aliarum elegantia magis appareat, vel sunt aliorum animalium nutrimentum, vel poena vitiorum nostrorum, vel occasio virtutis etc. Unde etiam absit, ut quidpiam superfluum esse judicemus: nihil reapse tale est, sed nos duntaxat rerum plurimarum fines non assequimur. Quodsi intelligentiae nostrae vis par foret naturae subtilitati, in minimis certe perinde, ac in maximis nihil sine summa ratione esse constitutum, nihil non sapientissime ad certos fines aptatum, facile cerneremus. *Opponunt*: 3. Plurima peccata perpetrantur in mundo, quae non utique ad gloriam Dei, sed potius ad ejus contemtum cedunt: ergo fini universali mundi, qui est gloria Dei externa, non est accomodata tota constitutio mundi, consequenter mundus non est in suo genere perfectus. Dist. A. Peccata in se duntaxat spectata, et prout a creatura, libertate sua abutente, perpetrantur. C. A. spectata comparate ad universalem mundi constitutionem, et prout a Deo permittuntur. N. A. et C. Etsi peccata, secundum naturam duntaxat suam considerata, et prout a creaturis iniquissime perpetrantur, cedant in contemtum Dei; comparate tamen ad communem seriem rerum spectata, et prout a Deo permittuntur, plurimum et illa faciunt ad gloriam Dei externam; luculentissime siquidem occasione illorum Deus complures suas perfectiones manifestat ac commendat: summam nempe bonitatem, ac mansuetudinem, dum illa tolerat; placabilitatem ac misericordiam, dum condonat; potestatem ac justitiam, dum punit. Dum mundum perfectum dicimus, non volumus, nullum in eo inesse naevum, nullam maculam; sed nexum hunc rerum omnium, in quo peccata quoque continentur, aptissimum esse ad perfectiones divinas intra eos limites, quos ipse statuit, manifestandas, contendimus. Mundus, qui habet mala, perfectus est, non quia habet mala; sed quia haec boni et mali permixtio ad obtinendum finem ab auctore suo constitutum optime deservit. Neque vero etiam inde consequens est, ut Deus positive peccata velle debeat; etsi enim iis quoque tamquam mediis ad suos fines utatur, sufficit tamen, ut ea permissive velit, id est, non impedire decernat, cum alioquin ab hominum malitia libere ponenda certo praevideat. Haec interim adtulisse hoc loco sufficiat, uberiora alibi examini subjecturi.

§. 45.

Mundus optimus foret, si is omnes mundos possibiles perfectione superaret, quique adeo divinas perfectiones maxime manifestaret, ita videlicet, ut ipsae magis manifestari absolute nequeant. Hac notione praemissa dicimus: mundum

hunc nequaquam esse omnium possibilium perfectissimum; non manifestat enim divinas perfectiones eo gradu, ut eae magis manifestari nequirent; divinae enim perfectiones sunt infinitae, ita ut nullos intensionis limites admittant, consequenter eae semper magis ac magis manifestari possunt, ita, ut in hac manifestatione nequeat unquam ad gradum ultimum perveniri. Accedit, quod nullum ex entibus creatis, aliqua perfectione e. g. intelligendi vi polleat infinita: cum itaque quolibet ente, certis limitibus definito, majus quiddam cogitari queat, negari non potest, esse Deo potentiam condendi creaturas, quibus Is longe excellentiori gradu communicet perfectiones suas, ac communicaverit entibus hujus mundi. Jam vero si mundus iste ejusmodi entia complecteretur, praeter haec, aut loco horum, quae nunc complectitur, profecto divinas perfectiones posset uberius manifestare, ac modo manifestet. Non potest itaque dici, manifestationem divinarum perfectionum, quam Deus per hunc mundum obtinet, esse omnium possibilium maximam: ac proinde nec mundus iste omnium possibilium perfectissimus statui potest.

Scholion 1. Haec sunt, quae passim opponere solent: 1-mo Debuit adesse ratio sufficiens, cur Deus hunc definite mundum condiderit prae aliis possibilibus; atqui alia ratio esse non potuit, quam quod iste sit omnium possibilium perfectissimus; Deus enim minus bonum majori praeferre nequit, ergo mundus hic omnium possibilium perfectissimus sit, oportet. R. d. M. debuit adesse ratio sufficiens interna Deo, in liberrimo ipsius arbitrio sita. C. M. externa Deo, quae ipsi necessitatem imponat, hunc definite mundum prae aliis possibilibus condendi N. M. min. simp. neg. Ad prob. dist. adsert. Deus nequit minus bonum majori praeferre; id est, nequit pluris aestimare minus bonum, quam majus bonum C. id est: nequit minus bonum neglecto majori ad existentiam perducere. N. Deus in condendis creaturis liberrimus est, quippe tam parum commodi, et

beatitudinis ei obvenit e creatura perfectiore, quam parum e minus perfecta. At, quod ad judicium de iis ferendum adtinet, pluris utique facere debet ens majori perfectione praeditum, quam alterum minus perfectum; secus enim erraret judicio suo; quod tamen infinitae ejus perfectioni repugnat. Urgent I. Eligere minus bonum prae majori adversatur infinitae Dei sapientiae, ergo potentia eligendi minus bonum prae majori nequit Deo convenire. Prob. A, Homo cui rerum quarumdam optio datur, insipienter agit, si neglecto majori bono, minus bonum eligat; ergo etiam. R. N. A. Distinguendâ enim sunt haec duo: „unum mundum esse alio meliorem" et: „melius esse creare hunc potius mundum, quam alium." Primum illud habet locum in mundis possibilibus, non item alterum, sed aeque bonum est creare, vel non creare mundum, quocunque perfectionis gradu praeditum. Cum enim Deo nihil felicitatis accedat ex aliquo mundo condito utcunque perfecto, nec etiam decedit quidquam, si nullus condatur mundus. Longe nobilius sentimus de Majestate Divina, si plenam ejus in mundo condendo libertatem agnoscamus, quam si eam fatali Leibnitzianae rationis sufficientis necessitate constrictam esse, sine ulla sufficiente ratione adseramus. Ad prob. D. A. Insipienter agit, si id, quod suis usibus, destinatisque finibus magis congruit, negligat, eligatque aliud, quod dictis usibus finibusque minus inservit. C. A. Hoc est, generatim insipienter agit, si eo neglecto, quod secundum se majus bonum est, eligat id, quod secundum se est minus bonum. N. A. et C. Si quis e rebus diversis sibi oblatis eligat rem suis usibus, designatisque finibus minus congruam, neglecta magis congrua, omnino insipienter agit; sapientis enim est optima pro designato fine media eligere. At quoties evenit, ut homines neglecta re secundum se pretiosiore, sed ipsis minus utili, aliam in se viliorem, sed ipsis utiliorem citra insipientiae notam eligant? Hinc in Deo quoque tunc solum argueretur imperfectio, si is non eum determinate mundum elegisset condendum, qui sit aptissimus ad eum finem assequendum, quem ille, mundum creando, adsequi intendit; at mundum hunc optime omnino congruere praefixo sibi fini, seu illum, ad finem suum relatum, optimum esse, superius docuimus. *Urg.* 2. Infinita Dei bonitas poscit, ut is optimum operibus suis finem praestituat; sed ad optimum finem consequendum optima media sunt necessaria; ergo infinita Dei sapientia poscit, ut si mundus quispiam condendus sit, eligatur ex omnibus possibilibus optimus. R. D. M. poscit, ut is optimum quoad substantiam finem praestituat operibus suis. C. M. optimum etiam quoad intensitatem et gradum. N. M. sic dist. m. N. C. Si Deus mundum condere velit, ei omnino optimum quoad substantiam finem praestituere debet: nimirum aliquam gloriae suae manifestationem, uti ostendimus. At quoniam aeque felix est, sive hoc minus intenso, sive alio intensiore gradu manifestet perfectiones suas per creaturas,

non est, cur debeat operibus suis praefigere finem, qui sit etiam quoad gradum et intensitatem dictae manifestationis optimus. Imo neque possibilis est mundus, qui divinas perfectiones eo gradu manifestaret, ut eae magis manifestari nequeant. *Urg.* 3. Libertas ad malum morale eligendum non est attribuenda Deo, ergo neque libertas eligendi minus bonum prae majori. C. A. n C. Malum enim morale cum infinita Dei sanctitate pugnat; eligere autem minus perfectum mundum prae perfectiore, sed talem tamen, qui praefixo sibi fini congruat, prorsus nullam involvit imperfectionem in Deo se solo beatissimo felicissimoque, uti diximus. *Obj.* 2-do Deus agit modo perfectissimo, ergo etiam quod actum ab illo est, perfectissimum esse debet. C. A. n C. Deus agit modo perfectissimo, modus enim operandi ipsi internus est, sicut modus cognoscendi, quae autem in ipso sunt, infinita sunt, perfectissima sunt: contra objecta operationis, uti et cognitionis, extra Deum existunt, quare perfectissima esse nec debent, nec possunt. *Urg.* Mundus hic est perfecte conformatus ideae divinae, sed idea divina est absolute perfectissima, ergo et mundus. R. D. M. Mundus hic est perfecte conformatus ideae divinae objective spectatae C. M. subjective spectatae n. M. sic d. m. et n. C. Idea Dei subjectiva, id est in se, seu comparate ad subjectum, cui inest, spectata, est perfectionis infinitae: ipsa enim ab intellectu Divino, ac proinde a Deo intelligente revera non differt: quis autem mundo hanc perperfectionem tribuat? Evidens igitur est, ideam divinam hac ratione ab adversariis hoc loco intelligi non posse, neque ei mundum hunc conformatum esse. Quodsi idea divina accipiatur objective, id est, comparate ad objecta, quae ab ipso repraesentantur, tantae ea est perfectionis, quantae est objectum repraesentatum, atque adeo nunquam perfectissima, nisi cum objectum perfectissimum, ipsum videlicet Deum repraesentat. Neque vero inde in Deum quaepiam redundat imperfectio: haec quippe se tenet ex parte objecti, non vero in idea inest, quae objectum, ut in se est, repraesentare debet. Atque sic omnino verissimum est, mundum esse perfecte conformatum ideae divinae; talis enim est, tantaeque perfectionis, qualis et quantae perfectionis a Deo aeternum fuit cognitus; at istud adversariis minime prodest; nam inde nequaquam colligitur mundum hunc esse omnium possibilium perfectissimum; cum idea divina, quidquid cognosci potest, seu magis, seu minus sit perfectum, ob intellectus divini infinitatem repraesentet, quod ipse Leibnitzius non diffitetur, cum ait, infinita universa possibilia in ideis Dei fuisse.

Schol. 2. Non est mundus possibilis, in quo non essent perfectiones, et imperfectiones necessariae. Nam cum omnis mundus sit ens, habet perfectionem metaphysicam, dein cum sit ens finitum habet imperfectionem metaphysicam. Et cum id valeat de singulis mundi partibus, quoniam entia finita sunt, patet in omni mundo perfectiones et im-

perfectiones necessarias fore. In mundo porro existente sunt praeterea perfectiones, et imperfectiones contingentes. Nam dum existentia totius contingens est, erit etiam contingens existentia realitatum et perfectionum in mundo. Deinde, sicut in partibus mundi deprehendimus quasdam perfectiones, quae abesse possent; sic etiam deprehendimus in iisdem deesse perfectiones, quae adesse possent, adeoque dari negationes et imperfectiones contingentes in mundo. Nec sine imperfectionibus physicis et moralibus possibilis est mundus. Cum enim non videatur mundus possibilis esse sine substantiis cogitantibus, aut saltem talis inutilis foret, potest primo ut certum admitti, in quovis mundo id genus substantias fore. Deinde cum illae sint quoque virium finitarum, poterunt etiam hae vires debilitari, impediri etc. et sic exurgere sensiones ingratae, adeoque adesse malum physicum. Si praeterea inter substantias illas sint etiam, quae libertate gaudeant, illae certe, quoniam finitae sunt, a regulis praescriptis deficere poterunt. Si jam sibi, suisque dispositionibus relinquantur, facile evenire poterit, ut hinc inde quaedam a regula libere deficiant, et hinc malum morale. Nullus itaque mundus sine malis a nobis hic recensitis possibilis esse intelligitur. In mundo autem existente talia mala frequentissima esse quis inficias ibit? Inde tamen non consequitur mundum hunc non esse optimum, seu perfectissimum comparate ad finem illum, quem Deus per conditionem ejusdem consequi voluit, nempe, ut suae in certo gradu perfectiones ab eodem manifestentur, quin imo eum fini a Deo intento ad ammussim respondere, seu in suo genere perfectum, aut si vis, optimum hoc sensu esse, ultro concessimus et demonstravimus. At id omnino evidenter ex hucusque dictis sequi nobis videtur, mundum ut absolute in se, praescindendo a fine, quem Deus per eundem assequi intendebat, consideratum, perfectissimum seu optimum omnino repugnare, ac proinde impossibilem esse. Tota itaque de mundi perfectione dissertatio in nucleum redacta his continetur 1-mo Deus alium finem huic mundo praefigere non potuit, quam suarum perfectionum determinatam manifestationem; non felicitatem creaturarum, hujus enim saltem rationales capaces sunt, et paucae eandem assequuntur; non moralitatem; hujus enim pariter saltem entia rationalia capacia sunt, nec apud omnia realisatur; virtus quoque felicitati aequa proportione conjuncta saepissime saltem pium in hac vita desiderium manet. Omnes hi fines supremo seu externae Dei gloriae subordinati sunt. 2-do Mundus porro hic fini suo ab auctore intento, ut nempe ejus perfectiones in certo gradu saltem ab entibus finitis mundum constituentibus perspiciantur et manifestentur, accomodatissimus, seu si malis dicere, optimus et perfectissimus est. 3-tio Deus nec potuit, adeoque neque voluit, huic mundo facultatem illam infinitam, perfectiones suas infinitas infinito modo, seu perspiciendi, seu manifestandi impertiri, ac proinde mundus

hic omnium possibilium perfectissimus seu optimus hoc sensu dici non potest; imo cum talis in se spectatus a contradictione immunis esse haud posset, nullus quoque optimus, seu perfectissimus dari potest. Ut adeo rectissime, etiam ad mundum totum adplicando canat Ecclesia: „*Quantum potes, tantum aude; quia major omni laude, nec laudare sufficis.*“

MEMBRUM V.

De Natura ejusque Legibus.

§. 46.

Natura generatim notat principium mutationum entis internum: Natura proinde universa est principium mutationum in mundo eidem internum. Cum porro omnes mutationes, quae in entibus mundanis eveniunt, per eorundem agendi patiendique potentiam possibiles sint, per vim autem actu existant, rite colligimus, naturam cujusvis entis in vi ejus, agendi patiendique potentiae juncta; ac naturam universam in collectione omnium virium, omnibus agendi patiendique potentiis, quae in omnibus creatis entibus adsunt, junctarum, consistere. Et cum vis substantiis solum competere possit, palam est, vires omnium substantiarum creatarum, etiam spiritualium, simul sumtas, naturam universam absolvere. Leges naturae sunt normae illae universales a supremo naturae Auctore constitutae, secundum quas vires substantiarum creatarum agunt. Cum vero praeterea constans sit quidam, ac invariabilis harum actionum modus, ordo inde quispiam enascitur, quem naturae ordinem compellamus. Ipsa demum immutabilis secundum hunc ordinem eventuum consecutio, id est, quod cursus naturae nomine venit.

Scholion. Vocabuli Natura multiplex est acceptio: 1. Usurpatur natura pro rei cujusque essentia; at haec internam entis possibilitatem constituit, illa vim infert existentiae adhaerentem. 2. Pro inclinatione rei; ut dum naturam aliam dicimus vitiosam, moderatam aliam. Atque de natura sic sumta est illud Horatii: „Naturam expellas furca, tamen usque recurret.“ 3. Significat quamdam entis determinationem ad aliquid. Sic lapis dicitur natura sua ferri versus centrum terrae. 4. Sumitur pro temperamento, quod animalium corpora ex diversa mixtione elementorum obtinent. Sunt 5-to qui per naturam naturantem, Deum, naturam naturatam, mundum intelligunt, quae tamen barbara vocabula absque ulla necessitate adhibentur, cum Deus, rectius digniusque naturae Auctor compelletur. 6 Plurimi veterum naturam, tamquam idolum quoddam Deo in res creatas operanti ad latus posuerunt, eam substantiam esse ab omnibus aliis distinctam, perque totum orbem diffusam docentes, a quibus principii hylarchici, Archaei mundi, aut Entelechiae cognomentum obtinuit. Ad hanc sententiam accesserunt illi quoque, qui cum Platone mundum ingens esse animal opinati sunt, a cujus anima, per totum diffusa, generationes rerum omnium proficiscerentur, atque hanc doctrinam communem fere fuisse philosophis omnibus ex Plutarcho cognoscere licet. Verum in natura hujus animae definienda in varias rursus partes abierunt; nonnulli, quos inter Stoici primum locum tenent, Deum ipsum hanc mundi animam esse absurde commenti sunt. „Stoici ait Lactantius (*Div. inst.* l. *T. c.* 3.) naturam dividunt in duas partes, unam, quae efficit, alteram, quae se ad faciendum tractabilem praestet. In illa primam esse vim faciendi; in hac materiam, nec alterum sine altero esse posse. Ita isti uno naturae nomine res diversissimas comprehenderunt, Deum et mundum, artificem et corpus; dicuntque alterum sine altero nihil posse, tamquam natura sit Deus mundo permistus; nam interdum sic confundunt, ut sit Deus ipsa mens mundi, et mundus corpus Dei.“ Idem fere Mosheimius in Cudworthum (*Syst. intell. c.* 3. §. 78. *n.* 2.) clare colligi ex definitione της φυσεως, quam Zeno Stoicorum Princeps apud Laertium (*de vit. phil. l.* 7. *segm.* 148.) attulit, opinatur: Stoicos nimirum nullum posuisse inter rationem et vim genitricem discrimen; sed utramque velut virtutes et perfectiones unius ejusdemque Dei, seu naturae illius, quam per totam universitatem intentam esse putaverant, considerasse, ipsum vero Deum, modo Jovem, modo Fatum, modo Martem, modo Naturam appellitasse, quod ipsum Laertius quoque confirmat. Impium hoc Stoicorum dogma subinde etiam Varroni placuit, ita enim loquitur apud S. Augustinum (*De civ. Dei l.* 7. *c.* 6.) „Deum se arbitrari esse animam mundi, quem Graeci Κοσμον vocant; et hunc ipsum mundum esse Deum; sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita mundum Deum dici

ab animo, cum sit animo et corpore. „Imo nec Origenes ab hac opinione alienus esse videtur. Dicit enim (*περι αρχων lib.* 2. *c.* 1.) „sicut corpus nostrum unum ex multis membris aptatum est, et ab una anima continetur, ita et universum mundum velut animal quoddam immane opinandum puto, quod quasi ab una anima virtute Dei ac ratione teneatur." „Aetate recentiori, ne Pantheistas jam supra satis notatos commemoremus 7-mo Cudworthus (*Syst. intell. c.* 3. *diss. de nat. gen. c.* 3. §. 3.) Naturam genitricem statuit, substantiam incorpoream et infimo vitae genere, ut plantarum est, praeditam, quae omnia agat, et regat ordine, sed fines ignoret, nec actionum suarum conscia sit. Unde superior quaedam eidem adjungi debet providentia, quae perperam ab ea admissa saepenumero corrigat, quaeve nonnunquam actionibus ejus et consiliis intercedat. Opinio haec Cudworthii, quantumvis singularis et paradoxa, suos tamen nacta fuit sectatores; placuit certe nonnullis Anglis, ac praecipue Henrico Moro; placuit quoque Joanni Clerico, quocum ea de re acriter disputavit Baylius, hac fere ratione argumentatus: vel natura haec genitrix est duntaxat instrumentum quoddam in manu Dei, vel ipsa revera organisationem corporum et plantarum, similesque effectus efficit: si primum: otiosa est, neque in philosophia usum praestabit; si alterum: perit argumentum, quo ex mundi structura atheos refellimus; si enim natura, omni ordinis cognitione destituta, in suis tamen actionibus ordinem sequi potest, nulla erit necessaria connexio inter corporum organisationem et ens aliquod intelligens. (*Dict. crit. T.* 1. *la vit. de Bayle pag.* 86. *an.* 1785.) Nonnulli 8. per naturam intelligunt ipsum ordinem universi, quo Deus quaelibet hujus mundi entia agere aut agi voluit ad finem a se intentum. Recentiores nonnulli per naturam intelligunt. 9. Complexum omnium objectorum, sive realium, sive duntaxat cogitabilium, unde eam etiam in sensibilem, aut supersensibilem, intelligibilem, aut intellectualem dividunt.

Schol. 2. Normas universales, seu naturae leges exstare, in dubium vocari nequit ab eo, qui paullo attentius constantes dierum noctiumque vicissitudines, easdem variarum anni tempestatum vicissitudines, immutabilem ab omni aevo astrorum motum, fixam in generationibus animalium plantarumque rationem, perpetuam earundem in corporibus proprietatum, quae jam olim detectae sunt, constantiam contemplatur. Experientia certe docet, eadem ubique gravitatis, elasticitatis, cohaesionis, attractionis, repulsionisque phaenomena obtinere. Quid, quod secus nulla posset esse in hominibus providentia, nullum consilium, nullae scientiae, aut artes, nulla certa instituendae vitae, aut curandorum corporum ratio: haec enim omnia ex legum naturae constantia pendent; hac efficitur, ut calculi a nobis subduci, futura prospici, certi effectus, ac certae ex certis actionibus consecutiones exspectari, et sic denique

totius vitae cursus suaviter institui queat. Est vero etiam haec per leges totam rerum universitatem administrandi ratio, vel maxime divinae consentanea sapientiae, atque ad infinitarum perfectionum patefactionem accomodatissima.

§. 47.

Naturą hujus universi est contingens. Nam mundus iste est absolute contingens, ergo etiam vires, et potentiae ejus tam activae, quam passivae contingentes esse debent, eo quod enti contingenti absolute necessariae determinationes inesse non possint; sed harum complexus naturam universam constituit, natura igitur universa est contingens. Leges, ordo et cursus naturae sunt pariter contingentia; nam si ipsa natura hujus universi contingens est, a potiori ea, quae circa illam versantur, contingentia esse oportet, atqui talia sunt leges, cursus, et ordo ejusdem, itaque haec quoque contingentia esse debere intelligitur.

Scholion. Dum naturam universi, leges, ordinem et cursum dicimus absolute contingentia, illud reipsa intelligimus: entia hujus universi hanc naturam, hasque leges, et quae cum illis connexa sunt, ordinem et cursum, non habere a se ipsis, ac proinde haec omnia non existere absoluta necessitate, verum omnia haec ab arbitrio Conditoris provenire, utpote qui hanc naturam rebus indidit, hasque leges et ordinem in agendo eisdem sequendas praestituit. Sunt tamen haec necessaria et immutabilia hypothetice, quatenus res ipsae hanc suam naturam, et leges mutare non possunt, sed juxta semel statutas agere, hisque conformiter eventus omnes hujus mundi decurrere debent.

Schol. 2. Leges motuum, secundum quas omnes in mundo aspectabili mutationes natura efficit, quaeve physicarum nomine veniunt, non sunt absolute necessariae. Praecipuae enim hae sunt: quod, cum substantia materialis ad habendam certam directionem et celeritatem ab aeterno principio determinari debeat, haec determinatio certam quampiam ac constantem intervallorum, quibus substantiae a se disjunctae sunt, rationem sequatur; quod eadem determinatio jam ad mutuum accessum, jam ad recessum tendat, et quae ex his deinde

profluunt, ut physici hodie docent: atqui leges has absolute necessarias esse, ac earum oppositum contradictionem involvere, nulla omnino ratio suadet: quid enim? contradictorium sit, ut substantiae mutata illa intervallorum ratione, aut citius, aut tardius moveantur, aut etiam accessum in recessum, et vicissim mutent? ut determinatio illa prorsus impediatur? ut vis effectum non consequatur? ut e. g. grave non in linea recta, sed per curvam descendat, aut plane non descendat, sed in libero aëre non aliunde sustentatum haereat? haec certe, et quae similia sunt in se non repugnant, leges itaque motuum absolute necessariae non sunt. Qui absolutam harum legum necessitatem evincere vellet, eidem demonstrare incumberet, eas ex essentiis substantiarum creatarum profluere; quis autem id serio affirmaverit? sunt certe ipsarum essentiae prorsus indifferentes, ut viribus suis secundum has, vel illas leges agant, nec unquam SPINOZA, aut quivis alius ejusdem Sectator contrarium evincet. Possunt ex iisdem libris in bibliotheca repositis diversissimi ordines confici, cur res mundanae aptae non sint ad alios diversosque ordines constituendos? profecto ipsi nos cum habemus potestatem, ut corpora particularia varie transponamus, conjungamus, aut separemus: nonne possumus viventium actiones, animalium plantarumque generationes abrumpere, plantas evellere, semina foecundationi inepta reddere, insitiones surculorum in alterius speciei truncos facere, corporis lapsum supposito obstaculo impedire, aut in contrariam etiam partem movere, et alia id genus innumera, quae sine opera nostra nunquam evenirent? quid autem haec omnia commonstrant, nonne contingentiam ac mutabilitatem legum naturae? nonne earundem rationem a liberrimo auctoris arbitrio pendere? verum erit fortasse, qui dubitat, utrum hae determinatae leges, quas supra enumeravi, reapse in natura obtineant: id quidem minime officiet; quodcunque quis in physicis systema amplectatur, seu cum CARTESIO, seu cum NEWTONO, aut BOSCOVICHIO sentiat, fateri nihilominus cogetur, leges, quas ipse in natura agnoscit, absolute contingentes, ac mutabiles esse.

§. 48.

Omnis variorum ad unum totum constituendum nexus et consensus fundat multiplicem necessitatem, qua varia illa existant et agant, ut unum totum constituant; ejusmodi necessitatis formas, formulis conclusas et exhibitas leges, vocari dubium non est; quare etiam leges quasdam dari necesse est, quae nexu illo cosmico stabiliantur, quo omnia entia finita cum materialia

tum spiritualia, cum phaenomena, tum noumena universum hoc constituunt. Quas leges, seu normas, cum omnium entium mundanorum communem existendi et agendi modum definiant, leges cosmicas appellare oportet, ut ab aliis naturae legibus internoscantur. Cum porro vi nexus et consensus cosmici, omnia simultanea et successiva, permanentia et transeuntia in mundo, causarum et effectuum serie continua, et finium ac mediorum ordine non interrupto, immediate, vel mediate cohaereant: seriem eorum et continuationem, seu continuitatem, deinde congruentiam et adaequationem mutuam, seu parsimoniam, conservationem porro et constantiam, varietatem denique et unitatem in varietate, leges esse consequitur, quibus omnium omnino mundanorum entium existendi, agendique modi subsint. Hoc significatu et fundamento leges cosmicas continuitatis, parsimoniae, conservationis, constantiae atque unitatis dari, extra omne dubium positum est.

Scholion. Leges cosmicae a nexus cosmici idea et veritate ductae, quamquam irrefragabiles, ad captum tamen et usum communem aptae satis et accomodatae non sunt; quare ab experientiae fonte peti debet earum notitia, usibus philosophicis impendenda, i. e. conjectandis et detegendis rerum caussis et affectionibus, quibus earum suppositio saepe servierat, uti Leibnitzio, Newtono, etc. quamquam haec iis non absolutam, sed comparativam universalitatem et probabilitatem tantum conciliare possit.

§. 49.

Lex continuitatis in eo sita est, quod, dum in entibus hujus universi fit mutatio status, nequeat ab uno ad alium transitus fieri, neglectis intermediis statibus e. g. dum natura ab evolutione seminis transit ad fructificationem, semper transire debet per intermedios

status, et nisi id fieret, saltus in natura committeretur. Unde haec lex, ista formula exhiberi solet: in mundo non datur saltus. Porro saltus dupliciter considerari potest, vel qua absolutus, vel qua relativus; prior tunc evenit, quando ens aliquod ex uno suo statu transit ad alterum, neglectis intermediis, uti in priori exemplo; si vero ens aliquod ab uno suo statu transfertur ad alterum ita, ut transeat quidem per omnes status intermedios, nobis tamen transitus ille sit insensibilis, posterior locum habet, qui itaque, absolute, seu stricte saltus non est, sed saltem relate ad nos pro tali habetur, ac proin relativus dicitur. Legem hanc in natura existere *probatur* 1. Res ex statu A in statum B transiens, exhibet nobis status duos in diversis temporibus datos, ergo duos temporis limites. Sed inter duos temporis limites dantur partes temporis infinite multae. Debet ergo in quavis horum temporum parte res, quae mutatur, in statu versari, qui nec A, nec B, verum status ab A et B diversus est; patet itaque omnes rei mutationes in continua fieri successione. 2. Quidcunque mutatur, ex determinato in determinatum alium statum transit. Transitus iste necessario in tempore fieri debet. Tempus vero, in quo res aliqua in alium transit statum, non est tempus prius, verum a priori diversum, ergo tempus subsequens. Inter duo tempora autem dantur tempora media. Obveniunt itaque in quavis naturae mutatione tres diversi status, nempe status rei in tempore praeterito, status praeteritus, status rei in tempore subsequente, status subsequens, et status rei in temporibus mediis praeteritum inter et subsequens, status me-

dius; si itaque daretur saltus in natura, deberet res ex statu A in statum B transire, quin fuisset in statu intermedio, hoc vero est juxta mox dicta impossibile, ergo etiam saltus in natura est impossibilis. 3. Vi principii caussalitatis omnes mutationes in mundo per certas fiunt caussas, quarum effectus rursus caussae existunt mutationis alterius, ac proinde quivis effectus cum sua caussa in continuo nexu positus est.

Scholion 1. Lex haec experientia quoque comprobatur, nam I. obtinet haec in spatio et tempore. e. g. Recta A B repraesentet spatium percurrendum ab aliquo mobili corpore; fieri non potest, ut mobile corpus momento temporis ex A transferatur ad B neglectis intermediis spatii partibus, uti probavimus. Nec fieri e. g. potest, ut aliquis ab anno aetatis 20 momento temporis transeat ad annum 60 neglectis intermediis temporis partibus. Obtinet haec lex in effectibus naturalibus e. g. in evolutionibus, incrementis et decrementis; nam caussa quaecunque naturalis est finita, effectus itaque omnis pariter finitus esse debet. est enim proportionatus causae agenti; jam vero in omni effectuum serie finita datur primum medium et ultimum, cujus ultimi praerequisita continentur in statibus prioribus, ac proinde natura a statu primo ad ultimum nunquam transit neglectis intermediis e. g. ut planta producat fructum, evolutionem seminis sequi debet incrementum plantae, tum proferri gemma, huic succedere flos, et flori tandem fructus. Legem hanc confirmat totum regnum animale, vegetabile, et minerale. Obtinet quoque in humanis institutis et moliminibus; nunquam enim ad finem contenditur, mediis nondum praeparatis, et satis instructis; tum in evolutione facultatum quoque humanarum, ut adeo in proverbium abierit: Nemo repente optimus, nemo repente pessimus, nemo repente doctus etc.

Schol. 2. *Objiciunt*: Globus e sclopo vibratus momento temporis celeritatem notabilem consequitur, ergo datur saltus in natura B. D. A. momento temporis mathematico n. A. physico C. A. n. C. Haec repentina celeritas non producitur momento temporis mathematico, seu indivisibili, sed physico, seu in plura tempuscula divisibili. Ad hoc enim, ut globus e sclopo evibretur, necesse est, ut pulvis pyrius accendatur, et aër intus contentus se se expandat, ac demum elasticitate sua globum ad celeritatem determinet, quae omnia brevi quidem tempusculo vix perceptibili fiunt, non tamen prorsus indivisibili.

Schol. 3. In rerum naturalium descriptione nullum genus, nulla species rerum desideratur: rerum genera et species tam presse se excipiunt, ut nullus sit vacuus locus relictus. Hinc tamen non sequitur, omnia in natura, essentiae identitate convenire; et tantum gradus diversitate distare, uti Robinetio et Selio visum est. Mineralia organisatione, plantae sensu et arbitrio, belluae ratione et libertate destituuntur, adeoque essentia constanti, et non gradu variabili tantum a se invicem ac ab homine differunt. Neque obstant legi continuitatis exempla quam plurima saltuum in politicis, physicis et moralibus, quibus saepe a tyrrannide ad anarchiam, a superstitione ad incredulitatem transitus fieri observatur. Apparentes tantum et relativi, non autem absoluti sunt isti saltus; exiguae nempe saepe sunt, aut nimis reconditae, vel non debite observatae successionum causae et praeparationes; at si res penitius consideretur, deprehendimus et in his gradus intermedios, ac naturalium causarum continuo nexu praeparatos esse progressus.

§. 50.

Lex parsimoniae, seu minimi, hac formula enunciatur: natura nihil agit frustra i. e. in natura nihil est superflui, nulla vis, nullus effectus est superfluus, et quoties effectus aliquis producitur, ille vi agenti est proportionatus, nec proin unquam a natura plus virium effectui producendo impenditur, quam sit necessarium, ac proin natura operatur via brevissima. Haec lex nihil aliud est, quam legis continui sequela; nam id proprie dicit: in caussa efficiente nec plus, nec minus continetur, quam ad totum caussae hujus effectum necessarium erat; jam autem, si plus contineretur, saltus in serie caussali committeretur, eo, quod pars actuositatis caussae annihilaretur, aut nihil operaretur; si autem minus in ea contineretur, pariter saltus obtineret in natura, siquidem aliquid in effectu adesset, quod nullam caussam haberet; prout igitur lex continui, ita per consequens etiam lex minimi in natura obtinet. Dein su-

perfluum id dicitur, quod nullos certos fines sibi praefixos habet, ac proin tunc in natura superflui quid argui posset, si darentur entia, aut illis vires inessent, nulli prorsus fini consequendo destinatae, aut idoneae; atqui hoc cujusvis entis sapientiae, multo magis infiniti adversatur, quod hanc produxerat universitatem, ergo nihil omnino in natura superflui adesse posse, per se manifestum est.

Scholion. Objiciunt. Semina tanta copia producuntur in natura, ut nec millesimum eorum perveniat ad foecundationem ergo. R. C. A. n. C. Verum est, praecipuum seminum finem esse foecundationem eorundem, at id quoque certum, hunc non esse ultimum et unicum, verum alterum quoque dari, videlicet, ut nutriendis animalibus inserviant, quae cum innumera sint, ingentem seminum copiam requirunt. Caeterum notandum est, fines, ad quos entia referuntur, innumeros esse, nec a nobis omnes et rite perspici posse, inde tamen inferri non potest, hoc aut illud ens, hanc aut illam vim, hunc aut illum effectum esse superfluum; ex sapientia enim Conditoris perspectum nobis redditur, nihil ab eo condi posse, quod non esset ad certos fines relatum.

Schol. 2. Experientia quoque parsimoniae documenta subministrat. 1-mo Contemplatio coeli stelliferi, ubi spatia et vires ita distributae, atque directiones motuum ita ordinatae sunt, ut minimis ubique impensis plurimum efficiatur; sola attractionis et retractionis vi et lege, is omnium, qui universo hoc continentur, innumerabilium orbium coelestium ordo sustentatur, quo singuli apta existunt entium viventium et intelligentium domicilia. 2-do. Contemplatio globi nostri terraquei, cujus figurae, structurae, motuum et elementorum ratio maxime varias et innumerabiles usus praestat: quo fit, ut ea sit ubique plantarum et animalium varietas, et copia, eaque tempestatis ratio, ut ab hominibus ubique incoli, et hi in aliquo commercio esse possint. 3-tio. Contemplatio ipsius hominis, qui ea est corporis mentis et animi indole, ut corporis sui vi omnis climatis incommoda perferre, mentis vero et animi sui dotibus societatem colere, atque ita omnia vitae praesidia et commoda sibi procurare et continua perfectionis incrementa capere possit.

§. 51.

Lex conservationis hac effertur propositione: in natura nihil interit actio-

ne caussarum creatarum. Lex haec intelligi potest: 1-mo de substantiis, sive illae demum sint materiales, sive immateriales; substantiae enim omnes sunt simplices, interire igitur non possunt, nisi per annihilationem, sed vis annihilandi nulli substantiae creatae competit, ergo neque vis alias substantias destruendi ita, ut nihil ex iis remaneat. 2 do Intelligitur haec lex etiam de viribus substantiarum primitivis i. e. quod nullae substantiarum vires primitivae intereant. Sic e. g. eadem est hodie vis aquae, ignis etc. quae olim fuit, nihilque ex his viribus primitivis interiit, imo nec interire potest; si enim substantiae cujuspiam vires primitivae, quae proprie ejusdem substantialitatem efficiunt, interire possent in mundo, connexione caussarum et effectuum naturalium abrupta, saltus in natura daretur, sicque lex continuitatis violaretur; sed hoc fieri non potest: quidquid proinde in natura interit, accidentia, non substantia, vis derivativa et composita, non primitiva et simplex est; et omnis corruptio formae tantum compositi substantialis, per conjunctionem, mixturam aut dissolutionem partium facta immutatio, adeoque alterius generatio est. Nihil itaque in natura annihilatur, nullum entium genus, nulla forma exemplaris, seu species, nullum corpus mundi totale, nulla vis primitiva deletur. Innumera quidem rerum intereuntium documenta natura singulis exhibet diebus, hi tamen omnes interitus et destructiones nil nisi ortus et generationes aliorum, atque transitus entium ad novos et perfectiores existendi modos esse, supponendi sunt.

Scholion. Obj. Inveniuntur petrefacta corpora animalium, quae hodie nusquam inveniuntur; in quibusdam regionibus non

inveniuntur animalia et plantae, quae illinc olim magno numero inveniebantur, ergo natura non conservat species F. Con. A. R. C. Verum est, inveniri corpora petrefacta animalium, quae hodie nusquam inveniuntur e. g. cornua ammonis et multa alia. Verum est etiam, in nonnullis regionibus non inveniri animalia et plantas, quae olim magno numero ibi reperiebantur, at inde inferri non potest, quod natura non conservet species; nam 1-mo quod attinet animalia illa petrefacta, poterant esse talia, quae in fundo maris, aut fluviorum vivere solent: certum autem est, partes marium et fluvios lapsu temporis locum mutasse, hinc animalia quoque talia recedentibus aquis recesserunt, quae proinde hodie quoque in fundo maris et fluviorum reperiuntur. Quod attinet 2-do animalia et plantas, quae nunc in iis regionibus, in quibus olim inveniebantur, non reperiuntur, dicimus inde non sequi eorum interitum; animalia nempe illa sensim se receperunt in alias regiones. Sic e. g. olim in Germania erant Alces et Tarandi, qui jam nunc ibi non visuntur, magno tamen numero in septemtrione inveniuntur. Propagato nimirum sensim genere humano, excisae sunt sylvae, sicque mutato atmosphaerae temperamento, animalia in alias recesserunt regiones. Idem de plantis dicendum.

Schol. 2. Legis hujus existentia per analogiam quoque hominum populorumque historiam comprobatur; nam ubique determinata deprehenditur in natura virium quantitas, quae alicubi defectum, alibi excessum compensat: sunt docti et indocti, pauperes et divites; hic submerguntur urbes, ibi novae surgunt ex aquis insulae; dum alia regna concidunt, ad sublime fastigium elevantur alia; dum provinciae olim cultissimae profundae hodie ignorantiae calligine obductae jacent, aliae scientiis effulgent; hic impietas et incredulitas invalescit, pietas alibi religioque sanctissima caput suum gloriose extollit; consequenter lex conservationis quoque in natura existit.

§. 52.

Lex constantiae in eo consistit: ut vires hujus universi leges ab auctore naturae semel stabilitas semper sequantur, neque eas sibi relictae mutare possint, hacque exprimi potest propositione: natura sibi ipsi constat. Hanc quoque subsistere in natura negari non potest; entia enim hujus universi quemadmodum existentiam et vires, ita leges, juxta quas agunt, non habent a se ipsis; non est situm itaque in ipsis entibus, aut leges, aut vires mutare, igitur vires hae

constanter, et leges eaedem in natura permanere debent. Dein si vires substantiarum creatarum secundum quasdam leges constanter non agerent, nulla posset esse in hominibus providentia, nullum consilium, nulla certa instituendae vitae, aut curandorum corporum ratio; haec enim omnia a legum universalium constantia dependent, ut id etiam superius jam declaravimus. Hac lege nititur omnis certitudo physica, ut, si eadem non subsisteret, ex collectione observationum et experimentorum nunquam ad casus futuros secura argumentatio institui posset. Datur igitur lex constantiae in natura.

Scholion. Hujus legis existentiam confirmant omnia naturae regna: et quidem 1-mo regnum animale; neque enim unquam a ferocia crocodilus, a majestate leo, a generositate equus, ab industria formica, a cantu alauda, philomela etc. degeneravit. 2. regnum vegetabile; eadem enim est hodie, quae olim, herbarum salubritas, florum pulchritudo, fructuum ubertas, rosae fragrantia etc. 3. regnum minerale: eundem enim et hodie retinet fulgorem aurum, candorem argentum, rubinus ruborem etc. Tota denique natura irrefragabilia suae constantiae suppeditat argumenta.

§. 53.

Lex unitatis est, vi cujus entia hujus mundi, licet magna varietate distincta, multiplici tamen unitate sunt mutuo devincta; hinc lex ista, etiam lex consensus, vel harmoniae universalis appellari, atque propositione hac: in natura harmonia universalis regnat, exhiberi potest. Cum unus omnium entium hujus mundi supremus finis sit gloria Dei externa, per illum omnes apparentes in hoc mundo contradictiones tolli, omnia, quae singularia diversaque sunt, ad illum, tamquam ad id, quod universale et ultimum est, reduci necesse est; ut adeo ex fine illo, quem auctor naturae huic mundo praefixe-

rat, necessaria hujus rerum universitatis, tam admirabili entium varietate resplendescentis, exaequans omnia unitas, seu harmonia consequatur.

Scholion. Amplissima hanc legem evincit experientia. Hac enim teste discimus maximam esse rerum in mundo varietatem, et quidem talem, ut neque duas cujuspiam generis res deprehendere liceat, in quibus non aliqua, vel liberis, vel armatis oculis differentia observari posset. At in admirabili hac rerum varietate multiplicem quoque unitatem reperimus; omnia enim non modo propriis, verum etiam communibus affectionibus praedita, et legibus ac finibus subjecta sunt, atque ad actionis vitae et sensus procreationem et conservationem, nec non entium moralium usum tendunt. Corpora coelestia, licet multitudine innumerabilia et varia sint, aequabili attamen cursu, eoque perpetuo moventur; hinc illa mira tempestatum anni diversitas, et tamen pulcherrima eorum consensio, ita, ut gratas veris, aestatis, autumni et hyemis, dierum atque noctium vicissitudines mutuis viribus producant, neque unquam motus suos perturbent. Omnia denique in hoc mundo ita in calculum redacta, rite ordinata atque definita, sunt, ut ad Creatoris gloriam externam promovendam harmonice consentiant.

§. 54.

Eventus quisque hujus mundi, vel est naturalis, vel supernaturalis; prior est, cujus ratio sufficiens in natura, i. e. in viribus entium creatorum continetur; e. g. apparitio iridis, item respiratio, circulatio sanguinis etc. sunt eventus naturales; posterior vero est, cujus ratio sufficiens in viribus entium hujus universi non continetur e. g. resuscitatio vere mortui. Eventus naturales et supernaturales, vel fiunt secundum solitum et constantem illum modum, qui in natura obtinet, vel non; priores sunt ordinarii, posteriores extraordinarii eventus; illi prodigia naturae, hi miracula nuncupantur. Miraculum porro, vel est quoad substantiam tale, vel quoad modum. Si eventus vires naturae omnes absolute et pro omnibus omnino circumstantiis superet e. g. resuscitatio vere

mortui, quoad substantiam, vel etiam absolutum; si vero absolute quidem viribus naturae produci, sed non in his determinatis circumstantiis, possit e. g. sanatio infirmi momento temporis facta, miraculum quoad modum, vel etiam relativum nuncupatur. Ad notionem itaque miraculi sequentes notae requiruntur 1-mo Ut sit eventus supernaturalis, i. e. cujus ratio sufficiens non in viribus naturae, sed in vi infinita Dei continetur. 2-do Ut sit insolitus i. e. extraordinarius; hinc e. g. conservatio et gubernatio mundi est quidem eventus supernaturalis, sed quia fit juxta stabilem, quam sibi semel auctor naturae sequendam proposuit, legem, ideo eventus iste non potest dici miraculum. 3-tio A miraculis abesse debent omnia ea, quae internam involvunt contradictionem; quare eventus illi, qui miraculorum substratum efficiunt, apti ad existendum, seu interne possibiles sint, est necesse.

Scholion 1. Alii alias miraculi definitiones suppeditarunt, quas et adduxerunt, et examinarunt, prae caeteris Bülfingerus (*in diluc. p.* 202. *sqq*) et eruditus Hollmannus *in comment. Philos. de miraculis*). Praecipuas harum breviter adferemus, ut intelligatur, fuisse nonnullos eruditorum, qui doctrinam de miraculis explodendam esse censuerunt. Spinoza inter caeteros suos errores miraculum definit esse: „opus naturae, cujus caussam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus.“ (*in tract. Theol. pol. c.* 6). Perbella omnino definitio, quae ad omnes effectus naturales, verum insolitos, transferri potest, quaeve id, quod mirabile est, cum miraculo confundit. Potest quid in universo contingere saepenumero, cujus caussae nos latent, quodque adeo in admirationem nos rapit. Sed hoc est mirabile quid, non miraculum. Johannes Lockius et Grevius Anglus cum hoc Spinozae errore consentiunt; quorum prior miraculum dicit esse: „ opus naturae insolitum, cujus caussa vulgo ignoratur. “ (*Cosmol. Sacr. L.* 4. *c.* 5) alter autem: „operationem in sensus incurrentem, quam spectator ut divinam intuetur, quoniam captum suum excedit, et contraria est (prout ille quidem credit) stabilitis in natura legibus. (*In discursu de mirac. gall. edito*) Uterque enim internam mira-

culi naturam tollit, et omne criterium, quo miraculum a mirabili discernatur. Clarkius docet, miraculum esse effectum consueto ordini naturae contrarium, a natura quadam intelligente, quae viribus hominem superat, extra ordinem productum." (*Traité l'exist. et des attrib. de Dieu t.* 3. *ch.* 19). Quod in hac definitione displicet, illud est: quod ea geniis quoque, seu bonis, seu malis potestatem naturalem vera miracula patrandi, etiam sine nutu, et speciali jussione Dei tribuat, quod tamen defendi non potest: eo, quod solus Deus sit caussa efficiens principalis miraculi. Thomas Hobbesius ait miraculum esse quidem immediatam Dei actionem, at subjungit, naturales ejus caussas comprehendi a nobis nequaquam posse; (*Hobb. Leviath. c.* 37) quod argumento est, ipsius opinione miraculum ab effectu naturali reapse et in se non discerni; atque de hoc dubitare nos minime patiuntur ea, quae de Deo, ejusque natura impie alias protulit. Leibnitzius, ut alibi, ita et in Theodicaea, miracula distinguit in miracula majora et minora. Majora vocat, quae totius naturae vires superant, et cursum ejus ordinarium transcendunt. minora vocat, quae nobis quidem naturae vires superare videntur, attamem actu a creaturis invisibilibus e. g. angelis praestantur. Ad miracula majora refert e. g. creationem, quae omnem creaturarum potentiam transcendit. Ad miracula vero minora pertinere ait e. g. commotionem lacus Bethesdae ab Angelo factam. Russeau (*in suo Emil.* 3. *p.* 88) simpliciter possibilitatem miraculorum negat, ex eo praecipue capite, quod nemo omnes naturae leges, totumque rerum ordinem perspicere possit, quod tamen necesse foret, argutatur ille, ad hoc, ut de veritate miraculi absolute pronuncietur. In gravissimum errorem prolapsus est quoque Wolfius, vir cetera eruditissimus, qui miraculum eventum esse supernaturalem dicit, cujus ratio sufficiens in essentia corporum et natura eorundem non continetur; at absurde miraculum a divina quidem potentia, non autem a sapientia proficisci posse contendit. (Vernünftige Gedanken von Gott, der Welt, und der Seele des Menschen §. 103. c. 34). Recentissimi quidam notionem efficaciae supernaturalis definitioni miraculi non adjungunt. Sic Kant miraculum esse dicit eventum a notis naturae legibus abhorrentem, cujus a nobis nulla potest e viribus naturalibus ratio reddi. Idem tenet Reinhard cum plerisque Criticis. Singularis est opinio Velandi et Seileri, qui, praeeunte Joanne Clerico, in dissertatione ejus de miraculis, tractatui de incredulitate praefixa, cardinem miraculi non in suspenso rerum naturae cursu, sed in praevisione thaumaturgi, seu ejus, qui patrat miraculum, ponunt.

Schol. 2. Quod supra naturam est, cave confundas cum eo, quod est contra et praeter naturam. Quod praeter naturam fit, id evenit quidem revera secundum or-

dinem et leges naturae generales, attamen fit contra hujus illiusque corporis in particulari agendi patiendique leges, quas particulares corporis hujus illiusve conservandi leges, id, quod praeter naturam fit, impedit et evertit. Ita cum e. g. venenum imbiberis, comperies, secundum ordinem naturae illud in corpus tuum agere. Quia vero venenum actiones corporis tui laedit, impedit et evertit, vides, legibus corporis tui particularibus contrarium effectum produci, qui dicitur praeternaturalis. Hinc intelligis, cur medici omnem corporis statum morbosum vocent statum praeternaturalem. Contranaturale vero est id, cujus in entis natura non tantum non est ratio, ut eveniat, sed potius ratio in ea continetur, ut non eveniat. Sic contranaturale est corpori humano et igni, illud in ardentem rogum injici et non aduri.

Schol. 3. Miraculum confundi non debet cum mirabili; dantur enim in hoc mundo eventus, qui et rari sunt, et quorum caussae non sunt in promptu, attamen in natura fundantur. Sic omnia monstra naturae mirabilia sunt, non tamen miracula, cum eorum ratio sufficiens in natura contineatur. Nec raritatem ad essentiam miraculi pertinere existimaveris; potest enim quispiam effectus supernaturalis esse insolitus, sensu superius exposito, tametsi crebrius eveniat. Et sane, si ii solum effectus supernaturales essent miracula dicendi, qui sua raritate sese commendant; prodigia illa, quae Christus et Apostoli frequentissime patrarunt, pro miraculis habenda non essent.

§. 55.

Miracula sunt possibilia. Si enim 1.mo miracula veri nominis impossibilia essent, ea, vel absolute, vel relative talia essent; sed primum dici nequit: nam miracula sunt eventus ejusmodi, quorum notae contradictionem non involvunt, prout id in exhibitis miraculorum requisitis memoravimus; sunt igitur absolute possibilia. At nec alterum dici potest: relative enim impossibilia tunc essent, si vel relate ad Deum, vel relate ad leges naturae implicarent; atqui nihil horum statui potest, non primum: Deo enim ad patrandum miraculum, utpote vi infinita praedito, vires sufficientes non desunt; non alterum: neque enim natura

et leges mundi absoluta necessitate existunt, nec etiam sunt immutabiles, ac proinde contra eas quidpiam agi potest, potestque produci aliquid majus, quam per vires naturae producatur; veri igitur nominis miracula possibilia esse consequitur. 2-do Ab esse ad posse valet argumentatio. Creatio mundi ex nihilo est miraculum, ergo miracula sunt possibilia. Creationem autem mundi ex nihilo miraculum esse, fit ex eo manifestum, quod creatio non sit virium naturae, sed vis supernaturalis, seu Dei effectus. Miracula a solo Deo producuntur; nam 1) miracula non habent rationem sufficientem in viribus universi; cum itaque vis quaelibet hujus universi contingens sit et finita, in vi contingente et finita ratio miraculorum sita esse non potest; atqui tamen ratio sufficiens in vi aliqua sita esse debet; nihil enim est sine ratione sufficiente, nullus effectus sine vi agente, consequenter ratio miraculorum in vi, ad hoc universum instar partis non pertinente, adeoque in vi infinita sita esse debet, seu in Deo; miracula igitur sola vi infinita Dei produci possunt. 2) Deus solus est caussa prima naturae universae, ergo etiam solus naturae universae legislator. Sed si naturae universae ille solus legislator est, leges has ille solus suspendere potest, si hanc suspensionem sapientia suadeat. Si autem leges naturae suspendere ille solus valet, negari nequit, Deum solum miracula patrare posse; quodvis enim miraculum est legum naturae suspensio.

Scholion 1. Neque vero quis in dubium vocabit, opinor, mutationem universalium naturae legum ad solum Deum pertinere; ille enim solus supremum in res creatas dominium obtinet, hocque usus, leges istas constituit. Quare, etsi ignoremus, cujus efficacitatis vires creato-

rum spirituum sint, id tamen certissime affirmare licet, ipsos generales naturae leges perturbare, aut aliqua ratione immutare non posse. Errant igitur, qui CLARKIUM secuti, genios quoque, seu bonis, seu malis vera miracula patrandi potestatem tribuunt. Ad nutum et specialem jussionem Dei, substantiam quamdam creatam, secundum legem quampiam extraordinariam, pro singulari hoc casu praestitutam, statutas a Deo leges mutare, seu contra illas agere posse, ultro concedimus; at tunc ejusmodi causa ministerialis saltem est, et instrumentali aequiparatur, altera autem seu Deus ad cujus nutum illa exercetur, principalis audit.

Schol. 2. *Opponunt* 1. Tametsi leges praesentes naturae non sint absolute necessariae hoc sensu, quod Deus potuerit alias substantias mundanas condere, quae alias leges naturae exegissent, conditis tamen his substantiis, quae mundum hunc constituunt, sunt absolute necessariae, ergo positis his substantiis contra leges praesentes naturae fieri nihil potest. *Prob. A.* Leges praesentes naturae necessario fluunt ex essentiis substantiarum mundanarum. ergo. ℟. N. A. ad prob. Dist. A. Leges praesentes naturae necessario fluunt ex essentiis substantiarum mundanarum, ex hypothesi, quod Deus velit illas viribus sibi concessis secundum praesentem machinae mundanae structuram agere trans. a. absolute. N. A. et C. Quodsi corpora non agunt virtute propria, sed motu extrinsecus obtento, prorsus non proveniunt ex essentiis substantiarum mundanarum leges praesentes naturae; sed ex sola dispositione Dei, qui corpora de se indifferentia ad motum, vel quietem, legibus istis agere, ac agi voluit. Quodsi autem propria et interna virtute agunt corpora, proveniunt quidem leges naturae ex essentiis mundanarum substantiarum; at non absoluta necessitate, sed solum ex hypothesi, quod velit illas viribus sibi consentaneis secundum machinae mundanae structuram agere Deus. Jam autem, ut istud velit, aut nolit Deus, stat in sola illius libertate; quid enim illum imprimis vetat, seriem, ac ordinem ipsarum aut interrumpere, aut immutare? quid deinde vetat, actionem viribus ipsarum congruentem, aut penitus impedire, aut diminuere, aut augere? *Opponunt* 2 cum SPINOZA. Res nullo alio modo, neque alio ordine potuerunt produci, ac sint productae, ergo quidquid producitur a Deo in rebus mundanis, pertinet ad earundem ordinem: sed hoc ipso nulla vera miracula possunt in hoc modo evenire; ergo. *Prob. A.* Ordo rerum aptatur earundem essentiis; ergo etc. ℟. N. A. Ad prob. *Dist. A.* Ordo rerum aptatur earundem essentiis, id est, essentiis his est consentaneus C. A. id est, ex essentiis his necessario nascitur. N. A. et Cons. Necesse quidem est, ordinem rerum mundanarum esse maxime consentaneum essentiis earundem, quoniam id absolutissima Dei ratio, perfectissimusque et sapientissimus modus agendi

exigit: at unde probat Spinoza res easdem non esse ad plures ordines constituendos aeque habiles, aut res quaslibet cum certis rebus earundemque constitutionibus connecti adeo, ut nonnisi in harum serie possint produci? cur ergo non potuissent inprimis res ipsae mundanae alio produci ordine, quam sint productae? cur deinde non posset ordo ipsarum interrumpi aut immutari? cur demum nequiret aliquid in ipsis produci, quod non pertineat ad ipsarum seriem? — Caeterum observa, quod si Deus totum praesentem rerum mundanarum ordinem immutaret, non perseveraret hic mundus, tametsi perseverarent omnes substantiae, quibus is nunc constat: quoniam essentia istius mundi sita est in his substantiis, hoc modo, uti sunt, ordinatis. Quodsi autem particulare duntaxat aliquod systema immutaret, idem fieret, quod in corpore humano, cujus manus e. g. aliam, quam habuerit, conformationem obtineret: sicut nempe corpus istud non obstante particularis seriei, ad ipsius integritatem pertinentis, scilicet manus, immutatione perseveraret vulgo et secundum moralem aestimationem idem; ita etiam mundus in posito casu. *Ajunt* 3. Si novi quidpiam in hoc universo accidat, cujus caussa in serie rerum creatarum non continetur, consequens fore, ut naturae auctor mutetur, ut qui de re ante occulta tum primum cogitet, decernatque. Verum nulla inde sequitur in Autore naturae voluntatum consecutio, aut commutatio; is enim omnia ab aeterno mente complexus ita decrevit, ut ipsa temporaria rerum mutatio in immutabili ejus consilio aeternum exstiterit. „Opera mutat, consilia non mutat" inquit Augustinus. Mutaretur equidem Deus, si legem quampiam moralem immutaret; cum enim illam necessario tulerit, si nunc aliqua mutatio eveniret, censeretur ipse eam in tempore velle, quam ab aeterno nec voluit, nec velle potuit, sicque contra suas perfectiones ageret. Alia longe legum physicarum est ratio, quas cum Deus initio libere voluerit, potuit eas quoque cum restrictione quadam et exceptione pro casibus quibusdam singularibus constituere. Physica nempe divinarum perfectionum manifestatio per diversas leges obtineri potest; moralis vero, quae creaturarum liberarum propria est, per has solum leges morales. *Urgent.* 4 Si miracula essent possibilia, sequeretur Deum initio non sat provide et caute egisse, et velut ob adjuncta non praevisa miraculum edere, quae tamen pugnant cum infinita Dei perfectione. R. Deus non ideo miraculum edit, quod in hac rerum serie quaedam male aut improvide constituta sint, quae emendatione aliqua, aut correctione egeant; absit a nobis temerarium hoc de divinis actionibus judicium: habet ille fines alios Majestate sua dignissimos, cur nonnunquam effectum, quem per aliam ab aeterno caussarum naturalium dispositionem via prorsus ordinaria consequi potuisset, per miraculum obtinere velit, quin propterea sapientissimae illius providentiae quidquam decedat. Immo

hac ratione divina bonitas, Potentia, rerum creatarum cura, aliaeque perfectiones multo maxime illustrantur: experientia certe docet, homines passim effectibus insolitis magis, quam iis, qui secundum naturae cursum eveniunt, ad laudes potentissimi benignissimique Conditoris praedicandas stimulari. Atque hinc patet, in gravissimum errorem prolapsum fuisse WOLFIUM, cum contendit, miraculum a divina quidem potentia, non autem a sapientia proficisci posse, ac mundum, in quo omnia naturaliter eveniant, verum esse sapientiae opus, multoque meliorem eo, in quo multa miracula patrareptur. *Inquiunt.* 5. *alii:* Leges naturales morales necessariae sunt, et absolute immutabiles; cur non igitur idem de legibus naturae, quas physicas, seu mechanicas vocant, affirmetur? R. Ratio dispar in eo sita est: eas Deus necessario creaturae rationali praestituere debuit, non item has toti rerum universitati. Ad divinas nimirum perfectiones vehementer pertinebat, ut hominem, quem condidit, provide et sapienter ad finem suum consequendum gubernaret, id quod non praestitisset, nisi praecepisset ea, quae ad finem illum obtinendum necessaria sunt, et contra vetuisset illa, quae hominem ab hoc fine avertunt, quo uno tota lex moralis continetur. At contra entia creata, seu hoc, seu illo modo agant, seu his, seu aliis legibus gubernentur, ad finem suum pertingunt, perfectionesque divinas patefaciunt; unde nulla Dei perfectio has *determinate* leges physicas postulavit, quamvis ejus sapientia, ac providentia aliquas *indeterminate* exegerit. Quare nihil etiam obstabit, ut non in casu quopiam particulari legum physicarum una aliqua mutetur. *Neque dixeris* 6. Miracula per saltum evenire; saltus enim hic, non est absolutus, vi cujus miracula plane nullam sui haberent rationem sufficientem. Miraculum enim non est eventus isolatus, sed cum aliis eventibus connexus, non quidem per mechanicum, sed per liberum nexum caussalem. Sane si omnium eventuum Naturae ratio in caussis duntaxat mechanicis sita foret, operationibus etiam sensibilibus liberi arbitrii hominum saltus fieret in mundo. — Non posse vero, vel Deum agere nisi per naturam, et potentiam hujus esse potentiam Dei, ille duntaxat asserere potest, qui Deum et naturam impie confundit. *Obj.* 7. Non sunt nobis cognitae vires naturae, non possumus proin eventus miraculosos a naturalibus discernere. R. D. A. Omnes non sunt cognitae C. A. nullae n. A. non possumus in quibusdam circumstantiis eventus miraculosos a naturalibus discernere C. C. in nullis n. C. Vires quidem naturae omnes nobis cognitae non sunt, at inde saltem sequitur, posse evenire circumstantias, in quibus difficulter, aut prorsus non possumus eventus miraculosos a naturalibus discernere. At illud quoque certum, multas vires naturae nobis esse cognitas, hinc si eventus aliquis cum his viribus earumque legibus evidenter pugnare deprehendatur, is saltem tuto pro miraculo haberi

poterit. Sic novimus eam esse naturam ignis, ut admota sibi corpora inflammabilia comburat; si haec ergo in certis adjunctis combusta non fuisse, neque media vim ignis impedientia adhibita fuisse, certo constet, eventus is tuto pro miraculo haberi poterit. 8. Fides miraculorum ita, ut debet, temperata, non dat nobis jus indagationem caussarum naturalium negligendi, et omnem eventum ex viribus naturae nobis cognitis inexplicabilem, taedio laboris et studii ad caussalitatem supernaturalem illico transferendi. Tunc enim tantum jus istud competit, cum eventum quempiam non solum ex legibus naturae notis, sed ex omnibus etiam viribus naturae explicare non possumus: hoc dato, si quis adhuc se in causis naturalibus detineret, incassum laboraret, et eventum talem ad immediatam causalitatem Dei non referendo, admitteret aliquid actu existens absque ratione sufficiente, et effectum sine causa efficiente. 9. Lex illa metaphysica, vi cujus inter causam et effectum talis proportio debet adesse, ut in effectu nec plus, nec minus possit contineri, quam in ejus caussa, debet intelligi de caussis et effectibus formaliter, non autem materialiter sumtis. Sane homo aquam bajulans, non debet bajulare quidquid potest; licet igitur in miraculis effectus finiti caussa ponatur infinita, lex seu principium harmoniae causalis nequaquam laeditur. 10. Doctrina de miraculorum possibilitate multis fraudibus ac deceptionibus ansam praebet; notum enim est, quam multae, et admodum noxiae fabellae tum olim inter idololatras, tum nostra quoque aetate in vulgus sparsae sunt. R. Argumentum hoc huic simillimum est: plurimae olim fabulae de Diis spargebantur: magis igitur consultum est existentiam Dei inficiari. O praeclaram Rousseaunis dignamque Philosopho argumentationem! Si quando haec doctrina fraudibus, ac fabulis occasionem praebuit, id non ex ea per se, sed per accidens, ut ajunt, fluxisse certum est, quod veritati minime obest; sed malitiae, aut ruditati hominum adscribi debet. Quis ignorat, sanctissimis quibusque rebus homines impios frequenter abuti, an eae propterea abjiciendae sunt? id solum inde sequitur, oportere, ut in ferendo de eventis insolitis judicio cautissimi simus, neque cum plebe nimis credula omnia sine discrimine in miraculis habeamus: verum aeque errant, qui nihil, quam, qui omnia creduut. 11. Si miracula Deo possibilia essent, Deus sibi contradicere posset; quodvis enim miraculum est contradictio respectu legum naturalium semel a Deo naturae praescriptarum. R. Legislator leges a se latas suspendens i. e. urgente necessitate extra activitatem ad aliquod tempus ponens, sibi non contradicit; ergo etiam sibi non contradicit Deus, cum miracula patrat. Tantum in illo casu sibi contradiceret, si fines per vires supernaturales assequi vellet, quos tamen per vires naturales obtinere quiret. Sed fines miraculorum sunt effectus, qui per vires naturales nullo modo obtineri possunt, si ergo necessarii sunt, per vires supernaturales obtineri debent.

Ubi hic contradictio? 12. Miraculum leges naturae tollit, ergo est impossibile. R. N. A. Miraculum leges naturae nullo modo tollit: producitur tantum effectus, qui nunquam fuisset secuturus, si vires naturae sibi relictae egissent. Cum plantam in flore constitutam e terra extraho, vel extractam terrae iterum impono, leges naturae, quae exigunt, ut planta e terra extracta in putredinem abeat, vel ut planta sana et in terra radicata crescat et vegetet, non tolluntur; tantum per me, utpote caussam liberam effectus producuntur, qui secus non evenissent. 13. Miracula destruunt ordinem naturae. Ordo iste ut iterum restituatur, denuo novo opus est miraculo, et quia novum hoc miraculum iterum naturae destruit ordinem, iterum novum patrari debet miraculum restitutionis. Si itaque unum conceditur miraculum, infinite multa alia concedi debent, quod est absurdum. R. Falsum est, miracula ordinem naturae destruere, ut id supra ostendimus, ordo respectu naturae universae semper manet; tantum in quadam naturae parte aliae agunt leges, et novus ad tempus aliquod introducitur hac in parte ordo, qui miraculo patrato sine mora cum ordine priori naturali commutatur. 14. Miraculum quodvis demonstrat, a Deo insufficientes leges naturae fundatas fuisse, quod tamen de Deo dici non potest. R. Deus ad effectus naturales producendos vires sufficientes creavit; miracula autem non sunt effectus naturales, ergo etiam vires naturae ad ea patranda destinatae non sunt. Non demonstrat itaque miraculum, vires naturae ad id, quod producere debent, insufficientes esse. 15. Ignoramus quidem vires et potestatem spirituum nobis superiorum: scimus tamen eos, qualescunque sint, non esse naturae absolutos Dominos; adeoque invito Deo ordinem et cursum naturae a Deo institutum et firmatum superare, aut turbare non posse. 16. Nos miraculi productionem non tribuimus vi naturae, seu physicae, seu morali tamquam propriam efficientiam e. g. verbo hominis resuscitationem mortui: hoc enim esset essentiam rerum metaphysicam, legesque naturae metaphysicas vitiare, dari effectum sine caussa, quod nec Deus quidem potest, cum nequeat facere, ut aliquid sit, et non sit. Sed dicimus Deum esse causam efficientem miraculorum, hominem vero, vel aliud ens finitum causam occasionalem, aut instrumentalem e. g. Deus est, qui resuscitat mortuum occasione verbi ab homine prolati.

§. 56.

Num miracula unquam facta fuerint, aut num etiam hodie fiant, id nonnisi historiarum monumenta, quorum est tradere facta, nos condocere possunt, ad philosophiam id determinare non pertinet. Monumentorum horum fidei dignitatem strictissimae exegeseos censurae sub-

jiciendam esse, me non monente quilibet intelliget. Nos hic, ne pila lusoria fraudulentorum quorundam hominum evadamus, criteria solum veritatis miraculorum recensenda esse putavimus, per quae illas notas, seu characteres intelligimus, ope quorum miraculum verum et proprie tale, ab effectu solum mirabili, et speciem aliquam praeseferente, certitudine morali discerni potest. Horum notitiam accuratam sibi comparet philosophus, necesse est, nisi cum rudi plebecula in plurimos errores praecipitari velit. Sunt autem sequentia: 1-mo Eventum contigisse nisi usu sensuum, aut auctoritate constare non potest, quare cum de ea re quaestio instituitur, leges criticae in subsidium vocandae sunt. 2-do Miraculum discerni debet ab effectu mirabili, qui a viribus caussarum materialium insolito modo concurrentibus interdum producitur. Hic vero opus est egregia rerum naturalium peritia, qua quia vulgus destituitur, plurima in miraculis numerat, quae talia non sunt. Physicae igitur diligentem navent operam, caussasque naturales, constantes motuum leges, ac totius, qua cognosci potest, naturae ordinem perscrutentur, necesse est, quibus de miraculis sententiam ferre incumbit. Historiam enim intellectus humani consulentes, reperimus, temporibus ignorantiae et superstitionis plurima extitisse miracula, quorum numerus pro ratione majoris intellectus et rationis culturae minuitur. Religio, Philosophia, et Physica non ferunt magnum miraculorum numerum. Neque tamen omnia sine discrimine in dubium vocanda sunt ea solum de caussa, quod omnes naturae vires, earumque efficacitas a nobis cognosci haud possit; licet enim multa nos lateant, scimus certo tamen

non esse eam in saliva cum pulvere commixta vim, ut oculos coeci nati continuo aperiat; scimus certo eam inveteratorum morborum esse naturam, ut non subito et uno prope momento, pronunciatis quibusdam vocabulis, formato crucis signo, aut solo vocis imperio prorsus tollantur, viresque amissae redeant. Quare effectus non duntaxat secundum suum esse physicum considerandus est, sed ad id multo maxime animus adverti debet, utrum in his adjunctis, in quibus effectus producitur, vis quaedam naturalis operetur, quae si tum abesse deprehendatur, nihil obesse potest, quod vis ejusmodi caeteroquin ad eum effectum sufficiens in tota natura exstet. 3-tio Miraculum debet esse non tantum eventus supernaturalis, sed etiam extraordinarius et insolitus, ut sic distinguatur ab illis eventibus supernaturalibus, qui cum ordinarie, frequenterve contingant, quamvis vires naturales superent, miracula stricte dicta non sunt. 4-to Considerandum est, an doctrina mirabilibus id genus eventibus confirmata, sanae rationi non repugnet; nam sicut doctrina tunc falsa est, ita miracula quoque pro confictis habenda essent e. g. si doctrina ab aliquo prolata admitteret furta, latrocinia, caedes, odium parentum etc. 5-to Considerandum ipsum opus, quod producitur, an non sit crudele, vel ridiculum, turpe aut inhonestum; talia enim opera sapientiae, bonitati, et sanctitati divinae adversantur, ac proinde ab eo, qui est auctor miraculorum, fieri non possunt. 6-to Examini quoque subjiciendus est finis miraculi, hunc enim moralem saltem et extraordinarium esse posse dictat ratio; etsi enim illa, sicut actionem, qua miraculum patratur, ita etiam fines ejus non

possit penitus explicare, intelligit tamen, Deum ex finibus moralibus et extraordinariis tantum miracula patrare posse; ne frequentiori ordinis naturalis interruptione cognitio naturae turbetur, negotia vitae impediantur, et medium ac providentia nobis eripiantur. Tales fines sunt: veritas; si religio naturalis illustranda, aut confirmanda sit, vel positiva introducenda, aut reformanda; Virtus; si haec in populo quopiam ita subversa sit, ut mediis naturalibus restaurari nequeat; Felicitas; si major hominum pars miseriis conflictetur. Sed et 7-mo Ipsius Thaumaturgi finis spectandus est, an non sit privata utilitas, vel ambitio. etc. 8-vo Consideranda quoque est persona Thaumaturgi, an non sit impia, crudelis; licet enim absolute non repugnet, ut Deus ope personae etiam improbae miraculum patret, probabilius attamen est, Deum pro ministro manifestandae cujuspiam veritatis, persona uti proba, et non notorie suspecta. Denique 9-no Consideranda sunt etiam alia adjuncta; an nempe sic dictus Thaumaturgus non quaerat latebras, an non fugiat hominum intelligentium conspectum in operando; an non utatur praeparationibus phantasiam accendentibus; haec enim sinceritatem miraculorum vel convellunt, vel suspectam reddunt.

Scholion. Frequentia miracula cum per ea ordo et cursus naturae suspendatur exspectare, summi rerum administratoris sapientia non patitur, cumque plurimi in mundo eventus e naturalium genere sint, naturale est, ut in dubio datum aliquem eventum, quamquam minus naturalis i. e. admodum singularis sit, atque aliorum, quorum causas jam novimus, similitudine comprehendi nequeat, naturalem tamen esse judicemus. Philosophus, qui potentiam efficientiamque naturae nullo modulo a nobis dimetiendam, atque longe maxima parte nobis adhuc occultam esse novit, qui praeterea considerat, quam pestifera sit moralitati et saluti publicae superstitio et fraus ad miracula

pertinens, tamdiu vi officii et juris sui eventum quemcunque, etiam plane singularem et minus naturalem pro impostura, vel pro cosmologice naturali, sed insolito habet, donec instituto rigoroso examine ejusmodi adjuncta et argumenta innotescant, ut jam ab ipsis cogitandi legibus abhorrere videat, eventus quosdam singulares pro fraudis commentis, vel naturae operibus potius, quam pro factis credibilibus et supranaturalibus habere velle. Qui his conditionibus et limitibus fundatam et circumscriptam fidem miraculorum biblicorum, quae exegeseos censuram sustineant, quaeque ad introducendam praestantissimam et saluberrimam religionem, ut ejus divina origo luculenta reddatur, patrata sunt, thaumatomaniam esse dicit, puerili, aut plane maligna et impia thaumatophobia laborare censendus est.

CAPUT II.

Psychologia Metaphysica seu Rationalis.

§. 57.

Psychologia metaphysica, seu rationalis ab empirica in eo discernitur, quod haec nobis ea, quae de anima humana via naturali cognosci possunt, sensus intimi, seu experientiae internae, illa autem, quae legitimae ratiocinationis subsidio innotescunt, exhibeat. Empirica itaque Psychologia principia per experientiam nota constabilit, rationalis autem illis fundamenti loco substratis interiorem animae indolem ratiocinando concludit. Cum porro totus quantus Psychologiae metaphysicae complexus ad sequentes cardinales enunciationes redigi possit, puta: animam humanam esse substantiam, et quidem simplicem omnisque materiae expertem, liberam, inque omne aevum duraturam: harum veritate constabilita, commercium quod cum corpore habet examini, ejusque et idearum originem disquisi-

tioni subjiciemus. Quibus ad finem perductis appendicis instar de brutorum animabus dissertationem adnectemus.

MEMBRUM I.

De animae humanae simplici, et immateriali Substantialitate.

§. 58.

Animam humanam, per quam ens illud, quod in nobis cogitat, intelligimus, substantiam esse legitimo concludetur ratiocinio, si essentiale, quod inter illam et corpus intercedit, discrimen probe perspectum fuerit. Ut autem animam a corpore prorsus diversam esse luculentum reddatur, enunciationum nonnullarum nos eo ducentium veritas extra omnem controversiam ponenda est, puta: cogitationem non esse motionem particularum subtilissimarum corporis, nec modum quemdam motionis earundem, non actionem, aut reactionem, vel conatum ad motum, aut effectum motionis dictarum partium; non denique corporis qualitatem, aut temperationem quamdam naturae per totum corpus diffusae, qua vigemus et sentimus.

Scholion 1. Cogitationis nomen latiori sensu acceptum omnes designat animae affectiones et modos, cujuscunque sint generis, scilicet 1) perceptiones et cognitiones intellectus. 2) Voluntatis propensiones et determinationes, quibus vel ad bonum in genere, vel ad bona particularia fertur. 3) Sensationes, sive impressiones in nobis occasione objectorum externorum excitatas. Nomen cogitationis strictiori sensu acceptum, significat praesertim cognitiones et perceptiones intellectus.

Schol. 2. Quamquam animae in nobis existentiam ex conscientia nostri ipsorum, ac operationum nostrarum, dein ex perceptione rerum extra nos positarum, denique ex vario et multiplici appetitu certissime cognosci posse in Psychologia empirica ostenderimus, cum tamen illa fun-

damentum reliquae de anima doctrinae constituat, eandem in memoriam revocare, et hic quoque loci distinctius quibusdam exhibere non puto supervacaneum fore. Advertimus nempe 1-mo si ad nos ipsos attendamus, nos cogitare; conscii ergo sumus nostrae operationis internae, debet igitur in nobis esse aliquod principium hujus, tum cogitationis tum conscientiae, atque hoc animam vocamus. 2-do Hujus principii existentia ex eo magis confirmatur, quod advertamus, nos res extra nos positas percipere, et illas, tum a nobis ipsis, tum ab aliis rebus distinguere v. g. mensam esse mensam et non sellam etc., cujus perceptionis et distinctionis nulla indicia in homine mortuo agnoscimus: iterum ergo praesentiam animae in nobis ex eo recte concludimus: sed et 3. Ex hoc, quod advertamus in nobis jam hujus, jam illius rei appetitum, vel aversationem subnasci, ac varios exinde motus tum internos, tum externos cieri; quorum motuum indicia nulla in cadavere aliquo videmus, recte conficimus, debere aliquid esse, unde hi interni externique motus oriantur, quod iterum animam vocare consuevimus.

Schol. 3. Inter veteres Philosophos exstitere plurimi, qui animam humanam esse corpoream docuerunt. Eam scilicet sibi fingebant veluti corpus aliquod subtilissimum et motu celerrimo agitatum, nempe aut ignem, aut aërem, aut partes sanguinis tenuissimas et maxime defoecatas, aut tandem aliquid ex quatuor elementis quasi mistum, et sublimiori quodam modo compositum. Inter recentiores vero, alii animae a corpore distinctionem aperte impugnarunt, ut Medicus La Mettrie, qui hominem meram esse machinam contendit; alii vero eamdem veritatem quasi per cuniculos adoriuntur, modo insidiosis interrogationibus, modo conjecturis dubiisque propositis; nunc conqueruntur omnipotentiam divinam angustioribus circumscribi limitibus; nunc in re adeo seria jocis et salibus non semper atticis indulgent. A posteriori illa Materialistarum secta non satis recessit Lockius Philosophus Anglus, in eo capite, sicut in aliis pluribus, audacior. In opere enim cui titulus: „Essai philosophique concernant l'entendement humain“ profitetur nescire se, saltem revelatione semota, annon Deus cuidam portioni materiae, certo modo dispositae, indiderit cogitandi facultatem. Contra exitialem hanc pestem miserrimis hisce temporibus latius grassantem in sequentibus pro viribus pugnare in proposito est.

§. 59.

Ut enunciationi: cogitationem generatim non esse motionem particularum subtilissimarum corporis sua con-

stet veritas, id nec de perceptione, nec de conscientia, nec de judicio, ac per consequens, nec de ratiocinatione valere ostendendum est. Jam perceptionem non esse motionem particularum dictarum ex sequentibus patet: in primis enim percipimus res, quae nullam in corpore motionem efficere possunt, ut Deum, spiritus, virtutes, vitia, spatium vacuum, possibilitates ac essentias rerum; id vero in absurda hac hypothesi fieri minime posset. Deinde diversae perceptiones forent utique diversi motus, sicut diversi toni, diversi quoque sunt chordae tensae tremores: quid igitur? cum diversae perceptiones simul in nobis existant, aut motiones illae diversae in diversis sunt corporis partibus, aut in eadem? certe non illud; nam ego ipse, qui habeo, et dum habeo perceptionem albedinis rosae, simul habeo perceptionem odoris, magnitudinis, figurae: sed neque hoc; nam una eademque corporis portio eodem temporis momento diversis motibus agitari nequit, cum omnis motionis diversitas in diversa celeritate ac directione consistat. Conscientia pariter non est motio particularum subtilissimarum corporis. Cum enim conscientia sit perceptio, sive repraesentatio perceptionis, si ea consisteret in motu, necesse foret, ut unus particularum motus repraesentet alium; at qui istud? estne motus, qui constituit conscientiam, similis illi, qui simplicem perceptionem constituit, an dissimilis? si primum: non est conscientia, sed simplex perceptio, quemadmodum sonus reflexus non est directi animadversio; si alterum: non est repraesentatio prioris; sicut enim motus curvilineus unius corporis nequit repraesentare motum rectilineum alterius, ita

generatim motus quicunque alium dissimilem repraesentare non potest. Adde duas has notiones, vel in eadem, vel in diversis corporis partibus futuras, quorum rursus utrumque repugnat, ut ex superius dictis elucet. At nec Judicium est motio similium particularum. Inprimis enim deberent duo diversi motus, quorum unus ideam praedicati, alter subjecti constitueret, simul in eadem parte corporis consistere, nequeunt enim ideae inter se conferri, quod in judicio fit, nisi simul eidem enti praesentes adsint; sed motus diversi in eadem corporis parte simul consistere non possunt. Deinde cum in judicio affirmativo ideae subjecti et praedicati per affirmationem conjungantur, conjungerentur in hac hypothesi duo diversi motus; per hanc vero conjunctionem duo illi motus diversi perirent, aliusque compositus, novus, ac ab aliis diversus motus oriretur, quod in mechanica demonstratur; atqui sensu intimo evidenter constat, duas illas ideas subjecti et praedicati, neque in ipso judicii affirmativi actu, neque paullo post semper perire: igitur etiamsi perceptiones essent motiones duntaxat, id tamen de judicio affirmari non posset. Idem esto judicium de ratiocinatione, quae tribus judiciis constat, ac multo magis de reliquis animae operationibus, quales sunt, reflexio, attentio, conformatio idearum distinctarum, appetitio, volitio. Generatim igitur cogitatio non est motio particularum subtilissimarum corporis.

Scholion 1. Inepta igitur est doctrina Democriti ac Epicuri, quorum opinione anima hominis aliud non est, quam tenuissimum corpusculum ex subtilissimis atomis motu

concitatissimo agitatis conflatum, in quo motu actiones ipsius consisterent. Recentius impium hoc dogma suscitarunt Dolandus (*Lettre, que le mouvement est essent. a la mat.*) Gildonus (*Oracle de la raison.* Item: *lettre a M. Blount* ac quidam Lockii Sectator. (*Medecine de l' esprit.* I. 2). quo etiam pertinet Philosophus Berolinensis (*Sans souci Lettr. au Marquis d' Argens*) qui inscite contendit animam nostram certam esse materiae organizatae portionem; unde consequens sit, cogitationes quoque illius a motu materiae diversas non esse.

Schol. 2. Ad judicandum necesse est, ut duae simul habeantur ideae. Ad pronunciandum v. g. circulum non esse quadratum, requiritur, ut principium in homine cogitans, ideas circuli et quadrati simul habeat, et utriusque conscium sit, alioquin eas inter se comparare non posset, nec judicare unam cum altera non convenire: atqui si principium in homine cogitans, corporeum esset et extensum, non posset utriusque illius ideae fieri conscium. Tunc enim unam ipsius partem idea circuli, et alteram partem idea quadrati afficeret, neutra itaque pars, utpote quae ab altera distinguitur, utriusque ideae simul esset conscia. Duae scilicet illae partes principii in homine cogitantis, se haberent ut duae animae a se invicem distinctae, quarum unam idea circuli, et alteram idea quadrati afficeret: atqui tunc neutra anima esset utriusque ideae simul conscia ergo pariter neutra pars principii in homine cogitantis foret simul conscia ideae circuli, et ideae quadrati, ac proinde principium in homine cogitans non posset alteram cum altera conferre, nec proinde judicare unam cum altera non convenire, quod ab experientia quotidiana prorsus alienum est; ergo ex judicandi facultate manifestum fit, id, quod in nobis cogitat, a corpore prorsus distinctum esse, nec proinde ut hoc, partibus a se invicem distinctis constare. — Praeterea, qui multas experitur sensationes v. g. qui concentum audit, et simul hortum videt variis florum coloribus distinctum, judicare potest, an vocum concordia, an diversis florum coloribus magis delectetur, quod tamen fieri nequiret in sententia materialistarum. Pars enim animae, quae symphonia permulcetur, prorsus distincta est a parte, quae vario florum spectaculo recreatur, siquidem materiae pars quaelibet ab alia prorsus distinguitur, non posset igitur anima diversas illas sensationes secum invicem comparare, et in uno quasi puncto colligere, nec proinde judicare, utra sit jucundior. Quam autem illud a veritate abhorreat, nemo est qui sensu intimo non deprehendat. Argumentum illud tanti roboris ipsimet Baylio visum est, ut dicere non dubitaverit: „On peut dire, que cette preuve est une demonstration aussi assurée, que celles de Geometres; et si tout le monde n'en sent pas l'évidence, c'est a cause que l'on n'a pu, ou que l'on n'a point voulu s'elever

au-delà des notions d'une imagination grossiere." (*Tom. I. oper. pag.* 110).

§. 60.

Cogitatio non est modus quidam motionis partium subtilissarum corporis. Inprimis quicunque qualitatis modus aliud non est, ac ipsa qualitas, sub certa modificatione, seu respectu considerata. Sic color ruber, aut viridis, aliud non est, quam diversa coloris species, sive color ita modificatus, ut colorem, utpote suum genus, in sui idea includat. Sonus item acutus, aut gravis est determinata soni species. Circulus, aut triangulum, est figura extensionis sub certa modificatione consideratae, ergo etiam modus motionis corporeae aliud non est, quam quaedam in specie motio corporea, ac proinde si cogitatio esset motionis partium subtilissimarum modus, ea esset ipsa motio, quod absurdum est, ut ex praecedentibus patet. Deinde si cogitatio quidam motionis modus foret, quaevis quoque motio in specie sumta, sive determinata, foret quaedam species, sive modus, sive gradus cogitationis; motus enim a motu non differt, nisi per celeritatem; reliquae determinationes, vel modi non tam reapse existunt, quam a nobis concipiuntur: certe quod unum habeat directionem ad orientem, alterum ad occidentem, nihil reale in corpore ponit: quod item unum moveatur in linea recta, alterum in curva, diversitatem realem in corpore non inducit; nam et illud, quod in linea curva movetur, singulis momentis per rectam abire nititur: atqui aperte repugnat quemvis motum esse certam cogitationis speciem: igitur repugnat quoque cogitationem esse modum motionis partium. Jam

quod dicitur de uno corpore, vel particula mota, id applicari potest ad motum plurium corporum, seu massae alicujus ex particulis pluribus coalescentis; nam si progressio, vel tendentia per lineam rectam unius particulae cogitatio non sit, neque erit progressio similis decem aut viginti particularum; positiones autem linearum directionis, quae modum motus totius massae determinant, nihil reale in ipsa massa ponunt. Similiter, quod de modo motionis dicimus, pertinet quoque ad modum figurae, vel cujuscunque alterius proprietatis in corpore, seu cognitae, seu incognitae; figura enim, vel quaecunque alia proprietas, quae ipsa non est cogitatio, tantum a cogitatione differt, quantum motus: igitur etiam modus figurae, vel alterius proprietatis corporeae cogitatio non est. At nec dici potest: cogitationem esse actionem et reactionem partium subtilissimarum corporis. Actio enim et reactio partium etiam subtilissimarum corporis aliud non est, quam motio partium, vel certus motionis hujus modus, sed cogitatio neque motio est, neque modus motionis dictarum partium, ergo cogitatio non est actio et reactio partium subtilissimarum corporis.

Scholion. Ex his patet, impium Hobbesii de cogitationum natura systema non subsistere. „Caussa sensionis, ait, (*in suo Leviath. P.* I. *C.* 3)." est externum corpus, sive objectum, quod premit uniuscujusque organum proprium, vel immediate, ut in sensu tactus et gustus, vel mediate, ut in visu, auditu, olfactu: et premendo mediantibus nervis et membranis continuum efficit motum introrsum ad cerebrum, et inde ad cor: unde nascitur cordis resistentia, et contra-passio, seu ἀντιτυπία, sive conatus cordis eliberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tamquam aliquid externum, atque apparitio haec seu φαντασμα est id quod vocamus sensionem, et quantum ad oculum, lumen dicitur, vel color; quod attinet ad aurem, sonus; ad nares

odor; ad palatum sapor, et ad reliquum corpus, calor, frigus, durities, mollities, et cetera pertinentia ad sensum tactus, quae qualitates omnes nominari solent sensibiles, et sunt in ipso objecto nihil aliud praeter materiae motum, quo objectum in organa sensoria diversimode operatur. Neque in nobis aliud sunt, quam diversi motus: motus enim nihil generat praeter motum." In absurda hac hypothesi, imprimis vivere nos, haud esset aliud, quam ita esse corpus nostrum organizatum, ut certis impressionibus in externos sensus factis cor certo modo commoveatur; cogitare, judicare, subtiliterque rationari non esset plus, quam artificiosam corporis nostri machinam variis motibus agitari, ac proinde ejus partes de loco in locum certa lege transferri. Quam doctrinam quis sanae mentis non videat communi naturae sensui aperte adversari? Deinde nonne percipimus res a sensibus prorsus abstractas, ut Deum, virtutes, vitia; quam autem confinges motionem localem, in qua notiones rerum a sensibus prorsus abstractaram citra stultitiae notam collocare possis? Dein ut alia taceam: sensus et phantasia falluntur, dum rectum baculum, cujus dimidia pars aquae immersa est, curvum exhibent; interea ratio errorem detegit, et constanter contradicit, etiam perdurante sensus et phantasiae errore. Jam si nihil esset ratio, nisi quidam motus, et conflictus cerebri, vel cordis, quoniam perdurat idem conflictus, dum phantasma idem refert, errorem suum nequaquam agnosceret. Quomodo enim posset idem conflictus, idem phantasma perdurare, et tamen errorem suum deprehendere? An ab alio phantasmate dedocetur? Unde autem aliud istud? quomodo potest alterum ab altero percipi? quomodo cum objecto ipso conferri? Inde vero gravissimis verbis concludit S. Augusr. (*soliloqu. l.* 2. *c.* 3. *Elem. met. p.* 2. *prop.* 8. *sch.*). „Quare conficitur, ut aliud simus nos; aliud sensus; siquidem cum ipse fallitur, possumus nos non falli."

§. 61.

Cogitatio non est conatus ad motum partium subtilissimarum corporis. Vel enim conatus hic ad motum esset efficax, sive conjunctus cum motu, vel inefficax, motu nempe nondum obtento; si primum: tum cogitatio reapse in actuali partium motione consisteret, quod fieri nequit, ut ex praecedentibus intelligitur. Si alterum: sic argumentabor: cogitatio est quid realiter diversum a motu partium actuali: ergo conatus inefficax ad motum est conatus ad aliquid rea-

liter diversum a cogitatione: sed conatus ad aliquid realiter diversum a cogitatione non est cogitatio: quemadmodum conatus ad deambulationem non est sessio, nec conatus ad efformandam Ciceronis statuam, est effectio statuae Platonem referentis: igitur conatus seu efficax, seu inefficax ad motum in partibus corporis subtilissimis, non est cogitatio. Nec est cogitatio effectus motionis partium subtilissimarum corporis. Primum enim motus partium, quantumcunque eae tenues, ac subtiles ponantur, nequit in massa quadam alium effectum producere, quam diversum situm, positionem, distantiam, aut contiguitatem partium. Deinde si cogitatio esset effectus motionis partium, cogitationes nostrae omnino forent perturbatae, nec unquam longum, ac subtile ratiocinium instituere liceret; cum enim corporis illae partes, quae per motum suum cogitationem efficere deberent, ante hunc motum cogitatione destituerentur, non possent eae propriam suam motionem dirigere, neque etiam per cogitationem totius dirigi: motus quippe, qua cogitationis caussa, eam praecedere deberet. Qui igitur sublimia ratiocinia, eaque longissima tanto ordine texeremus? Qui ideae aliae ex aliis tamquam ad nutum nostrum fluerent, facessere jussae abirent, et redirent vocatae? Qui libertate, et eligendi potestate polleremus? Qui denique actiones nostras ratione et providentia gubernaremus?

Scholion 1. Haec, quae diximus ita evidentia sunt, ut ipse Lockius, cujus auctoritatem adversarii hoc in argumento respuere certe non possunt, iisdem utatur, ut demonstret Deum omni corporis ac materiae concretione carere. „Qui ponit, ita inquit, aeternum ens cogitans (idem tene de quovis ente finito cogitante) aliud non esse, quam compositum quoddam ex subtilissimis materiae partibus, quarum

unaquaeque seorsim accepta cogitatione destituitur, omnem sapientiam et cogitationem hujus entis aeterni soli partium contiguitati attribuit. Verum nihil potest magis esse absurdum, quantumcunque enim particulae materiae cogitatione destitutae inter se misceantur, aut commoveantur, nihil tamen ipsis additur, quam nova quaedam localis relatio, per quam fieri omnino nequit, ut ipsis cogitatio, et cognitio communicetur. (*Essai. phil. conc. l'ent. hum. l.* 4. *c.* 10. §. 16.)

Schol. 2. In mechanicis instar axiomatis est, inter effectus eorumque causas semper accuratam esse proportionem; atqui principium illud ab omnibus concessum locum non habet in nostris cogitationibus, quae proinde motus mechanici, aut eorum necessarii effectus dici non possunt. Quod ut manifestum sit, audiatur vir clarissimus D. de Fontenelle, quem ita loquentem inducit D. Boullié in sermone de libertate actionum humanarum. „On sait, que dans l'action de forces méchaniques l'effet se proportionne toujours exactement à sa cause; mais dans nos mouvemens volontaires, ce principe n' a plus lieu. Une boule, par exemple, que j' aurai jettée, ne communique à une seconde boule, qu' un nouvement proportionnel à celui, que ma main aura imprimé à la premiere: mais que je dise à quelq' un à l'oreille, il y a des archers, qui vous guettent au coin de la rue pour vous prendre, aussi-tôt mon homme se met à courir à toutes jambes. On voit bien qu' il n' y a aucune proportion entre ce peu de paroles dites à l'oreille, ou si l on veut, entre l'ébranlement qu' elles causent au cerveau de cet homme, et l'impetuosité de la course, qui en est l'effet. Qu' est-ce donc qui s'interpose entre ces deux choses, une idée de danger, et ensuite une volonté de fuir, laquelle imprime aux jambes ce mouvement violent. Or cette idée, qu' une faible impression de l'air vient d'exciter, cet acte de vouloir, qui fait à son tour sur le corps des impressions si puissantes, démontrent dans l'ame, un principe interne d'action, auquel le corps obéit. Le cerveau de cet homme a bien transmis le son de ces mots dits à l'oreille; mais c' est leur sens, c' est-a-dire, une perception toute spirituelle, qui met l'ame en jeu; et c' est l'ame qui par son pouvoir interne produit ce mouvement rapide des jambes. Nul enchaînement méchanique entre ces differentes choses; nulle dépendance matérielle, nulle nécessité par consequent; donc notre ame est immaterielle; dous nos actions volontaires ne dependent point du cerveau." (*Versio coram.*)

§. 62.

Cogitatio non est corporis qualitas. Sit enim ita; erit ea qualitas corporis vel essentialis vel accidentalis: si primum:

tum rursus ea erit essentialis, vel corpori qua tali, vel corpori qua sic organizato; non illud; nam alias quodvis corpus aequaliter cogitaret, quod aperte pugnat cum omnibus corporum phaenomenis; non hoc: cogitatio enim neque est organizatio, neque ex ea proficisci potest; organizatio siquidem aliud non est, quam certa positio, ac connexio particularum subtilissimarum: conjunge, comprime, dispone particulas, prout volueris, efficies quidem, ut acquirant aliam positionem, contiguitatem, distantiam, et alias id genus relationes locales; ut cogitatio inde enascatur, obtinebis nunquam. Si alterum: id est, si cogitatio sit qualitas corporis accidentalis, necesse erit, ut habeat rationem sufficientem, eamque vel internam in ipso illo corpore, vel externam, sitam nempe in corpore alio; sit primo ratio sufficiens interna: erit ea, vel in figura, vel in situ, vel in tenuitate, vel in his simul sumtis particularum quiescentium, aut motarum, atqui figura, situs, tenuitas sunt qualitates passivae, quae qualitatis activae, qualis est cogitatio, rationem sufficientem continere nequeunt, sique praeterea particulae sint in quiete, et ipsae omni actione carebunt. Si autem in motis particulis tali figura, tenuitate, situ praeditis contineretur ratio sufficiens cogitationis, consequens foret, ut cogitatio vel ipsa motio, vel motionis effectus sit, quod pugnat cum mox demonstratis. Restat igitur, ut ratio sufficiens cogitationis externa sit, contenta in corpore aliquo diverso, vel pluribus simul. Contineat ergo corpus *a* rationem sufficientem, ut corpus *b* cogitet; continebit, vel quatenus est corpus, vel quatenus agit in *b*; primum

certe non; nam sic quodvis corpus rationem sufficientem, cur alterum cogitet, contineret, atque adeo omne etiam corpus aequaliter cogitaret. Si autem alterum: tum cogitatio corporis *b* foret, vel actio corporis *a*, vel reactio corporis *b*, vel utrumque simul; atqui nihil horum fieri potest, ut ex supra dictis liquet, ergo nulla ratione cogitatio corporis quaedam qualitas esse potest. Denique cogitatio non est temperatio quaedam naturae per totum corpus diffusae, qua vigemus et sentimus. Quid enim temperatio illa? Quid ea natura? Anne haec temperatio in ipso inhaeret corpore, an in natura reipsa a corpore distincta? Si hoc: erit ens, quod cogitat, realiter a corpore diversum, quod sententiae hujus patronis non placet: si illud: necesse est, ut cogitatio, vel quaedam corporis qualitas, vel motio partium, vel motionis modus, vel effectus, vel figura, situs, aut contiguitas particularum sit, quae omnia cum veritate minime consentire abunde demonstratum est.

Scholion. Cogitationem in quadam corporis qualitate constituit Dodvellus, sed egregie a Clarkio confutatus est in ejus opere intitulato: (*Traité de l'exist. et op.* 1. *c.* 9. *et p.* 3. *trois defens. pour prouver l'immat. de l'ame.*) Posterioris opinionis fuit Dicaearchus, Aristotelis quondam discipulus, de quo Cicero ita scribit: „is in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium primo libro multos loquentes facit: duobus Pherecratem quemdam Phtiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane, frustraque animalia et animantes appellari, neque in homine inesse animum, vel animam, nec in bestia; vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequaliter esse fusam, nec separabilem a corpore, quippe quae nulla sit, nec sit quidpiam nisi corpus unum, et simplex ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat, et sentiat. (*Qq. tusc. l.* 1. *c.* 10.) Suscitavit hanc doctrinam Maubeccius (*Prin. phys. rat. et pass. hom. Traité*

de l'ame p. 109.) docens, animam esse harmoniam quamdam, seu potentiam ex conjugatione corporeorum organorum enascentem, ejusque vestigiis institit Medicus de la Mettrie (*L' homme machine p.* 108) modificationem corporis duntaxat contendens esse animam.

§. 63.

Ex hucusque dictis necessario profluit nexu: animam non esse corpus. Cum enim anima sit id, quod in nobis cogitat, si ea corpus foret, necesse quoque esset, ut ejus cogitationes, vel in certa corporis qualitate, vel in motu partium actuali, vel in modo quodam motus, seu in effectu a tali motione producto, vel in actione et reactione fibrillarum et nervorum sensuum, ac cerebri, aut cordis, seu cujuscunque alterius in corpore massae, vel in temperatione naturae corporeae constituantur; ens enim compositum, quale omne corpus est, non mutatur nisi per motum; atqui haec omnia absolute repugnant, ut demonstratum est, ergo anima corpus non est. Cum autem anima corpus non sit, evidens est, animam nostram, illud nimirum ens, quod in nobis cogitat, essentialiter et toto genere distinctam, atque interno discrimine diversam esse non solum ab eo, quod nostrum corpus compellamus, sed etiam a quocunque alio, quod corporis nomine venit, quantumcunque illud subtile, tenue, elaboratum, et perfectissimis organis instructum statuatur.

Scholion. Ex experientia suppono, me actu cogitantem esse idem subjectum, quod cogitavit ante annum unum, seu egoitatem hoc momento cogitantem, esse individuum idem cum egoitate, quae cogitavit ante unum annum. Deinde itidem suppono ex experientia, corpus quod hoc momento gesto, non esse idem subjectum cum corpore eo, quod gestavi ante unum annum. Novi enim me jam alium habere sanguinem, aliam carnem, alios ungues etc. et si non omnia e corpore meo avolarunt, tamen in aprico est,

multas particulas inde avulsas esse. Experientia igitur me docet, in me esse duas res, quomodocunque eas appellare libuerit; alteram, quae characterem individuationis servavit; alteram, quae eundem non servavit. Hinc absque formidine oppositi concludo, rem characterem individuationis servantem non esse eam rem, quae characterem individuationis non servat, seu rem constantem et semper eandem, non esse rem variabilem, et nunquam eandem. Sole meridiano clarius itaque est hoc ratiocinium. Res constans et semper eadem, non est res variabilis et differens; atqui res cogitans est constans et semper eadem; corpus autem est res variabilis et nunquam eadem; ergo res cogitans non est corpus, nec corpus est res cogitans. Atque ita in aperto est absurditas ejus opinationis erroneae, cujus patronos vulgo Materialistas vocant, quae animam hominis corpoream statuit, seu deinde dicatur subtilissimus aether, vel aër, seu ignis, seu purissimus sanguis, seu quodcunque aliud tenuissimum fluidum.

§. 64.

Substantialitatem seu illam proprietatem, vi cujus ens aliquod alteri ut accidens non inhaeret, sed per se subsistit, animae humanae convenire, sequenti conficitur ratiocinio: anima humana vel est substantia, vel accidens, istud non, ergo illud. Ponamus enimvero animam esse accidens; erit accidens, vel corporis, id est alicujus substantiarum collectionis; vel accidens substantiae ipsius; si primum: tunc cogitatio erit vel qualitas, vel temperatio quaedam corporis, vel motus corporeus, vel ejus effectus, vel conatus ad eundem, vel modus motionis; atqui haec omnia repugnant, ut singillatim probavimus, ergo non est corporis accidens. Si autem alterum: tunc anima nostra erit accidens substantiae vel infinitae, vel finitae; primum rursus esse nequit: nam, cum cogitationes nostrae perpetuo mutentur, mutaretur ens infinitum, quod verae mutationi subjectum non est; deinde ipse Deus foret anima nostra, atque sic obtineret Spinozismus refutatus. Sit igitur anima humana acci-

dens substantiae finitae; quodsi ita, tum existit in nobis substantia quaedam, in qua anima ut accidens suo subjecto inhaereat; quaero jam: quid est illud, quod cogitationem efficit? an substantia illa, an accidens istud? atqui accidenti non competit agere, igitur substantia illa cogitationem in nobis efficit, sive quod idem est, in nobis cogitat; sed id quod in nobis cogitat, animam dicimus, ergo substantia illa est anima, et inverse anima est substantia. Porro conscientia est actus nostri Ego primus, et repraesentatio prima ejus functio. Est itaque nostrum Ego per actum repraesentationis per se positum, ergo aliquid existens per se, consequenter substantia. Denique nostrum Ego, seu anima, omni tempore idem subjectum est, in quo variationes sibi succedunt, quarum sibi conscium est; ergo aliquid perdurabile, adeoque substantia, nobis, prout quaevis alia substantia per se non cognita, attamen ex effectibus suis, et quoad conceptum, i. e. logice, ergo per rationem et experientiam, quantum indigemus, satis nota; anima itaque humana est substantia.

Scholion 1. Si quis animam velit appellare formam corporis, non refragamur; dummodo per id solum corporis accidens non intelligat, quod separatum a corpore eo recideret, quo albedo absque pariete: verum eatenus tantum hoc accipiat, quatenus anima corpus informat, regit, et eidem dominatur; quamquam et sub hoc respectu rectius diceretur anima forma hominis, seu illius compositi, quod homo est. Id quoque notandum, per substantialitatem animae, nec absolutam existentiam, nec omnimodam a corpore independentiam adstrui; aliud enim est per se subsistere, ac a se existere, aliud multum, ac nihil dependere.

Schol. 2. Experientia manifeste docet, id, quod in me sui, rerumque aliarum conscium est 1-mo constanter permanere, etsi repraesentationum affectionumque status varietur; ipsa conscientia actuum praesentium et praeteritorum, conscientiae item morsus, et accusationes et defensiones me convincunt, ingeruntque saepenumero: tu es ille vir. Enimvero ille ego, qui quondam — ille ego, non alius. 2-do Id,

quod in me sui, rerumque aliarum est conscium, principium esse actuosum, vi attendendi, reminiscendi, ideas comparandi, et praeteritis praesentia ac futura adjungendi, praeditum: agit mens mea et patitur; merae repraesentationes et modi immanentes nec agunt, nec patiuntur. 3-tio Id, quod in me sui rerumque aliarum est conscium, unicum tantum et singulare ac individuum est, sensui intimo praesens, idemque et subjectum cogitationum, et, si vi reflexe intuendi velim uti, pariter objectum earundem. Novi sensu intimo facultates meas, facultatum leges, et legibus conformes actiones, affectionesque sensuum, intellectus, rationis, voluntatis. Harum omnium primigenia idea omnino adventitia est, indeque abstractione utens factitiam efformo, qua ad alias naturas mei similes transfero, quod in me intime constanterque experior, ut adeo pronomen Ego, quod significatione est singulare, usu fiat commune; quam quidem cogitandi rationem probat ipse KANTIUS (*Crit. rat. pur. pag.* 404). „Es muß gleich anfangs befremdlich scheinen, — — daß alles was denkt, so beschaffen sey, als der Ausspruch des Selbstbewußtseyns es an mir aussagt. Die Ursache aber davon liegt darinn: daß wir den Dingen a priori alle die Eigenschaften nothwendig beylegen müssen, die Bedingungen ausmachen, unter welchen wir sie allein denken. Nun kann ich von einem denkenden Wesen durch keine äußere Erfahrung, sondern blos durch das Selbstbewußtseyn die mindeste Vorstellung haben" 4-to Id ergo, quod in me sui rerumque aliarum est conscium, indubitato et substantia est, quippe subjectum permanens; et vi activa praeditum, qui est certissimus substantiae character, teste ipso Kantio, ac praeterea caussa est actuum ex vi activa provenientium. „Wo Handlung, mithin Thätigkeit und Kraft ist, da ist auch Substanz; und in dieser allein muß der Sitz jener fruchtbaren Quelle der Erscheinungen gesucht werden. Das ist ganz gut gesagt; aber wenn man sich darüber erklären soll, was man unter Substanz verstehe, und dabey den fehlerhaften Cirkel vermeiden will, so ist es nicht so leicht verantwortet. Wie will man aus der Handlung sogleich auf die Beharrlichkeit des Handelnden schliessen, welches doch ein so wesentliches Kennzeichen der Substanz ist." *pag.* 250.

Schol. 3. Kantianae Sophisticae tota vis eo tendit, ut praedicatum substantiae demat animae humanae; at totum quod profert, nititur falsa hypothesi idealismi, qua ipsa substantia phaenomenis adnumeratur, et phaenomenon nuncupatur. Hinc ait, „cogitationes esse praedicata subjecti illius, quod animam dicimus, et nullam categoriam subjecto illi applicari posse." Si anima non est, nisi substantia phaenomenon, et phaenomenon ex mente Kantii in meris repraesentationibus consistit, tum sane in complexu repraesentationum insunt repraesentationes tamquam praedicata, neque repraesentationes categoriae substantiae vel causae subjici poterunt. At quid est hoc, nisi idem per idem probare, et petitione

principii fallere, et circumvenire lectores? Ita Kantius perpetuo sophismate peccat ipse, dum alios de paralogismo accusat in hunc modum. In Psychologia rationali, inquit, talis fieri solet argumentatio: „Quod aliter cogitari non potest, nisi tamquam subjectum, id reipsa existit tamquam subjectum, estque substantia: at natura cogitans aliter cogitari non potest, nisi tamquam subjectum, ergo eadem existit etiam tantum ut tale, i. e. substantia.“ In hac concludendi forma inesse ait fallaciam figurae dictionis; quia in propositione majore agitur de natura generatim, proindeque etiam illa, quae intuitu sensuum repraesentatur: in minore autem de illa tantum natura agitur, quae se ipsam tamquam subjectum spectat relate ad cogitationes et conscientiam, non autem relate ad intuitum, quo tamquam objectum cogitandi repraesentatur. Ad haec respondemus: 1-mo Definitiones substantiae variae adferuntur a variis Philosophis. Kantius eam sumit pro subjecto, nempe modorum et affectionum eoque permanente. Sensus ergo propositae argumentationis est hic: omne subjectum perdurabile et modificabile est substantia, (quod quidem de substantiis creatis sine haesitatione admittitur; atqui natura cogitans qua talis est subjectum perdurabile et modificabile (sive, quod in idem recidit: aliter repraesentari a nobis et cogitari non potest) ergo natura cogitans, qua talis est substantia. Dudum veteres Philosophi substantiam diviserunt in corpoream et incorpoream, et utramque esse subjectum perdurabile et modificabile esse censuerunt, id quod nota Logicis arbor porphyriana et cartesiana exhibet; igitur natura cogitans qua talis subjicitur, seu subsumitur, generi latiori subjecti perdurabilis et modificabilis, quod et corpoream, et incorpoream naturam comprehendit. Idem contingit in omni syllogismo categorico communi, ut si dicam: omne animal est mortale, homo est animal, ergo est mortalis. Quis tiro non illudat adversario paralogismum objicienti in hac forma: eoquod in propositione prima agatur de animali generatim, proindeque etiam de illo, quod expers est rationis, in altera autem de illo tantum animali, quod rationis est particeps. Similiter sane Kantius aberrat, quod tam perspicuum est, ut pigeat verbum addere. 2-do Aeque turpis est erratio, qua commentitium paralogismum ad figuram dictionis refert. Hanc Aristoteles l. l. c. 3. textu 18. de sophisticis elenchis recenset, ac το σχημα της λεξεος nuncupat, consistens in eo scilicet, quod aliquis similitudine terminationis grammaticalis vocum deceptus, masculinum pro foemininо, aut contra habeat, vel ex eadem causa ad categoriam actionis referat verbum, quod categoriae passionis adnumerari deberet, ut si quis Papam referat ad genus foemininum; et verbum sentio, video, ad categoriam actionis perinde, uti verbum percutere, secari.— In Judiciis omnibus, (inquit porro Kantius pag. 407.) idem ego sum, qui idearum inter se relationem definio; in quo natura judicii sita est. Pariter liquet omnino,

me cogitationum mearum esse subjectum, neque instar praedicati inhaerere rei alteri. At ex hoc non potest sequi, me instar objecti consideratum, substantiam esse, ad hoc enim efficiendum plura requiruntur, quae dari debent, quaeque in cogitando non insunt, nec unquam deprehendi poterant. Kantius nec indicat, nec indicare potest, quid ultra requiratur, ut substantiam me esse judicem, nisi ut sensu intimo et conscientia certissime norim, me cogitationum affectionumque subjectum esse, idemque perdurabile, et ob ipsam cogitationum affectionumque et statuum internorum variationes modificabile; actuosum praeterea et potestate praeditum circa usum facultatum mearum. Sane cui convenit definitio substantiae, eidem et definitum conveniat est necesse. 2. Docente Kantio, quidvis tum corporale, tum incorporale aut substantia est, aut quidpiam illi inhaerens. Praeterea liquidum atque apodictice certum esse ait, me non esse quidpiam instar praedicati inhaerens rei alteri. Ergo substantia ut sim, consequens est; sane quod rei inhaeret instar modi vel accidentis, id actuosum non est, nec ipsum modificatur, sed subjectum modificat, ipsaque subjecti modificatione variabile est, non permanens. Mens ipsa est, et substantia, quae agit, quae patitur, quae actionis suae et passionis est conscia, quae sibi repraesentat, repraesentationes inter se comparat, quae judicat, reminiscitur, quae ex repraesentationibus taedium aut voluptatem percipit. 3. Si ego, uti subjectum cogitationum affectionumque, substantia sim, cur ut objectum cogitationis reflexae desinam esse substantia? cum praesertim, fatente Kantio, duplicis generis objecta distinguere sensus intimus nos doceat. —

§. 65.

Anima humana est simplex et individua substantia. *Prob.* 1. Si anima humana in plures partes dividua esset, vel singulae harum partium praeditae essent singulis iis facultatibus, quibus pollemus, ut vi sentiendi, cogitandi, volendi etc. **vel** altera earum sola intelligendi vi gauderet, altera sola voluntate etc. **vel** denique nulla earundem seorsim sumta posset ullius facultatis nostrae actiones exercere, verum ad singulas id genus actiones singulae partes animae, vel saltem plures earundem operam suam conferre deberent, atqui nihil horum dici potest, quod declaro: 1.um **dici nequit**, secus enim, ut patet, unusquisque nostrum non unicam, sed plures animas di-

stinctis corporibus regendis aptas haberet; quod tamen quis nisi summa cum temeritate dicat? Imo tametsi quis eo dementiae prolaberetur, ut istud adfirmare non vereatur, saltem id evinci posset, hac, qua utimur, argumentandi ratione, unam quamque animarum nostrarum simplicem et individuam substantiam esse debere. Neque potest dici alterum: Secus enim ea animae nostrae pars, quae solis judiciis ferendis occuparetur, iis de rebus judicaret, quarum notionibus ipsa prorsus careret; ea, quae sola voluntate gauderet, amplecteretur, quod esse bonum non cognosceret; aversaretur, quod esse malum ignoraret. Quae et alia id genus sustineri prorsus non posse, facile quisque videt. Non potest deniqne dici tertium: Nam inprimis, si nulla dividuae animae pars, seorsim accepta, gaudet intelligendi vi, libera voluntate etc. qua ratione fieri poterit, ut eaedem simul sumtae intelligentiam, liberamque voluntatem adipiscantur? an e. g. ab aliqua parvulorum collectione, quorum singuli nullum, aut admodum tenuem usum rationis habent, egregia promi consilia, vel alia maturi intellectus specimina dari possunt? Deinde assumamus e. g. triangulum, cujus notio tria latera horumque certam positionem complectitur. Si singulae partes animae dividuae concurrunt ad hanc notionem efformandam, una pars unum, altera alterum, tertia tertium latus repraesentabit, quarta denique ipsam laterum horum positionem certam sibi praesentem sistet. At istud quidem perquam absurdum est. Repugnat enim, ut quaepiam animae pars repraesentet sibi certam 3 laterum positionem, quin simul ipsa 3 latera sibi repraesentet: ac proinde illa pars animae, cui

dictae 3 laterum positionis repraesentatio adsignatur, totam trianguli notionem absolvet. Quodsi autem ita se res habet, quo jam fine repraesentabit una ex reliquis animae partibus unum, altera alterum, tertia tertium trianguli latus? qua item ratione poterit defendi, plures animae partes ad eandem trianguli notionem efformandam unitis viribus concurrere. Eodem modo, si hoc e. g judicium feras: Deus est justus; eadem omnino pars animae, quae adfirmat Deum esse justum, simul notiones justi, et Dei, item concordiae praedicati et subjecti habeat, oportet, secus enim adfirmabit, quin sciat, quid, de quo, et cur adfirmet; ergo rursus non potest dici, quod plures animae partes idem judicium de Deo ferendum inter se quodammodo partiantur; igitur ne id quidem potest sustineri, quod tertio loco positum est; adeoque anima nostra simplex et individua substantia sit, oportet. 2-do Conscientia est simplicis naturae; ergo etiam subjectum conscientiae simplex esse debet; subjectum autem conscientiae est anima, ergo ei simplicitas competere debet.

Scholion 1. Animam humanam simplicem esse minimeque compositam, deduci solet etiam ex iis, quae sensu intimo percipimus. Illud, quod in me cogitat et appetit, sive potius, quod ipse sum, quodque exprimit pronomen Ego, est una et individua natura. Nam, teste sensu intimo, eadem natura quae se percipit atque affectiones suas, et res alias, eadem sentit, eadem imaginatur, meminit et attendit; eadem notiones abstrahit, componit, comparat; eadem judicat, ratiocinatur, appetit, aversatur, molestia aut voluptate afficitur. Haec omnia in eadem et ipsissima, ac simplicissima natura insunt, quam exprimit pronomen Ego. Absolute repugnat, ut ego harum operationum conscius sim, nisi omnes in eodem subjecto inessent. Si ideam propositae imaginis habeam; ideam hominis, quem repraesentare deberet, non habeam, indicare haud possum, utrum hoc ectypon prototypo simile sit. Fac scenae interesse binos homines, alterum coecum, surdum alterum; et sciscitare ex utroque, utrum theatri et vestium apparatus, an harmonia musica ma-

gis placuerit, aut praeferri debeat; certe neuter comparationem facere poterit, cum neuter utramque ideam penes se habeat. In ratiociniis praesertim concatenatis, ut veritas propositionis demonstrandae perspiciatur, necesse est, ut in eodem principio cogitante, non in diversis ejus partibus, et ideae omnes ac singulae, et judicia, et perspicientia connexionis judiciorum inter se insint. Ob quam causam siqua in demonstrando lacuna relinquitur, cogitationum series abrumpitur, neque veritas propositionis demonstrandae perspici potest. Nemo itaque sanae mentis diffiteri potest, nisi intimo suo sensui vim inferre velit, animam simplicissimam prorsus esse substantiam.

Schol. 2. Cum anima humana sit simplex substantia, intelligitur: 1. inter varias animae nostrae facultates e. g. inter intellectum et voluntatem nonnisi distinctionem rationis intercedere. 2. Eam neque oriri posse, nisi oriatur de nihilo, seu creetur, neque interire posse, quin abeat in nihilum. 3. Cum corrumpi dicatur id, quod in partes, ex quibus coagmentatum est, resolvitur, eam nullo modo corrumpi posse, ac proinde incorruptibilem esse.

Schol. 3. Kantius dicit: Illud ego, qui appercipio, proindeque cogito, indicat singulare quidpiam et individuum, quod in subjecta plura resolvi nequit, quodque ob hanc causam subjectum est logice simplex, atque id quidem in ipsa notione cogitationis inest, et propositione analytica continetur. Sed non eo id valet, ut illud, ego cogitans, substantia simplex sit, et haberi debeat; esset enim haec propositio synthetica, et conceptus substantiae ad intuitum refertur, quem ego quidem (inquit Kantius) solis sensibus attribuo. Ex. 1. Quanta est haec inanitas verborum quanta pugna? calidum et frigidum uno halitu profert: ait, et negat; fatetur, quod menti cogitanti conveniat definitio substantiae: est subjectum perdurabile et modificabile, idque singulare et simplex; negat, quod eidem conveniat definitum: non est substantia simplex. Ex ipsa notione cogitationis intelligitur, quod sit subjectum cogitationum, id est modificabile, idem constanter permanens, quod varia appercipit, proindeque perdurabile: quod in subjecta plura resolvi nequit: igitur simplex; atque haec quidem propositione analytica continentur. At si quis deinde concludat: mens cogitans est substantia simplex; tunc fit propositio synthetica; cujus praedicatum ex notione cogitationis, mentisque cogitantis apperceptione non intelligitur. Nugaturne Kantius, an cum lectoribus stupidis confabulari se putat, qui judicare nihil possunt? 2. Quando ex apperceptione subjectum simplex Kantius colligit, eidem ratione nulla penitus assuit particulam l o g i c e s i m p l e x. Addit Kantius: subjectum illud non admittit intuitum, quem solis sensibus se attribuere testatur. Hinc Ex. 3. Alii philosophi intuitum in-

ternum et reflexum mentis agnoscunt sensus intimi proprium; secundum Kantium intuentur nares, intuentur aures, intuentur palatum, intuentur manus pedesque, at mens se ipsam non intuetur. Quid dici potest absurdius? Sensum intimum et conscientiam, refert ad solas repraesentationes affectionesque, et status variabiles non ad ipsam mentem; quae afficitur certis modis, et sine affectione quapiam, ac certo statu esse non potest, quando attentio atque intuitus in ipsam refertur: vellet Kantius cogitare de mente, quando non cogitat: detrahit de sua mente omnes cogitationes, affectionesque, iisque detractis nihil relinqui putat, nisi subjectum transcendentale =x. uti apparet ex verbis Kantii pag. 404. At enim fieri utique non potest, ut quis de se ipso, suaque mente sic cogitet, ut nullam tum in mente cogitationem habeat. At ego, etsi hominis absentis repraesentationes affectionesque animi repraesentare mihi haud possim, tamen cogitando de ejus mente non continuo nihil, aut ignotum x duntaxat cogito; quia varias facultates viresque repraesentandi, affectionesque recipiendi cogitare debeo. Peccatur igitur hoc quoque loco praecisionibus modorum et abstractionibus formarum, quas de substantiis detrahi posse fingimus, quin modus alius, et forma alia necessario succedere debeat: dein facultates et vires in subjecto ita inhaerere fingimus, ut eas subjecto manente tolli posse concipiamus; quo quidem modo nihil restat, quod de illo subjecto cogitemus, nisi incognitum atque inexplicabile x. — Ait porro: „Comprehendi non potest, quomodo ex sola conscientia, quae inest in omni cogitatione, aut certe quidem inesse potest, in conscientiam et cognitionem cujusdam rei, in qua sola inest cogitatio, perveniri possit.“ pag. 812. R. Quisque ex conscientia sua esse se, et non esse nihilum, sed rem quampiam certissime novit; nec, ut istud comprehendat unusquisque, minimum difficultatis sentit. Ait dein: absoluta simplicitas non est conceptus, qui immediate sub animadversionem cadat, sed qui aliarum idearum more, sola ratione confici et efformari possit R. Quivis intimo sensu, et testimonio conscientiae, quod omni exceptione majus est, certissime novit, non esse multa, sed unum idemque, quod operationum variarum affectionumque conscium est, quemadmodum superius exposuimus. Unde sequitur evidenter: anima composita non est; ergo simplex; quodvis enim, aut compositum, aut simplex, illud quod partes habet, istud quod partibus caret. Simplicitas ergo qua talis, notio est negativa, quae non directe in se cognoscitur, sed indirecte, tollendo positionem. Non mirum ergo est, quod immediate sub animadversionem non cadat Novo dein sophismate imperitos implicat. Nam inquit: vires corporis mei, si in motu est constitutum, aut cujusvis alterius, perinde spectari possunt, acsi unicum esset punctum mobile, ac vi motrice praeditum; nec tamen inde concludi

potest, corpus ipsum simplex esse; quia a simplicitate abstractionis, nequit procedi cogitando ad simplicitatem objecti. Ex. Speciosa haec quidem videntur, sed evertuntur ipsis Kantii verbis. Ait enim, conscientiae repraesentationem esse simplicem, et ex apperceptione subjectum haberi, quod in subjecta plura dividi nequeat. Quae, obsecro, abstractio locum habet in repraesentatione unius, quae pariter simplex est? abstractio fit in notionibus complexis, quando nota una, vel plures ex notis pluribus in re eadem conjunctis quodam modo decerpuntur, seu abstrahuntur, rejectis notis aliis. Siqua simplex est repraesentatio; quae nota rejici potest, quin tota repraesentatio animo dimittatur? At ex repraesentatione complexa corporis, si ejus vis motrix spectatur, sane color, durities, extensio relinqui animo, ac rejici possunt, retenta vi motrice in puncto veluti concentrata. Quid autem? si partes corporis mobilis inaequali celeritate moventur, uti fit in rotatione, aut si agunt pro certa ratione distantiarum; tum sane non sumi debet, uti vult Kantius, sed demonstrari necesse est, perinde corpora moveri, gravitare, attrahere, acsi vis omnis in centro gravitatis, aequilibrii, aut sphaerae esset collecta. De qua re Kantius oscitanter aut imperite scripsit, ineptissime autem motum corporis, utpote compositi, ad unitatem et simplicitatem conscientiae et naturae cogitantis transtulit. More Idealistarum omnium, ait percipi non posse, quomodo ex conscientia et repraesentatione de re ipsa, in se spectata, judicari quidquam ac statui possit; et cum Egoistae dubitantes de rebus omnibus extra se positis, solum in mente sua, ejusque existentia et conscientia secure conquiescerent; Kantius ultra progressus per Egoismum transcendentalem, suum Ego Kantianum in phaenomenon transformat. Quid cum tali homine conficies disputando? Fatetur, subjectum conscientiae et apperceptionis esse simplex, quod in subjecta plura dividi minime possit: objectum esse simplex inficiatur, quasi cum ipse de se cogitat, aliud cogitationis subjectum esset, aliud objectum, aut cogitatio sine omni objecto, de quo cogitatur, concipi posset. Plura adhuc sophismata, quae magno numero de substantia et natura animae in sua Critica Kant coacervavit, adferre, nec expedit, nec vacat. Id unum monemus, nos in resolutione harum objectionum non ex nostra, sed a Kantio aliisque adoptata substantiae definitione, quae nobis suo definito angustior esse videtur, ut in Ontologia indicavimus, processisse.

§. 66.

Anima humana est substantia immaterialis. *Pbo.* 1. Substantia materiata ita comparata est, ut sibi ipsi relicta nec e

statu quietis ad statum motus, nec ex hoc ad illum transire queat, utpote vi inertiae obnoxia, atqui anima humana profecto locum suum pro arbitrio suo mutat, ut intimus sensus unique testatur, id quidem ita, ut una corpus etiam humanum de loco in locum transeat, attamen corporis quoque motus ab animae imperio pendet, animam ergo humanam ab entibus materiatis, ex quibus aspectabilis hic mundus coalescit, discernamus, immaterialemque dicamus, necesse est. 2-do Substantia materiata caret vi cognoscendi, intelligendi volendique. Ac inprimis ipsis quidem simplicibus materiae punctis, seu elementis, facultates has attribuere non possumus. Si enim singula horum vi cognoscendi, intelligendi, volendique pollerent, aliquod cognitionis, volitionisque vestigium deprehenderemus in ejusmodi ente, quod materiam esse novimus, quemadmodum impenetrabilitatis, inertiae indicia continenter observamus. Deinde neque potest dici, posse saltem compositum quoddam exurgere e dictis materiae punctis, quod per ipsam sui compositionem, organizationemque habile fiat ad eliciendas cognitiones volitionesque. Nam praeterquam, quod rectae rationi adversetur, ut ex elementis, vi cognoscendi intelligendique penitus destitutis, per meram consociationem nexusque peculiares enascatur compositum vivens, intellectiones, volitionesque, quae a motibus mechanicis tantopere differunt, eliciens, paullo ante ostendimus, ejusmodi ens, quod cognoscit, judicat, vult, nec posse esse compositum, unde etiam animam humanam simplicem esse debere substantiam conclusimus. 3. Principium in homine cogitans, liberum est, suorumque actuum dominus: unus-

quisque enim sibi intime conscius est, se pro arbitrio suo agere, vel non agere. Nemo vero sanus dixerit, materiam esse liberam, sui suorumque motuum dominam; si enim hac dote polleret, pro suo nutu, vique propria posset sibi motum dare, vel datum sistere, vel alio detorquere et flectere, atqui nihil horum posse materiam, constans probat experientia, principium igitur in homine cogitans et liberum, a materia prorsus distinguitur. 4. Certum est, et ab omnibus concessum, animam humanam, seculorum temporumque omnium recordando quasi recordari, et in elapsas jam diu aetates excurrere, facta praeterita intueri, generalia scientiarum principia, et veritates a sensibus remotissimas cognoscere; atqui nihil simile convenit materiae, quantumvis subtilissima fingatur, et quocunque motu donetur: materia enim et motus in ea tantum possunt agere, quae praesentia sunt, et sensibilia, in res autem praeteritas, et supra sensus positas nihil omnino valent, ergo anima humana prorsus a qualibet materia secernitur. Denique 4. Experientia constat, posse homines quibusdam vocibus, aliisque signis ex se arbitrariis quasdam cogitationes adjungere, quod tamen solus materiae motus efficere nequit; proferatur vox aliqua coram plurimis diversarum regionum hominibus, eadem erit apud omnes soni articulati impressio; cum autem a libera hominum voluntate pendeat illius significatio, eam tantum intelligunt, qui linguam, ad quam ea vox pertinet, vel magistrorum documentis, vel naturali parentum imitatione didicerunt, aut saltem quibus explicata fuerit hujus vocabuli significatio: uno verbo, idem sonus omnium aures feriet, non omnium rationem illustrabit; confitendum

igitur est, animam humanam in statuenda vocum significatione id efficere, quod praestare nequit solus materiae motus; ergo anima humana est ab omni materia necessario distincta.

§. 67.

Anima humana spiritus est. Hoc enim verbo generatim significamus substantiam simplicem, quae non sit materiata, atque intelligentia ac voluntate gaudeat; atqui anima humana est substantia, eaque simplex, neque tamen materiata, ut probavimus, intellectu et voluntate gaudens; igitur spiritus est.

Scholion 1. Multi quamlibet incorpoream substantiam spiritum nominant. Ipse D. AUGUST. hanc ei vocabulo notionem tribuit: nam *L.* 12. *sup. Genes. n.* 16. „quidquid, inquit, corpus non est, et tamen aliquid est, recte jam spiritus dicitur.“ Aliis tamen vocabulum spiritus idem sonat, ac substantia incorporea, vi intelligendi, et voluntate praedita. Atque nobis quoque cum his loqui lubet: non enim veremur, ne nobis quispiam litem de nomine moveat. Notandum nihilominus est, hoc loco spiritum creatum duntaxat a nobis intelligi. Spiritus enim increatus, seu Deus, substantia dici (si nomine substantiae designetur subjectum perdurabile, simulque modificabile) non potest. Hinc quum spiritum ita volumus definire, ut etiam Deo conveniat, id vocabulum latius sumimus, aimusque spiritum esse ens incorporeum, seu immateriatum vi intelligendi ac volendi praeditum.

Schol. 2. Si quis contendat, non esse certum, an non posset Deus condere aliquod ens, quod et vi inertiae, impenetrabilitate, ceterisque corporum proprietatibus, et simul etiam vi cogitandi ac voluntate gaudeat, propterea, quod ob inertiae vim in generalibus motus legibus consistentem, nonnisi ad statum motus, vel quietis mutandum deberet ab alio ente determinari; respondemus: etiamsi possibile ponatur ejusmodi ens, illud tamen nec erit corpus, nec spiritus, sed tertium aliquid, a corpore discrepans per vim cogitandi, ac volendi, a spiritu per inertiam, impenetrabilitatem etc. (*Vide Boscov. Phil. Natur. Theor. Editio. Vindob.* Nro 154).

Schol. 3. *Objectionibus* tandem, quae contra demonstratas propositiones poni solent, obviam eundum est. *Obj.* 1-mo Illud est corporeum, quod replet spatium, atqui anima humana

replet spatium aliquod, ergo. N. m. Anima humana non potest replere spatium aliquod, quin variis spatii partibus respondeat; atqui id repugnat, siquidem nullas habeat partes, et simplex omnino sit. Substantia enim, cujusmodi et affectiones sunt prorsus simplices, ipsa est simplex; (modi quippe ejusdem sunt naturae, ac substantia, in qua recipiuntur) atqui animae humanae modi et affectiones sunt omnino simplices; homines enim, quamvis sensibus dediti, et imaginatione plurimis in rebus delusi, non possunt tamen mediam, tertiam, vel quartam cogitationis partem sibi fingere, ergo anima humana est simplex et partium expers, non potest ergo variis spatii partibus respondere, nec proinde spatium aliquod replere. *Urg.* Illud replet spatium, quod existit in corpore, tamquam in loco, atqui anima humana etc. ergo. R. N. m. Anima humana non potest existere in corpore tamquam in loco, quin vel cuidam illius parti respondeat, atqui utrumque absurdum est, propter rationem modo expositam. *Urg.* Quod nullum occupat spatium, sive locum, merum est nihilum; ergo mens humana aliquem locum in corpore occupat. R. N. A, Difficultatem hanc sic explodit D. LE FRANÇOIS: „Cogitatio nullum replet spatium, secus diversis eandem circumdantibus spatii partibus respondere, ac proinde ipsa partes habere deberet; jam autem quidquid egeris, nullo modo tibi cogitationem ut partibus constantem repraesentare poteris. Concludes ne inde, eam nihil esse reale, eam nullo modo existere, eo quod nullum spatium occupet? imo e contra concludere debes, quod cogitatio nihil cum corporibus commune habeat, quod sit ordinis alicujus superioris, quod sit nihilominus aliquid reale, licet non existat ad modum eorundem. Cur spiritus itaque non posset esse aliquid reale, licet nequeat spatium occupare ut corpora? haec spatium occupandi incapacitas non est itaque difficultas contra spiritum, eo quod ea non sit contra cogitationem. „La pensée ne remplit aucun espace; car si elle en occupait un, elle répondrait aux diverses parties de l' espace, dont elle seroit environnée, et par consequent elle aurait elle méme des parties: or quelqu' effort que vous fassiez, il vous est impossible de vous représenter la pensée avec des parties. Concluerez vous qu' elle n' est rien de réel, qu' elle n' existe en aucune sorte, parce qu' elle n' occupe aucune éspace? vous en devez conclure au contraire, que la pensée n' a rien de commun avec les corps, qu' elle est d' un ordre superieur; qu' elle n' est pas moins réelle, quoiqu' elle n' existe pas a leur maniére. Pourquoi l' esprit ne scrait-il donc pas un être réel, quoiqu' il soit incapable de remplir un espace a la maniere des corps? cette incapacité d' occuper une place, n' est dons pas une difficulté contre l' ésprit, puisqu' elle n' est pas une contre la pensée." *Obj.* 2. Temere affirmatur, materiam non posse cogitare, nisi omnes, quarum capax est, proprietates et affectiones cognoscamus; atqui eas omnes nullus hominum novit, ergo temere affirmatur materiam non posse cogitare. R. N. M. Quemadmodum enim

merito dicimus circulum non posse esse quadratum, licet omnes tum circuli, tum quadrati proprietates non habeamus perspectas; ita recte affirmatur materiam non posse cogitare, quamvis omnes illius modos et affectiones non cognoscamus; ad illud enim satis est, ut certam percipiamus repugnantiam inter cogitationem, et cognitas materiae proprietates; atqui repugnantiam hanc certo deprehendimus: siquidem ex una parte referat sensus intimus, cogitationem esse aliquid simplex, quod omnem excludit divisionem; idea vero materiae ex altera parte eam exhibeat, ut aliquid compositum et dividuum; ergo vim cogitandi a materia sapienter excludimus, quamvis omnes illius proprietates affectionesque possibiles minime noverimus. *Urgent.* Forsan inter occultas materiae proprietates locum habet vis cogitandi; ergo ut certo pronunciemus, cogitationem non posse materiae competere, omnes illius proprietates nobis cognitae sint, necesse est. R. N. A. Si enim cogitandi facultas cognitis materiae proprietatibus evidenter repugnat, certe locum habere non potest inter incognitas materiae proprietates; atqui facultas cogitandi aperte pugnat cum notissimis materiae proprietatibus, qualis est extensio, ergo etc. „Si materia (dicit supra laudatus Gallicus Auctor) alias, ac quae nobis cognitae sunt, proprietates haberet, foret ne ideo minus verum, quod habeat illas, quas ei inesse cognoscimus? foret ne minus verum, quod sit extensa, divisibilis, quod non possit existere, quin habeat aliquam formam? per consequens foret ne minus verum, quod si illa cogitet, ens cogitans sit extensum, divisibile, quodque habeat certam formam? atqui nihil absurdius est, quam tribuere enti cogitanti partes, extensionem, figuram ergo non minus absurdum est, cogitationem referre ad numerum proprietatum incognitarum materiae." Quand la matiére auroit d' autres proprietés, que celles, que nous lui connoissons, en seroit-il moins vrai, qu' elle a celles que nous lui voyons? en seroit-il moins vrai, qu' elle est éterdee, divisible, qu' elle ne peut exister, sans avoir une figure? par conséquent serait-il moins vrai, que si elle pense, l' être pensant est étendu, divisible, qu' il a une figure? or il n' est de plus absurde, que de donnen a l' être pensant des parties, de l' étendue, de la figure, il n' est donc rien de plus absurde, que de mettro la pensée an nombre de propriétés inconunes de la matiere." *Urgent.* Saltem potest dici, materiam coaclescere ex partibus et elementis simplicibus, quae a Leibnitzio vocantur Monades, in quibus recipiatur cogitatio, ergo materiae convenire potest facultas cogitandi. R. N. A. Per vim elementi nullus effectus est possibilis, nisi motus, haec item vis motum non efficit, nisi data ab externo principio celeritate et directione, unde elementum motum ex se nec inchoat, nec abrumpit, nec ejus celeritatem et directionem mutat. Contra per vim animae nostrae praeter motum diversae omnino actiones possibiles sunt, ut perceptiones, judicia, ratiocinia, appetitiones, volitiones; multas item actiones anima ex propria et

arbitraria determinatione inchoat, mutat, abrumpit, quippe libertate gaudet, ut tardius docebimus, ergo vis animae a viribus elementorum specie differt; atqui substantiae, quae viribus specie differentibus instructae sunt, inter se quoque specie differunt, in aperto igitur est, animam humanam non esse ejus speciei substantiam, cujus sunt elementa corporum, consequenter nec potest facultas cogitandi materiae, aut ejus elementis convenire. Praeterea Leibnitziana hypothesis ex adversa fronte pugnat cum materialistarum sententia. Ii quippe docent, corpus, quatenus compositum, quatenus extensum est, vim habere cogitandi; cur ergo controversiam eo detorquent, ut statuant cogitationem in partibus materiae simplicibus recipi? insulsum profecto disputandi genus, quo id ipsum concedunt adversarii, de quo movetur controversia, nempe illud esse simplex, quod cogitationem suscipit. *Obj.* In mente recipiuntur cogitationes compositae, quales sunt repraesentationes corporum, ergo anima est aliquid compositi. R. 1. Retorqueo argumentum: in Deo recipiuntur cogitationes compositae, quales sunt ideae corporum; ergo Deus compositus est, ac extensus, quod tamen nullus ex Materialistis est ausus confiteri. 2-do Dicimus, difficultatem hanc mentis simplicitatem confirmare, nedum infirmare. Concedamus enim adversariis animae inesse cogitationes et ideas compositas. Non diffitentur animam integrarum hujusmodi cogitationum esse conscium; atqui si anima cogitationis compositae, et quidem totius, sensum intimum habeat, non potest non esse simplex. Alioquin haec cogitatio per varias animae partes distributa et diffusa nulli integrum sui sensum imprimiret. R. 3. N. A. Hic enim agitur de compositione physica, quae est partium a se invicem separabilium et extra se positarum collectio: atqui nulla est in mente cogitatio, nulla idea hoc modo composita, quae scilicet variis constet partibus a se invicem distinctis et extra se existentibus; alioquin ut corpora, ita et ideae quadratae, rotundae, cubicae essent admittendae: quod sane ipsismet Materialistis non potest non videri absurdissimum. *Urg.* Quaedam mentis affectiones majus et minus suscipiunt. Dolor v. g. potest fieri major, vel minor; ergo in anima recipiuntur cogitationes physice compositae, quae scilicet varias et distinctas habeant partes. R. N. C. Ex eo enim, quod sensus doloris fieri possit major vel minor, id est vehementior vel remissior, non sequitur dolorem constare variis partibus. Imo potius, si dolor partes haberet, sensus doloris major vel minor esse non posset in una eademque anima. Non posset enim crescere dolor, nisi quia major numerus partium doloris, majorem animae superficiem tangeret: atqui inde non sequitur majorem fore doloris sensum. Nam una quaeque pars animae non sentiret, nisi eam doloris partem, quae ejus extensioni responderet, neque parti vicinae a se prorsus distinctae sensum suum posset communicare; ergo si dolor variis constaret partibus, sensus doloris major aut minor, id est, vividior aut re-

missior esse non posset in una eademque anima. *Obj.* Vel totam mentis substantiam affectio unica replet, vel non; si prius, ergo non potest pluribus affici simul, quod tamen experientiae adversatur: si posterius, ergo anima composita est, cum suscepta impressione aliqua, ceteris adhuc locus supersit, quem occupare valeant. Respondeo: totam mentem unica non repleri cogitatione, nec tamen ideo eam esse physice compositam. Nimirum tota haec difficultas sita est in vana inanique metaphora, qua anima exhibetur instar vasis cujusdam, in quo recipiuntur affectiones diversae, et suam quaeque distinctam sedem occupat. Hanc vero similitudinem quis non rideat? ita quippe anima una impressione afficitur, ut alias possit simul experiri. Id enim testatur experientia. Quomodo autem et multis et diversis impressionibus pateat, nec mente concipi, nec verbis explicari potest: rem vero prorsus impossibilem fore, si anima physice composita et extensa esset, demonstratur. Tunc enim anima plurium simul impressionum conscia esse non posset; siquidem, ut jam diximus, una partem aliquam animae, et altera alteram afficeret; ergo praefata difficultas Materialistis prorsus adversatur; nobis vero id unum probat, nimirum, quam angustis nostra ratio circumscripta sit finibus. *Obj.* Deus potest vim cogitandi materiae indere, quis enim ausit ipsius potentiae limites constituere, ergo etc. ℟. N. A. Potentia enim divina ad ea tantum pertinet, quae possibilia sunt; siquidem impossibile divinae omnipotentiae objectum esse nequit; atqui impossibile est, ut materiae conferatur vis cogitandi. Repugnat quippe eam substantiam extensam simul esse, et simplicem, dividuam et individuam; atqui tamen res se ita haberet, si materiae impertiretur facultas cogitandi. Cogitatio enim quaelibet ex natura sua est simplex et individua, ac proinde postulat subjectum simplex. Mirum profecto est, nonnullos hujus difficultatis patronos in praesenti argumento adeo reformidare, ne qua divinae omnipotentiae fiat injuria, cui derogare in aliis quaestionibus non verentur. Quando enim agitur de miraculis, cur ex ipsis plurimi non metuunt, ne divinam laedant omnipotentiam, dum ea possibilia esse negant, quia Deus naturae leges mutare non potest? *Urg.* Vel arte humana mirae machinae possunt e materia efformari. Sic Alberti Magni fictile caput quasdam voces articulate protulisse legitur; Joannes Regiomontanus fertur aquilam e ligno effinxisse, quae volans Imperatori Norimbergam proficiscenti viam ostenderit; Kempelen efformavit machinam, quae in lusu Schachico versatissima erat etc. ergo omnipotentia Dei ex eadem materia ipsam etiam animam hominis intelligendi vi, ac voluntate libera praeditam efformare potuit. ℟. D. A. Vel arte humana mirae machinae possunt e materia efformari, quarum tamen effectus generalibus motus mechanici legibus adstrictae sint, perque solas motiones locales explicari queant ab iis, quibus earundem structura perspecta sit, C. A. a quibus proficiscuntur actiones vi inertiae repugnantes,

et quae per leges motuum mechanicis notas explicari non possint. N. A. et C. Machinae undique corporeae, nonnisi ejusmodi actionum sunt capaces, quae solis motibus localibus vi inertiae consentaneis juxta leges mechanicae peraguntur: unde etiam non sunt actionum suarum sibi consciae, neque possunt errores suos emendare, sed si semel errare coeperint, errare pergent, dum ab artifice emendentur. Longe alia est ratio actionum, quae ab intellectu liberaque voluntate proficiscuntur. Deinde ex supra dictis patet, ens cogitans, intellectu et voluntate praeditum non posse esse compositum, sed simplicem substantiam esse debere. Unde ex eo, quod Dei efficacitas infinita sit, quod quidem ad rem praesentem attinet, non aliud consequitur, quam quod ab eo ex ejusmodi materia, e qua haec corpora nostra constant, possit perfectior semper et perfectior machina efformari, sed tamen cujus effectus omnes inertiae vi consentiant, solisque motionibus localibus peragantur. *Obj.* Nihil amplius affirmandum est, quam quod testatur sensus intimus, atqui sensus intimus haec duo solum nobis testatur: 1-mo nos esse corpus 2-do nos cogitare, ergo nihil amplius affirmandum est. Ita Poëta in scribendis versibus, quam in ratiociniis instituendis felicior: „Je suis corps, et je pense; je n'en sais pas davantage." R. N. m. Supponit enim Poëta sensum intimum testari me cogitantem nihil aliud esse, quam corpus; sed id ipsum est, de quo movetur controversia. Illud autem effatum poëticum potius quam philosophicum, Ego sum corpus, et cogito, nihil amplius novi, nedum sensus intimi auctoritate firmetur, merum est praejudicium, ab infantia susceptum et consuetudine firmatum. Infantibus enim nihil magis familiare est, quam sibi fingere sensationes diversas in variis corporis partibus residere. Sed errorem illum facile emendabit, quisquis ad se ipsum attenderit: statim enim deprehendet, in variis corporis partibus a se invicem distinctis non reperiri illam unitatem, quam postulat natura principii sentientis et cogitantis, et praesertim facultas ipsi propria sensiones et cogitationes suas inter se comparandi. Haec igitur verba: Ego sum corpus etc non potuerunt Auctori excidere, nisi quando aestu poëtico caput fervidum incalescebat. *Obj.* Corpus agit in animam et vicissim anima in corpus, atqui corpus non potest agere nisi in alterum corpus, ergo anima est quoddam corpus. R. D. M. Corpus agit in animam instar occasionis C. physice et per contactum neg. Corpus non potest quidem physice et per contactum agere nisi in aliud corpus; sed potest in animam agere instar caussae occasionalis; quatenus scilicet anima occasione quorumdam motuum corporis varias in se excitat repraesentationes: pariter anima, licet omnino simplex, potest agere in corpus, eo nempe sensu, quod occasione cogitationum et affectionum animae, quaedam in corpore, Deo sic volente, motiones excitentur. *Obj.* In linguis omnibus voces, quibus designatur principium cogitans, ex objectis corporeis desumtae sunt. Vocabulum enim spi-

ritus, et caetera, quae huic voci respondent nomina, nihil significant, nisi flatum, halitum, respirationem; omnes igitur populi principium cogitans non habuerunt pro substantia ab omni materia distincta. R. N. C. Substantia enim cogitans, spiritualis, omnium sensuum organis prorsus inaccessa, non potest nisi per metaphoram designari. Nullum est vocabulum, quo depingi queat; necesse ergo fuit, ut aliquo sensibili effectu exprimatur: effectus vero, qui animae in corpore praesentiam testari solet, est flatus, sive halitus et respiratio Praeterea Materialismi defensor acerrimus, nempe auctor operis, cui titulus Système de la nature, confitetur quibuslibet temporibus et locis homines, cum materiam concipere non possent, tamquam effectum et phaenomenorum, quae mirabantur, principium, ad spiritus confugisse, ut ea explicarent; (*tom.* 2. *cap.* 1. *pag.* 11.) ergo quovis tempore et loco homines spiritus nomine substantiam intellexerunt ab omni materia secretam. *Obj.* Proprietates, quae diversae sunt tantummodo, possunt ad eandem substantiam pertinere, atqui cogitatio et extensio sunt proprietates tantummodo diversae, ergo etc. R. n. m. Haec enim duo non tantum diversa, sed opposita sunt, quorum unum exigit subjectum compositum, alterum vero subjectum simplex: atqui extensio postulat subjectum compositum, et variis distinctisque partibus constans, ut satis patet; cogitatio autem requirit subjectum simplex, quia ipsa est simplicissima; quis enim concipiat mediam, vel tertiam, vel quartam partem dubitationis, affirmationis, negationis? ergo etc. *Urg.* Motus et quies, licet opponantur, possunt in eodem subjecto, saltem successive recipi; ergo pariter cogitatio et extensio, licet oppositae, possunt in eodem subjecto existere. R. Neg. Con. et parit. Ratio discriminis est, quod motus et quies subjectum ejusdem naturae, nempe extensum supponant. Tunc enim corpus dicitur quiescere, cum eidem loco respondet; tunc vero movetur, cum ab uno loco in alium transfertur. Quae duo admitti non possunt, nisi in subjecto extenso, cujus partes modo eidem loco, modo diversis locis respondeant. Sed cogitatio et extensio nonnisi in diversae naturae subjectis existere queunt. Cogitatio enim, utpote simplex et individua, exigit subjectum simplex; extensio autem postulat subjectum ex variis distinctissimis partibus compositum. *Obj.* Anima vices omnes corporis experitur. Cum eo crescit, adolescit, senescit, roboratur, infirmatur; a statu corporis pendent ingenium, memoria et rationis usus; atqui haec omnia demonstrant animam et corpus rem unam eandemque esse, ergo etc. R. N. m. Ex iis, quae objiciuntur, hoc unum inferri potest, nempe Deum, inter animam et corpus humanum arctissimam instituisse conjunctionem, licet diversae sint naturae. Ex mutua illa necessitudine fit, ut prout corpus bene, vel male se habet, anima functiones suas liberius, vel difficilius exerceat; et qua proportione perficiuntur et vigent, vel deteruntur corporis organa, animus majora, vel minora ra-

tionis indicia exhibeat. Hinc videtur in pueris, quasi puerascere, in adolescentibus adolescere, in senibus consenescere, quamvis ratione sui nec incrementum, nec decrementum admittat. Ex objectis vero minime sequitur ejusdem esse naturae corpus et animam. Quod quidem apertum fiet ex similitudine, quam adhibet auctor anonymus adversus Materialistam notissimum. „Assujetissez le plus industrieux agent á une certaine machine, en sorte qu' il ne puisse se remuer sans elle. Dés que la machine se détaque, l' agent cessant de pouvoir opérer avec justesse, ne donne plus les même preuves d' industrie. Si le jeu de la machine s' arrête, l' agent s' arrête aussi. On diroit, qu' il ait perdu toute son activité. Que l' on donne au plus excellent musicien un luth, qui n' est point d' accord, il n' en tirera que de faux tons; vous ne saurez, ce que son talent est devenu. De même il est aisé de concevoir, que l' ame et le corps étant dans une liaison, qui les assujettit mutuellement l' une à l' autre, ils ne peuvent agir que de concert. L' ame n' exerce ses plus nobles facultés que par l' entremise du corps, qui en devient l' instrument. La machine humaine est elle en bon état? les facultés spirituelles se développent avec avantage. Mais cette machine vient elle a se démonter, elle suspend, elle trouble l' exerciere de ces facultés, qui paroissent aloes s' affoiblir, quoique leur principe immaterielle soit tonjours le même. (Lettre à un Materialiste). *Urg.* Substantia, cujus affectiones sunt corporeae, ab ipso corpore non distinguitur; atqui animae humanae affectiones sunt corporeae. Sensationes v. g. ab ipso nervorum artificio non discrepant; indubitata enim constat experientia, nullam in anima sensationem excitari, nisi commotio in extremis corporis partibus facta ad cerebrum usque ope nervorum perducta fuerit. Hinc posito nervorum artificio, nascuntur sensationes; sublato tolluntur; restituto restituuntur; in melius aut deterius mutato, ipsae pariter in melius vel in deterius mutantur; a mechanica igitur nervorum dispositione sensationes non distinguuntur, ac proinde sunt corporeae. R. n. m. ejusque probationem. Non diffitemur quidem animam et corpus a se invicem plurimum pendere, ut supra diximus, sed inde inferri non potest, sensationes nostras ab ipsa nervorum dispositione mechanica non esse distinctas. Vel enim sensatio, v. g. doloris impressio, quam ad manum aut pedem referimus, in communi nervorum origine, sive in cerebro resideret, vel in extremis nervorum partibus; non datur enim medium, ut facile omnis intelliget, quisquis vel leviter attenderit; atqui neutrum dici potest. Non primum, impressio enim doloris ibi non existit, ubi non sentitur; alioquin definienda esset modificatio cerebri, quae non percipitur in cerebro, sed in manu „vel in pede“ novum plane et inauditum definitionis genus: atqui impressio doloris non sentitur in cerebro, ut experientia constat ergo 1. Sensatio doloris non existit in cerebro. Secundum etiam dici non potest, nimirum sensationem in extremis nervorum partibus resi-

dere; tum quia fieri potest, ut extremae nervorum partes a corporibus circumjectis commoveantur, nec tamen ulla sensatione afficiamur, quod in paralyticis contingere docet communis experientia: tum quia interdum accidit, ut sensationem experiamur, quamvis non existant illae corporis partes, ad quas eam naturali quodam judicio referimus. v. g. homo, cui amputatum fuit brachium, quandoque sensum doloris refert ad sectum illud brachium, imo etiam ad brachium ligneum, quod prioris loco substitutum fuit. Utrumque illud phaenomenon aliquando contingere gravissimi testantur autores, nec ipsi negant adversarii: qua de re consulatur opus cui titulus: Lettre à un Matérialiste (*Epist.* 8.) et liber clarissimi Bossuet, sic inscriptus: De la connoissance de Dieu et de soi même (*pag.* 173.) ergo 2. sensationes non existunt in extremis nervorum partibus, aliunde neque in eorundem communi origine, sive in cerebro; superest igitur, ut suam habeant sedem in substantia quadam simplici et a corpore distincta, quamvis ab eo suis in functionibus pendeat, juxtà legem a Creatore libere institutam. *Obj.* Concipi non potest, qui posset esse tanta inter corpus et animam consociatio, si genere ipso inter se differrent ergo. D. A. Nequit concipi etc. nihilominus tamen utrumque certum est, nimirum et genere ipso differre animam a corpore, et eandem huic arctissime copulari C. A, secus n. A. et Cons. „Numquid ideo negandum est (inquit alio in argum. D. Augustinus L. de dono Perseo) quod apertum est, quia comprehendi nequit, quod occultum est? numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non esse; quoniam cur ita sit, non possumus invenire?" *Obj.* Constat ex Physica materiae convenire vires attractivas et repulsivas: ergo eidem convenire potest etiam vis cogitandi et volendi, consequenter non constat nobis, utrum anima humana sit materiae expers. R. c. A. n. C. Dispar ratio est; vires enim attractivae et repulsivae non aliud sunt, quam determinationes quaedam ad accessum vel recessum mutuum adeoque ad motus locales; non est ergo, cur materiae convenire non possent: imo, quod eidem reipsa conveniant etiam, firmis in Physica argumentis comprobatur. At cogitationes volitionesque a motibus localibus toto genere differunt, ut probavimus, quarum cum nullum unquam vestigium deprehendamus in ente, quod puram materiam esse novimus, vel hoc ex capite jure concludimus, materiam carere vi cogitandi, et volendi. Praeterea animam humanam a materia discernendam esse inde quoque patet; quod materia sibi relicta de quiete ad motum, et vicissim transire nequeat, anima vero humana locum suum pro arbitrio mutare queat. *Obj.* Qui animam immaterialem dicit, eam simplicem esse affirmat, negat ergo, quod composita sit. Praedicatum immaterialitas itaque est negatio. Negatio autem nonnisi per oppositum suum, i. e. per affirmationem cogitari potest, ergo potest tantum ad objecta composita applicari. Objecta vero composita sunt tantum phaenomena

externa. Sed anima phaenomenon externum non est. Ergo etiam respectu animae de nulla negatione sermo esse potest, consequenter etiam de nulla immaterialitate. Ex. Cum dicimus animam immaterialem esse, ac proinde partibus non constare, cogitamus omnino nobis prius extensionem, quam per negationem iterum tollimus; at iste cogitandi modus regulis Logicae nequaquam contrarius est: hae enim concedunt, ad veritatem inveniendam falsi aliquid qua verum supponere, quod autem veritate inventa illico rejicitur. *Obj.* Anima nil aliud est, quam resultatum organismi corporis, ergo tamen quodammodo materialis. Ex. Subtilis iste Materialismus animam omnino eo reddit, quae disparet, cum organismus destruitur. Theoria itaque haec substantialitatem animae negat, et refutatur a nobis modo sequenti: Ens illud, quod in nobis sui sibi conscium est, et vult, idem ens est, quod corpus nostrum movet et regit. Si igitur anima nil nisi resultatum organismi, ergo a corpore substantia diversa non est, tunc aliquid, quod nullam realitatem habet, mutationes reales producit, et vim exercet, quod absurdum est dicere. Anima igitur resultatum organismi esse non potest, sed ut substantia simplex et immaterialis considerari debet.

Schol. 4. Coronidis instar gravissimi momenti capiti haec adhuc addere urget conscientia. Certum est, si materiae in genere consideratae vis cogitandi competat, nulli alii in corpore haec tribui poterit, quam illi, quae in cerebro ejusque tubullis medullaribus elaboratur, et circulum per nervos obit; nam subtilissima, depuratissima, tenuissima, fluidissima, nobilissima est; aliam quippe nobiliorem in materiali homine invenire haud licet. Talem autem cogitationum celerrima progeneratio, et vicissitudo, et multitudo sibi omnino deposcere videtur; et talem esse fluidum nervosum, nemo facile negaverit; licet veram ejus indolem et essentiam determinare vix liceat, quam aqueam, spirituosam, acidam, sulphuream, aetheream, electricam, lucidam, igneam, magneticam multi clari viri gratis habuerunt. At interea extra omnem dubitationem positum est, hanc sui generis fluidissimam, et ad summam subtilitatem et mobilitatem evectam nerveam materiam, quam nulla sensuum acies, quamvis armatissima sit, attingit, ex alimentis assumtis manifesto nasci, et deperditam inde restaurari, (*Haller Tom. IV. pag.* 381). Nunc si illa materia per hypothesim cogitet, in lacte, pane, butyro, caseo, carnibus animalium, fructibus, non cogitantibus ea praeexistit, aut saltem ex iisdem a virtute alterius materiae non cogitantis in homine, nempe a virtute materiae ventriculi, intestinorum, mesenterii, pulmonis, sanguinis creata est. Ita a diversitate victus, diversa et sibi dissimilis emerget materia cogitans, mutatoque victu tota mutabitur. Ac propterea dabuntur in rerum natura alimenta, ex quibus vi vitae elaborabitur nobilior et acutior cogi-

tans materia, quam ex aliis, ex quibus ignavior et hebetior prodibit. At contradicit experientia, quae nunquam fallens commonstrat, simplici et parco victu, pane, aqua, lacte, obviis cerealibus, contentum Philosophum cogitando et ratiocinando vincere Lucullos et Apicios. Novi litteratissimum virum, qui simplici nimis et parco pro corporis valetudine instaurando prandio utebatur, eo solum fine, ut dicebat, ut acutius cogitet. Sed fiat tandem ex omnibus qualibuscunque, quae saltem ad alendum apta sunt, mutatis et subactis, in corpore humano, viscerum virtute, sibi similis, eademque semper cogitans materies, ut ex variis alimentis semper elaboratur idem sanguis: illa tamen de hora in horam, dixerim lubentius de momento in momentum, erit alia, neque constanter manebit praecise illa, quae fuerat. Qui contradicere auderet, ignorat penitus circulationem humorum, a majoribus vasis rubris, per reliquorum omnium series, ad minutissima nervosa usque, quae a cerebro oriuntur; deinde non cognitam habet nutritionem, neque intelligit transpirationem. Secretio liquidi subtilissimi cerebrini et nervosi pendet ab appulsu sanguinis ad caput, per vim cordis; certa quantitas illius liquidi perpetuo elaboratur in cerebri medulla, constanter urgetur in nervos, movetur in iis, et tandem transpirat et dissipatur, novum tale liquidum deperdito semper succedit. Jam ponatur, hanc materiam subtilissimam cerebrinam cogitare, nonne nova materia semper genita, illaque quae aderat semper abacta, singulis momentis mutabitur, et novum in nobis existet principium cogitans? Nonne sic homo, quando cogitare de rebus vix incepit, subito desinet? nonne sic omne cogitationum filum, omnis nexus posteriorum cum prioribus, erit abruptus, omnis genesis posteriorum a prioribus erit impossibilis? Quidnam ergo erit illud in nobis, quod artes et scientias, nonnisi per annos addiscendas, discet, quando quae ideas vix percipere et colligere incepit cogitans materia, ab alia succedente, iterumque percipere incipiente, semper abigitur, et in auras propellitur? Quidnam erit illud in nobis, quod cogitat, et interdum acerrime cogitat, quando depauperata cerebri materia, ob jejunium, vel morbum, iterum resarciendae, novus commeatus deest. Tot et tantis difficultatibus nos irretitos sentire cogimur, quando materiae, utut subtilissimae vim cogitandi affingimus; neque illae minores sunt, quando vestigiis cerebro per sensationes externas infixis, omnes ideas cogitanti principio qualicunque oblatas tribuimus. Lepidae sunt Epicuri imagunculae, quas ab objectis externis per organa sensoria in cerebrum deferri, et ibidem omnes in futuros usus asservari statuit. Relinquamus illas ingenio luxurianti et evaganti inventoris. Pueriliter vero mea sententia hodie saltem is ineptit, et joculatur, qui in gratis supposita earum collectione, coacervatione, et coordinatione, in certis encephali plagis, vastissimam eruditionem alicujus Baconis, magni

illius scientiarum restauratoris, Newtoni, Wolfii, Leibnitzii, Kantii, Boerhavii, Halleri, consistere sibi persuadet, quo tot scientiarum thesauri includantur. Ut nugae ejusmodi, quae viros seria sectantes dedecent, non tamen ab omnibus neglectae, sed recoctae, et speciosis phaleris ipsa nostra aetate denuo propositae, in naturali sua nuditate, paupertate et inanitate compareant, accuratissime inquirendum est, quid vere, quid minus organo sensorio ab objectis externis, et cerebro ab organo sensorio accidat, quando sentimus et percipimus. Ac primo quidem considerandum est, illius imaginis, quae in retina pingitur, magnitudinem nil de vera magnitudine objecti exprimere; deinde etiam prorsus nullam in imagine hac diversitatem distantiarum esse. Imagines in retina sunt admodum exiguae, et visa objecta non saltem saepe toto oculo majora, sed saepe magnitudinis immensae. Video longe latoque patentem et immensum horizontem uno intuitu, cujus saltem minutissima effigies exstat in retina. Video longam seriem arborum, aliquot passibus a se invicem distantium, illi passus se retinae meae non imprimunt. Non video objectum inversum, ut in retina effingitur, neque video objectum duplex, licet in utraque retina pingatur. Omnia haec et similia, ex organismo, ex structura oculi, et ex opticis se se haud explicari patiuntur, licet pro ultimo phaenomeno nervi ophthalmici convergentes allegentur, qui tamen deinde separati iterum ad cerebrum veniunt. Maxime autem animadverti debet, imagunculam in retina depictam, quando oculus quaquaversum vertitur, et circumagitur, saepe ne per momentum in ea subsistere, et tamdiu saltem fixam ibi remanere, quamdiu radii ex uno eodemque objecto oculum feriunt; atque ob objectorum innumerabilem varietatem et vicissitudinem, eorum imagunculis citissime apparentibus et disparentibus vix moram concedi, qua opus erat, ut cerebro inferrentur. Totum autem hoc iter imagunculorum a retina ad cerebrum imaginarium est, et ad abjectissimas, et futilissimas fabellas merito referendum. Namque in retina terminus est pelluciditatis in oculo, et post longam et opacam viam, quae post retinam incipit, imago ad cerebrum transmitti non potest; insuper paullo ultra retinam jam confusissima pingeretur, etiamsi nervus opticus undique pelluceret. (*Vide* Gorter *Oratione de unione animae et corporis.* Haller *Physiol. Tom. V. pag.* 495. *et* 530). Et o bone Deus! quot dantur ideae in homine, et praecipue litterato, quas sub aliquo schemate, aut imagine, is sibi repraesentare prorsus nequit. Non mihi hic tempero, quin adducam, quae huc facientia admodum juvenis jam egregie scripsit summus Boerhavius: „Ad puriora si nos vertamus objecta, quantos nobis reddemus lusus, si eorum in corpore formationem fieri autumemus. Profecto quisquis id docere studet, nae! is operam dare videtur, ut cum ratione insaniat, et intelligendo intelligat nihil. Entis

enim perfectissimi, cogitationis, axiomatum, virtutum, vitiorum, veritatum mathematicarum, errorum, praejudiciorum, hypothesium, sapientiae, stultitiae quaenam quaeso in cerebro impressa figura, vel pictura est, quaenam depicta imago? Atqui haec tamen homo eruditus novit optime, et eo quidem melius, quo magis a sensuum consuetudine animum abduxerit." (*diss. philosophica de distinctione mentis a corpore*). Addit paucis interjectis: „Utinam limatam suam sententiam ad honestioris orationis speciem reduxisset personatus ille ex Anglia Epicurus (Hobbesius) atque ut Carneades olim, candido se purgasset helleboro, antequam scribendo plurium incautorum mentes falsissima sua imbuisset opinione." Licet humaniter petere a Materialistis (ut petiit Hubertus Hageus in egregio libro de la spiritualité et immortalité de l' Ame) ut explicent, quasnam imagunculas et figuras imaginationi in cerebro sistat haec ipsis adeo in deliciis habita propositio: „Ratio dicit, quod homo nil aliud sit, quam machina," an singula verba, quae ipsam hanc propositionem constituunt; cum illo, quod denotant, sint sensibilia? valorque eorum ab ideis natus, haeque adeo ipsae ideae e sensationum mechanismo oriantur? Vix convenit nostrae aetati, qua praestantissimi Physiologi sensationum rationem, quousque sese explicari patitur, solertissime exposuerunt, fabellis et tricis ludere. Nil aliud involvunt omnes sensationes, si accuratissime considerentur, quam unum motum, molli nervo impressum in organo, qui ad cerebrum propagatur. Motus autem hic eo propagari potest, vel per fibrillarum solidarum nervi vibrationes, vel per fluidi in nervis contenti celerrimam agitationem (*Conf. de* Gorter *Oratione citata ex* Haller *Physiol. Tom. IV. p.* 392, 393, 394. *et Tom. V. p.* 350). At nullus nervus ita in corpore tenditur, ut motus oscillatorius et vibratilis in eum cadere possit, ergo sensuum impressiones ad centrum sentationum, quod est cerebri et cerebelli medulla, veniunt per id fluidum subtilissimum, quod in nervis movetur. Jam perpendatur, an possibile sit, ut aliquot globuli hujus fluidi subtilissimi possint recipere impressum objecti typum et retinere, et cum eo migrare ad encephalon. Sane hoc ipsum eadem ratione haud succedit, ut in vase angustioris colli contenta aqua, annullo signatorio commota, impressam hujus figuram non recipit, et ad fundum vasis in quo continetur haud transmittit. Sed medulla cerebri tota fibris componitur, et fibrae hae molliusculae sunt, et lenissimae pressioni cedunt. Igitur elementum ultimum liquidi nervosi medullae propinguum, dum nervus organi sensorii ab objecto externo afficitur, a primis hujus nervi globulis per omnium seriem versus medullam commotis, movetur, suoque motu fibras medullae attingit, poteritque his aliquam mutationem inferre, easdemque molliter et leniter urgere, comprimere, tendere, incurvare. Simplex haec theoria est, et unice vera; faterique cogitur

Eximius HALLERUS (*Tom. V. p.* 531) hoc omne esse, quod novimus, et ultra hoc nihil esse, quod conjectura assequi, et affirmare pro certo liceret. — Concipiamus in visu, coloratos radios, certo gradu modoque refractos, incidere in fibras retinae, easque commovere. De colore, de imagine nihil, solus saltem motus propagatus ad cerebrum pervenit; neque ipsi radii in fibras cerebri agunt, sed motus imprimitur cerebro, excitatus ab illo motu, quem in oculo corpus externum in illum, et ejus retinam agens excitavit. Quod de visu dici potest, id etiam valet de gustu, auditu, tactu, olfactu. (*Haller vid. Tom. V. pag.* 532). In gustu corporum sapidorum sales, sapores, olea, spiritus, quando saliva solvuntur, ore calefiunt, et motu oris et linguae superficiei papillarum nervearum applicantur, sicque sensum excitant. (BOERHAV. *instit.* §. 488. 489.) Ad saporis discrimen sine dubio plurimum facit particularum figura differens; lingua autem quadrata et rotunda corpuscula non distinguit, sed motus saltem determinatus ab iis nerveae pulpae, liquidoque nervoso in eodem haerenti imprimitur, qui ad cerebrum excurrit. Cerebrum autem quadratas et rotundas, et triangulares figuras cum saliva non percipit. Auditum, quod concernit. (*Conf*: *Haller p.* 533) dum auris concentum musicum audit, aëris elastici oscillationes ad tympani membranam appellentes, auremque internam adficientes, tremores aliquos inferunt cerebro, qui velocitate et robore differunt. Nos vero tremulos illos motus eorumque differentias non sentimus, sed sonos saltem gratos et ingratos semet invicem excipientes, qui longe aliud quid sunt, quam tremuli motus aëris et leves concussiones nervorum acusticorum, per omnem labyriathum se se suis fibrillulis expandentium. Ad olfactum percipiendum, dentur ambra et moschus, flores rosarum, liliorum, dentur asa foetida et castoreum. Exhalent ex his subtilissima corpuscula spirituosa, applicentur cum aëre inspirato fibrillis nerveis membranae pituitariae, adficiantur lenissima hac illarum irritatione fibrae medullares cerebri. Nondum motu hoc absolvetur sensus odoris, neque is sufficiet procreandis multifariis ideis, vel suaveolentium, vel graveolentium. Tactus restat, cujus primo loco mentio injicienda erat, quia is ad omnes alios sensus requiritur. Oritur hic, quando illae nervae papillae, quibus apices digitorum instruuntur, objecto applicantur, molliterque teruntur. Nascitur sic pro hujus variante superficie, aliquis motus, aliquid in harum superficie mutans, qui ocyus ad sensorium commune serpit. Quis vero motum hunc confunderet cum inde exorta idea calidi, frigidi, humidi, sicci, mollis, et duri. Infligatur medico et rustico vulnus, uterque eodem modo afficitur; puncti sunt, et semilaceri nervi, novit hoc medicus, rusticus vero ignorat. Ut vero hic dolorem saltem sentit, non divulsionem fibrillarum nervosarum, ita et ille de hac nil percipit, manifesto argumento, ideam

doloris nil commune habere cum fibrillarum intentata continui solutione, quamvis ab hac illa oriatur. — Qui omnia haec, quae hactenus edisserui, sine praejudicio expendit, facile convincitur, solo motu quodam mechanico et organismi beneficio, sensationem, perceptionem, et imaginationem minime enasci, hisque species, quae cerebro inhaerere supponuntur, aut vestigia eidem per sensationem impressa, nequaquam sufficere. — Omnium distinctissima et constantissima est sensatio, quae per visum percipitur, omnium distinctissima et constantissima imaginatio inde exsurgit. (Wolf *Psych. Emp. p.* 60). Ne tamen imagunculis vere cerebrinis, id est, imaginariis, etiam explosis, et valere jussis, earum loco vestigiis illis, a sensatione et motu, quibus illa unice absolvitur, in cerebro residuis, quae a magnis viris quibusdam admittuntur, et asseruntur, nimium tribuamus, operae pretium erit, quam rigidissime in eorum existentiam, et possibilem indolem inquirere. Repeto ex antecedentibus, ipsum Hallerum (*Tom. V. p.* 538) non negare, habitare in cerebro perceptionum qualiacunque vestigia, multum in ea posse fabricae corporeae mutationem in diversis aetatibus, in morbis, et laesionibus capitis. Quin videri, dicit vir acutissimus (*V. p.* 539). memoriam sequi naturam corpoream cerebri, et pariter crescere, sibi constare, et minui. Omnia haec supponunt omnino vestigiorum collectionem numerosiorem, perdurationem eorum, et obliterationem. Speculemur igitur et indagemus ea quam solertissime! Cum cortex cerebri non sentiat, sed tantum medulla, etiam in hujus territorio saltem esse poterit sedes et domicilium vestigiorum. In homine, imaginatione vivida, et tenacissima memoria pollente, multarumque scientiarum possessore, illa sint prorsus innumerabilia, et proinde summe et ad stuporem exigua, omnino necessum est. Neque tamen, licet infinite parva concipiantur, requisitis myriadibus sufficiens spatium datura videtur, limitibus suis arctioribus circumscripta cerebrina medulla. Calculum qui inire voluerunt vestigiorum, vix numerum invenerunt, qui sufficeret. Audax paulisper mihi vidisse videtur, ab Hallero (*V. p.* 547. 548). allegatus Hookius, quando eum computo assequi allaboravit. Nimis magnum numerum ab Hookio propositum credit Hallerus, et suae propriae memoriae ambitum modeste metiens, sat magnum tamen signorum numerum invenit, et in medullae particula, quae grani pondere sit, vestigia 205452 ponit. Magnus vero satis et hic numerus est, si particulam consideres, in cujus minutulo spatio illa asserventur. Et quid tandem fiet, si ille adhuc increverit? Quo magis enim eruditi hominis doctrina augetur, et ejus idearum thesaurus, eo magis semper increscit facilitas acquirendi, recipiendi, et colligendi novas in infinitum. Nonne tandem ob finitum spatium medullae, finis erit discendi, si sine vestigiis discere et recordari sit impossibile. Esto autem id pati vestigia, ut

nullis expungendis (nam sic, ut nova discerentur, antiqua oblivioni danda forent) in arctius semper spatium cogantur, et si mavis, eorum strata sibi invicem incumbant; quaerere tamen licebit in quonam demum consistant haec vestigia, et quomodo illa, si res sint, non figmenta, et nuda vocabula, concipi debeant, et queant? Saltem certum est, debere aliquid superstes manere in cerebro, a praegresso motu sensationem inferente, quidquid demum illud sit, si vestigium audire, haberique meruerit. Aequus est, ut esse solet Illustris Hallerus, et quid sint rerum vestigia, non putat posse inveniri. (*l. pag.* 541, 542.) Asserit, non esse imagines, quae vox ab unico sensu visus sumatur, nec has posse ad vestigia sonorum, absque errore transferri; vestigia non esse motus, licet ex motu oriantur, aut vibratiunculas, quae per annos subsistere nequeunt; non esse sulcos, aut sculptiones. (*V. pag.* 543.) Dicit tandem, existere tamen vestigia sensationum, quomodocunque in cerebro haereant, eorumque naturam esse ejusmodi, ut a memoria revocari possint, quamdiu sint integra. Dixerim ego pace tanti viri, has negationes omnes, quas agnoscit ultro, fere negare ipsa vestigia, quando nil positivi de ipsis afferre et asserere licet. Quidquid demum sint, quilibet largiri tenebitur, aut esse sibi similia, aut dissimilia. Si sibi similia sint, ut forte exigua punctula, unde ab iis ortus dissimilium idearum, a diversissimis objectis? Si dissimilia, non differre a se invicem possunt, nisi magnitudine, et figura, tuncque imagines debent referre, aut characteres certos et literas. Sed tales ipse Hallerus non agnoscit; aliquam incurvationem, aut compressionem fibrarum medullae ad summum concedens (*V. pag.* 531.) Verum haec stabilis supponi nulla ratione potest, sed tamdiu saltem poterit durare, quamdiu motus nervo in organo sensorio impressus ad medullam propagatus durat. At vero fingamus vestigia, quomodocunque voluerimus, et existere ponamus impressa, etiam cessante illo motu; si servire imaginationi et memoriae debeant, absolute in medulla flagitant stabilem sedem et quietem. Si haec non detur, loco moventur, in suis plagis non subsistunt, turbantur, miscentur, obliterantur, delentur. In omni autem cerebro et medulla, ut in toto corpore, nulla quies. Scilicet vi nutritionis, quae in cerebrum aeque cadit, ut in omnia reliqua viscera, et vi circuli, quem illa supponit, omni momento mutatur liquidum, dum ulterius promoto aliud succedit, omni momento, motu fibrillis deteruntur pristina elementa, et apponuntur nova. Sub perpetua hac mutatione cerebri, quidnam erit, quod figet, et ab interitu vindicabit vestigia? sive haerere putentur in liquido, sive in solido, nam utrumque mutatur. Forte non post adeo longum decursum temporis homo habet prorsus aliud cerebrum ac habebat antea, nempe aliis prorsus elementis constans, ac constabat antea, licet similibus constet, et maneat individuale. Nonne sic impossibile erit, ut memor sim rerum,

easque imaginer, quarum sensationes ante annum cerebro meo vestigia intulerunt; haec nempe certo per circulum humorum et nutritionem unius anni omnia deleta sunt et deperdita. Quin ne quidem, dum adhuc supersunt et durant vestigia, in certas classes et vicos proprios digesta et coordinata fingi possunt, quod tamen ad ordinatam et minus confusam memoriam et imaginationem requireretur. Namque qui id statuere videri poterat ipse Hallerus, paucis interjectis ultro fatetur (*V. p.* 544. *p.* 546. *conf. IV. p.* 396. 397.) ne id quidem ex anatomicis satis firmiter demonstrari, regiones certas esse, in quibus ideae per certos nervos receptae habitent, cum nervi ejusdem sensus partitis radicibus, diversissimis locis nascantur. Omnia haec virum eximium tandem permovent, ut de explicatione mechanica desperet, (*V. p.* 547.) et illa, quae de vestigiis in cerebro protulerunt Hookius, Hartley, et Cl. Bonnetus ad ingeniosas hypotheses referat. Ego sane crediderim, si vestigium a sensatione natum inserviret memoriae et imaginationi, in loco vestigii sensum aliquem animadverti debere, simul ac idea vestigio respondens reproducitur. Deinde etiam non capio, qua ratione unum vestigium uno momento non unam ideam, sed multiplices cum ea connexas queat suscitare. Unum nomen Europae, quod uno vestigio saltem per hypothesin denotabatur, quartam partem orbis cum omnibus ejus regionibus, terris, fluviis, maribus, populis, moribus etc. velocissima imaginatione eorum sistit. — Haec omnia, qui aequa lance trutinat, sive velit, sive nolit, convinci tenetur, aliud quoddam ens dari debere, ad quod genesis idearum, memoria, imaginatio, judicium pertineat, a cerebro, materia nervorum, et vestigiis in medulla suppositis, diversum plane, quod in nobis cogitat, quod pro suo lubitu natas ex sensationibus ideas conjungat, separet, ordinet, multiplicet, comparet, novas ex collectis creet, alias ab aliis abstrahat, quod communi gentium consensu anima dicitur. Optime Ill. Hallerus, licet vestigiis faveat, pro animae tamen existentia strenue militans monet: (*Tom. V. pag.* 551.) Si memoriae penus animam non haberet, ad quam vestigia referuntur, futurum sine dubio, ut inter species rerum, quae sunt in ea penu, quaeque solitario existeret, memoria nostra integra esset quasi mappa geographica, cujus nullus pagus ad alterum pertineret. Nemo opinor, asseruerit facile, cerebrum cum vestigiis semet ipsum sentire et percipere. Namque licet etiam haec vestigia, sive notas corporeas a sensatione in medulla cerebri superstites admittamus (quamquam multis difficultatibus, ut modo vidimus, ita premantur, ut admitti nequeant) quomodocunque efformatae sint, nil tamen aliud quid sunt, quam notae. Jam vero certum est, ipsas notas non cogitare, sed esse aliquid in nobis, quod de notis, vel occasione harum notarum cogitat; namque illae, si aliquid repraesentent, se non sibimet ipsis repraesentant, sed aliud ens dari debet, cui repraesententur. Credo ego convictissimus, quemvis prudentem, nisi semet ipsum

fallere amet, in se animum percipientem a perceptione ipsa posse distinguere. In cerebro dum percipimus, nil possumus admittere, quam unum motum in nervo organi sensorii affecto, orientem, et ad cerebri medullam usque excurrentem. Hujus motus adeo ignara est anima, idea autem nascens ex hoc motu, diversissima est ab eodem. Longe aliud quid est idea coloris rubri, vel alius, ac motus ille in retina, qui eum parit; nam ipse color cerebro non imprimitur. Qui inter mortalium sapientissimos sempiternum nomen tuetur NEVTONUS, in fine suarum demonstrationum opticarum fatetur ingenue, ex omnibus, quae docuerat de visu, nil redundare, quam definitam aliquam in nervo optico mutationem; focum radiorum in retina convenientium nil aliud facere, quam speciem tactus, et tamen ab eo foco oriri ideam coloris rubri; mentem autem aeterna creationis lege hac facultate instrui, ut ex definito in nervo motu ipsi nascatur propria haec et definita cogitatio. Rectissime inde ex Nevtonianis demonstrationibus HELVETIUM notans infert HALLERUS (*Tom. V. pag.* 551.) dum coeruleus color per eas rubro adjacet, et diversus est, et diversae utriusque in cerebro impressiones, neutrum eorum colorum posse pronunciare, ego ruber color a coeruleo differo, adeoque oportere ens aliquod in nobis esse, et a rubro et a coeruleo colore diversum, quod comparet et distinguat utrumque. O quam vere jam edixit ARISTOTELES: mens videt non oculus, mens audit non auris. Sola ergo mens est, quae in nobis sentit et cogitat. Hoc ens cogitans suarum cogitationum conscium, distinctissimum est a re cogitata. Quidquid etiam id cogitat, semper cogitat aliquid a se distinctum. Cogito arborem, tum nôn sum arbor cogitata, nec figura et imago arboris. Cogito per momenta mille res alias, in me semper est aliquid diversum a rebus illis omnibus cogitatis. Id in me cogitans existit ante omnem qualemcunque ideam. Sola etiam mens imaginatur, sola mens memoria pollet, mens sola judicat, non cerebrum cum suis vestigiis, seu ideis materialibus. — Equidem certum est, docere experientias, quamdiu mens corpori suo copulata est, ut cogitet, ut imaginetur, ut ideas reproducat, et de iis judicet, absolute opus esse bene constituto cerebro. Legem hanc non explicabilem sancire placuit sapientissimo Creatori. Non vero exinde mihi fluere videtur absoluta necessitas existentiae vestigiorum in medulla cerebri, quibus, ob difficultates, quas adduxi, et luculenter exposui, fere nil tribuo, pulchre gnarus, et Cel. BUFFON (*Hist. nat. Tom. IV. pag.* 60.) et PLUCHE (*Spectacle de la nature lib. V. p.* 162.) et alios, ea vix admisisse, quamvis a multis gravibus viris urgeantur. Impossibile mihi videtur, etiam positis vestigiis, concipere ideas abstractas ex suis concretis, quae teste experientia manent, etsi in suas simpliciores ideas abstractas discretae fuerint. Impossibile est, ut totum maneat, si in partes dividatur, et ut partes salvae restituent, si ex iis conficiatur aliquod totum. Taceo innumeras ideas

dari, quas nemo mortalium, si vel sagacissimus fuerit, nota qualicunque exprimet. Neque mihi vestigia probare videtur, deperdita per morbos et laesiones capitis, et iis sanatis, restituta memoria. Considerandum est, si per morbum deleta supponantur vestigia, eo sanato non sensim, sed subito saepe integram memoriam redire. Nunc si ponuntur vestigia per annorum seriem successive impressa (taceo ea, quae de mutato singulis annis, vel et singulis mensibus et septimanis cerebro, contra vestigia jam dixi) debent per annos omnes illae sensationes renovari et restitui, antequam restitui possint abolita per morbum vestigia, et memoria eadem prorsus esse queat, qualis pristina, et ante morbum fuerat. Plura sunt, quae admittendis vestigiis contrariantur. Ante multos annos iter feci cum amico, quo durante varia nobis obvenerunt visa et audita percepta. Neglexi haec, et bonam partem eorum oblitus sum, deletis per hypothesim in medulla cerebrina mea notis et vestigiis olim impressis. Jam scribit ad me veteranus amicus epistolam de illo itinere. In momento recordor omnium ad minutissimas circumstantias usque, omniaque vividissima imaginatione repraesentata, quasi coram adessent, intueor. Quid vero illi nigri ductus litterarum in charta commercii habent cum rebus olim auditis et visis? si etiam illi, dum lego, se se cerebro meo imprimant, et tamen distincte scio, me tunc hoc, vel illud, vidisse, et audivisse.

Schol. 5. Verissima est propositio Cartesii: cogito, ergo sum. Nil magis de nostra nos convincit existentia, quam intima conscientia, quod cogitemus. Quid vero demum illud est, quod in me existente cogitat? an tota machina et moles corporea? Nemo, opinor, facile hoc ipsum asseuerit. Vel Davus assequitur, se non pede, non brachio, non ventriculo, non pulmone cogitare. Omnes sine dubio consentiunt homines sibi caput datum, neque etiam osseam ejus capsam, sed in illa solum cerebrum esse, quo opus habeant ad cogitandum. Quodsi igitur homo vel maxime in cogitando rudis ac hebes, tamen per experientiam sibi persuasum habeat, se cerebro cogitare, Eruditi et Philosophi forte nihil habebunt, quod addent, quam non totum cerebrum cum omnibus membranis suis et vasis cogitare; sed inesse ipsi longe subtilissimam et delicatissimam materiam, quae cogitet. Notavit jam vetustissimo tempore Aristoteles (*Hist. animal. lib. I. c.* 16.) et Plinius (*Hist. nat. lib. XI. c.* 37.) maximum inter omnia animalia homini esse cerebrum. Certe grandius huic est, quam bovi et equo. Gradiens montosus elephantus admodum parvum cerebrum habet. (Haller *Physiol. Tom. IV. pag.* 11. *et pag.* 7). Nonne ergo clarum est, hominem eapropter acutius cogitare et sapere, quia grandiore cerebro prae brutis, et in eo majori ubertate materiae subtilissimae cogitantis gaudet? Ita omnino videtur! Cerebrum deinde centrum est, in quo collineant omnes sensationes, com-

meatum largum cogitationibus praebentes. Non negat, sed concedit, et rotunde asserit ipse illustris HALLERUS, Anatomicus et Physiologus celeberrimus, in cerebro habitare rerum omnium sensibus perceptarum vestigia (*Elem. Physiol. Tom. V. pag.* 738) adeoque cerebro inhaerere memoriam et imaginationem (*ibid. p.* 541. *seq. ubi* BONETUS, *le* CAMUS, *et* MURATORI *citatur*) horum vestigiorum penum in cerebro, quod eorum constans sedes sit, ditissimam esse et immensam; (*p.* 547.) ita rerum ideas in cerebro conservari; admirabilem esse earum ordinem; sensuum impressiones et vestigia earum in classes certas, species et genera distribui et disponi; ac proinde in regionibus, et quasi in suis vicis in cerebro habitare (*Tom. IV. p.* 317. 318 *V. p.* 544). Atque hinc deducit vir eximius, quod in mobilissimo cerebro pusionum nil possit inscribi, vestigiaque cito evanescant; in virili fixa perstent; in senili labascente minuantur, obliterentur perdantur, pereantque. Hinc deducit: quod morbis variis aut externis injuriis laeso cerebro laedatur omnis memoria, atque imaginatio, et intellectus hebes reddatur; iisque vitiis sanatis per naturam, vel artem, hae facultates et functiones iterum redeant. (*Tom. IV. p.* 316, *V. p.* 538. 539. 540. 550). Nunc ergo dilucide perspicitur, per organa sensuum rerum ideas transmitti ad cerebrum, hocque esse ditissimum promptuarium, in quo asserventur, coordinentur, depromantur; paucis cerebrum esse officinam et sedem, ut cogitationum, ita et ipsius materiae cogitantis. — Sed quaeso! festinemus lente in hoc argumento, neque nimis praecipites judicemus! — Africanus Orang-Outang, inter simias est primus, et inter homines ultimus. Nil prorsus illi deest, si formam et structuram corporis ejus spectes, quod in humana invenitur. Hujus adeo conformationis respectu magis differt a simiis, quam differt ab homine. Namque non saltem gaudet omnibus partibus externis et internis, ut hic; omnibus sensuum organis ita formatis, ut in homine; omnibus humani corporis musculis, ita, ut imitari queat omnes motus homini proprios. Sed et, quod maxime expendi debet, simia haec non saltem tali lingua, sed insuper exacte tali gaudet cerebro, ac humanum est, et tamen his omnibus ita se habentibus, non edit ullum actum vere humanum, nec loquitur, nec cogitat. Est ergo Orang-Outang vere saltem animal, quod homo cogitans et intelligens contueri nequit, sine introitu in semetipsum, sineque cognitione et convictione, quod corpus suum et in eo cerebrum suum non sit pars suae naturae maxime essentialis; et quod vis cogitandi ab organismo cerebri nulla ratione pendeat. Prorsus mirum est, ab hac forma, organisatione, proportione cerebri absolute eadem, qualis est homini, non resultare eosdem effectus. Orang-Outang enim, etsi forma et larva humana indutus, non saltem non secundus est ab homine, sed etiam non primus in ordine animalium; quia horum multa organisatione magis ab homine receden-

tia, illum minus rationalem, facultatibus relativis superant. Immensum sane intervallum est, quod illum separat ab homine; et similitudo externae conformationis, conformitas organisationis cerebri, musculorumque motus humanos imitantium, et omnia quae videntur provenire ex hac similitudine, non faciunt illum Orang-Outang accedere ad naturam humanam, neque etiam elevant ultra naturam reliquorum animalium. (*videatur de his Histoire naturelle générale et particuliére par M.* Buffon *Tom. XIV. à Paris* 1766. *Nomenclature de Singes, et Hist. naturelle des Orangs Outangs a pag.* 4—71). Plura dicam! Notas sanitatis humanae optimae recensens Boerhavius (*instit.* §. 885. *N-ro* 5. *et* 7.) ponit inter alias cranium magnum et capax, atque in eo satis magnum cerebrum, addit tamen his notis sanitatis, copulatam ingenii tarditatem. Atque in praelectionibus ad hunc locum: „Qui corpore valent, (inquit) saepe stupent ingenio, et vicissim. Mobilitas summa cerebri et nervorum ad ingenium requiritur, sed ea ipsa ponit corporis debilitatem. „Clarum inde fit, magna ingenia non absolute supponere robur et magnitudinem cerebri, ut vires corporis supponunt validos lacertos, et bene carnosos musculos. Quodsi enim eruditissimorum in orbe virorum Biographias, fabricae corporeae delineationem simul complectentes consuleremus, frequentissima experientia convinceremur, non raro cum vastissima doctrina summorum hominum parvulum caput, et in eo ut parvulum, ita et laxum et debile cerebrum conjunctum fuisse. Atque haec de cerebro!

MEMBRUM II.

De animae humanae Immortalitate.

§. 68.

Singulis hominibus assignata est certa quaedam temporis periodus, et veluti mensura. Modo infantes, modo aetate provectiores mors assequitur. Dierum non intercisa serie corpus atteritur, corrumpitur, dissolvitur. Quod terrenum erat, terra suscipit, quod humidum aquae elemento restituitur; quod aethereum, dissipatur in auras; quod igneum, fertur in sublime. Sparsae illae corporis reliquiae novas induunt formas, novas perpetuis vicibus subeunt conversiones. Interea anima, excusso corporis

pondere, terrenis vinculis soluta, ad futuram nunquam cessaturam progreditur vitam. Tanti igitur momenti est, quam aggredimur, quaestio, ut, qui circa eam indifferens remanet, de immortalitate animae parum sollicitus, is omnem humanitatis sensum exuisse videatur. Posito autem immortalitatis dogmate, eo spectare debent omnia nostra opera, omnes cogitationes, omnia consilia, ut beatam immortalitatem assequamur. Post supremi Numinis existentiam, alterum Religionis fundamentum, est animae immortalitas, ut eleganter sic docet eminentissimus Poëta D. Polignac.

Geminis fundatur nostra columnis
Religio, quas non timor, aut malesuada cupido,
Ipsa sed ante oculos prudens natura locavit:
Esse Deum, auctorem rerum, justique tenacem;
Esse animos nullo perituros temporis aevo.
Mirari satis hic nequeo, quis tetricus horror,
Despectusque sui, quae mortis prava libido,
Lymphatas hominum mentes incesserit, ut se
Corpore mortales cum sint, natique sepulchro,
Mortales animo esse velint, penitusque caducos;
Tantus amor nihili! tanta est vecordia!

Itaque pro viribus asserenda est animae immortalitas, vitaeque alterius fides. Sed prius annotandum est, immortale dici, cujus vita, seu actiones vitales, ut intellectiones, volitiones etc. in omnem aeternitatem sunt duraturae; esseque aliud immortale per essentiam, quod nempe sufficientem tam existentiae, quam vitae suae rationem in essentia sua continet, adeoque quod absoluta necessitate et existit et vivit: aliud per naturam, quod videlicet servatis naturae legibus vita spoliari non potest; aliud denique per gratiam, cujus existentia et vita praeter communem naturae cursum gratuito Dei beneficio in omnem aeternitatem con-

servatur. Igitur etiamsi quodpiam ens perpetuo duraturum esset, si tamen nequiret exercere functiones vitales, immortale dici non posset. Cumque solus Deus existat et vivat necessitate absoluta, essentia immortalis solus Deus est. Hinc de anima humana id solum quaeri solet, an sit natura sua immortalis?

Scholion. Vix dubio locus est, infelicem illam sententiam, quae hodie instar alicujus fascini mentes tot hominum ligat, aut instar morbi epidemici inficit, nempe cum morte nostra, omnem nostri existentiam finiri, quaeque maxime EPICURO praeeunte, in orbem emanavit, foveri et propagari ab invalescente cupidine, pro suo arbitrio vivendi, eaque omnia impune peragendi, quae affectibus, aliqua superiore potentia non coërcitis, aut coërcendis, arrident. Fluit exinde non saltem Religionis neglectus et contemtus, sed et saepe omnis honestatis et probitatis, apud eos etiam, qui amici generis humani videri volunt, defectus; turpissima morum corruptela, et spurcissima asotia; quae omnia, an bonos cives effingant, an societatem juvent, an tranquillitatem omnium et felicitatem publicam pariant, inquirant ipsi, qui sese notatos sentiunt. Falluntur interim mirum quantum, celebrem suo tempore Philosophum Epicurum gulae et ventri obedivisse, inque ciborum potuumque copia et varietate, ac in foedis voluptatibus summum in mundo bonum posuisse, existimantes. Maculam hanc insonti adspersam, prorsus detersit Magnus, qui eapropter legi meretur, GASSENDUS (*de moribus et vita Epicuri lib. III. c.* I. et quod mireris, Theologus και ἐξοχήν dictus, Orator et Poëta eximius GREGORIUS NAZIANZENUS (*in Carmine jambico, quo vitam ipse describit XVIII*). Fuit potius Epicurus temperantissimus, saepe pane et aqua contentus, et, si pretiosius coenare aliquando libuit, caseo. Laudi ipsi omnino ducendum est, quod, ut de eo AELIANUS scribit (*lib. IV. hist.*) saepe exclamare solitus fuerit: „Cui parum non sufficit, eidem nil satis est," Eo saltem redibant ejus dogmata: adlaborandum esse, ut, quia cito mortalis est homo, sanitatem corporis sine dolore, animique tranquillitatem sine perturbatione obtineat. (*Vid. Seneca epist.* 66.) Atque in hoc unice consistebat voluptas Epicurea, quae perperam multis adeo male audit, quam autem, ut prorsus laudabilem, descripsit in suis Jambis modo citatus Gregorius Nazianzenus (*Jamb.* 18.)

Ipsam voluptatem putavit proemium
Epicurus, exstare omnibus laboribus.
Mortaliumque huc tendere bona omnia.
At ne ob voluptatem improbam hanc laudarier,
Quis crederet, moratus et castus fuit
Dum vixit, ille dogma moribus probans.

Verum non minus certum est, sagacissimum caeteroquin Philosophum Epicurum omnem animae post mortem hominis vitam superstitem, ejusque immortalitatem prorsus explosisse; ita, ut ipsi cum morïente corpore intereundum esse, aperte docuerit. Neque mirum est, ipsum ita statuisse, namque animae existentiam a corpore diversam prorsus negabat, cum illam ex principiis subtilissimis corporeis conflari assereret; quare etiam ex ejus sententia cum corpore cresceret, nutriretur, decresceret, et hoc dissoluto, non minus necessario dissolveretur. Quis autem jam non videt, pulchre judicasse SENECAM (*de vita beata cap. XIII.*) licet ipse Stoicae Philosophiae fuerit deditus, quando scribit: „Mea quidem sententia est, sancta Epicurum et recta praecipere, et, si propius accesseris, tristia." Tristissima nempe omnino idea est, sui plenaria annihilatio. Ea etiam sola in Epicuro displicuit S. AUGUSTINO (*Confess. lib. IV. c.* 13.) Philosophum hunc in animo suo palmam accepturum fuisse professo, nisi crederet post mortem restare animae vitam, quod ille credere noluit. Nostra aetate post alios eruditos denuo Epicurum magni fecit acutissimus vir, Christianus GARVE, qui ejus systema neutiquam periculosum, at solaminis expers, et non acuta satis et nobilia ad virtutem exercendam incitamenta suppeditans, declaravit. (in den Noten *p.* 387 *seq* zu *Fergusons* Moral-Philosophie) Aterrimum autem hoc et summe tremendum de animae interitu dogma Epicuri, suum factum speciosis argumentis deinde magis stabilire conatus est LUCRETIUS (*de rerum natura in primis lib. III.*) et recentiore aevo HOBBESIUS, deinde paulo tardius inter alios VOLTAIRIUS, HELVETIUS, DIDEROT etc. Atque hos tamquam Coryphaeos, sequuntur ad hunc diem bene multi, quorum interest, ut omnium hominum sortem exhauriret illud DEMOCRATIS:

Mundus scena, vita transitus; venisti, vidisti, abiisti.

§. 69.

Animam humanam destructo corpore non dissipari, imo ejus vitam nullis temporum limitibus circumscribendam esse, sequentibus propositionibus demonstrare conabimur. Anima humana etiam extra corpus existere, et vitales suas functiones exercere potest. Primum inde patet; anima enim est substantia, ergo ad hoc, ut existat, non debet inhaerere alteri enti, siquidem illud, quod nonnisi alteri inhaerendo existere valet, accidens

duntaxat sit, potest proinde etiam extra corpus, et destructo illo manere superstes. Alterum sic declaro: Si anima humana vitales suas actiones extra corpus exercere non posset, id ideo esset, quod ea in omnibus vitalibus suis functionibus necessario omnino, necessitate ex ipsa ejus natura profluente, dependeat a quibusdam organisati corporis motionibus: atqui istud dici non potest. Nam imprimis nullo fundamento adstrui potest motionibus corporis ea vis, in qua possit et debeat contineri ratio sufficiens tam nobilium, totoque genere a motionibus localibus differentium animae functionum, ut intellectionum, quibus res ab omnibus sensibus abstractas e. g. Dei existentiam, virtutem percipit, subtilissimarum ratiocinationum, volitionum, nolitionumque, ad quas etiam, cum certis impressionibus in organa sensuum factis certam cerebri motionem persentiscit, adhuc libere se se determinat, ut tardius videbimus. Deinde etiamnum, quum luteam hanc machinam circumferimus, quo magis avocamus animam a consuetudine sensuum, rebusque corporeis, eo facilius perspicimus subtilium veritatum connexiones, et eo puriores, magisque distinctas rerum ideas adipiscimur; ita, ut nec sit quidem unquam in nobis intellectio pura, nisi quae ab omni sensatione imaginationeque depurgatur. Unde inferre sane licet, ubi anima humana a corpore, cui nunc immersa velut in carcere quodam delitescit, separata fuerit, separationem hanc ipsi in vitalibus suis functionibus exercendis adjumento potius, quam obici futuram. Quapropter Tullius quoque (*Tusc. Quaest. L.* 1. *C.* 20). „Atque ea profecto, (nempe quae nunc sensuum ope percipimus) tum multo puriora,

KONYVTAR DEBRECEN

inquit, et dilucidiora cernentur, cum quo natura fert, liber animus pervenerit."

Scholion. Licet cerebrum et nervi vinculum quasi constituant, quo anima et corpus sibi invicem uniuntur, constat tamen, eruditos praecipue homines, saepe cogitare sine ullo sensuum adminiculo, sine ulla cooperatione cerebri; abstractissimarumque idearum contemplationi immergi, quarum nulla vestigia fingi possunt, et quarum nulla prorsus antea ulla sensatione fuerunt impressa. Ita olim ARCHIMEDES totus ecstaticus, et quasi totus anima sine corpore, in balneo hydrostaticam veritatem profunda et ab omni sensatione abducta meditatione invenit, cui, nullis externis objectis afficiendus, remotusque ab omnibus notis corporeis tamdiu vacavit, donec ad illa rediens, laetabundus suum εὕρηκα exclamaret. Alio deinde tempore extra se raptus, expugnatis Syracusis, strepitum Romanorum militum haud percepit, de circulis suis non turbandis unice sollicitus. (*Plutarchus in Marcello*). Magnus Mathematicus VIETA vir profundis meditationibus assuetus, et multas horas saepe sine sensu transigere solitus, solvendis arcanis literis intentus, per integros dies 3, et totidem noctes neque edit, neque bibit, neque dormivit, verum ita in se ipsum recessit, cubito immobilis innixus, ut catalepsi laborans, vel mortuus videretur, et sic mansit per dictum tempus, donec occultum literarum characteribus latentibus conscriptarum significatum invenisset. (*Pope Blount. pag.* 604. *ex Thuano*) Toties sacro oestro perciti ab omnibus extra se positis objectis remoti, et Deum in se habentes, quo agitante calescunt, Poëtae, novas rerum species creant, nunquam visas saepe imagines pingunt, atque effingendis amoenissimis possibilitatibus occupantur. Quid de Mathematicis dicam, calculo infinitorum intentis, atque abstractissimis algebraicis conceptibus irretitis, hisque profundis meditationibus ab omnibus sensibilibus longissime recedentibus. Sane quo magis acriter, vivide et abstracte aliquis eruditus cogitat, quo magis tum omnia objecta externa, fortiter alioquin in sensus agentia, nullam vim in eos et eorum organa exercent, eo magis intus convinci debet, se extra corpus exspatiari, se separari ab eodem, nilque commercii cum eo habere, animamque sua propria vita frui, nec movere, nec moveri, in quibus binis corporis materialis vita consistit. Ita omnino certum est, nos omnes equidem corpore mundo adspectabili sensuum interventu alligari nostris cogitationibus; at vero anima nostra ea facultate gaudet, ut interdum possit hoc vinculum solvere, sensibus non esse obnoxia, neque signis, notis, characteribus, vestigiis ullis indigere, quando cogitando quasi in abditum suum sacrarium, in intimum suum fundum, et in se ipsam recedit, sibi soli sufficiens. — Plura, eademque longe certissima dicam. Grave hoc et materiale corpus saepius sapientibus, dum cogitant et meditantur oneri est et impedimento,

ita quidem, ut in inveniendo vero sibi non adeo magnos progressus polliceri queant, nisi recessioni et remotioni ab objectis sensibilibus adsuescant. Omnes illae motiones de visu et auditu, sensuum potioribus, ab objectis corporeis in nobis enatae, nil sunt, nisi sensationes, et nil veri in se habent; namque intellectus beneficio ex iis collectis, inter se comparatis, negatis, affirmatis, veritates demum eliciuntur. Nota ubique est atque reapse bene fundata querela de fallacia sensuum; certe his solis nil solidum, et evictum comparatur. Non penetratur in veram rerum essentiam, nisi cogitando, meditando, judicando, concludendo, inveniendo. Omnibus vero his operationibus felicissime vacat anima nostra, quando corpus suum ignorat, quando in sui centrum, summa sua vi collecta et coacta, sine sensuum concursu, sine grati et ingrati ideis ad se ipsam delata, sui juris reddita est. Tum remotis omnibus impedimentis, quibus moraretur, excussoque omni corporis sui commercio et sodalitio, non res ut apparent, sed quid intus habeant, non simplices sensationes, sed quid veri in se complectantur, considerat. His vinculis solutis et abjectis, viribus libera et aucta, in altum se efferre, atque ipsum Deum contemplari audet. Novit, non gratis supponi, sed vere existere, et necessario existere aliquod Ens perfectissimum. Intelligit summam bonitatem et sapientiam esse attributa hujus entis perfectissimi, eademque ab eo esse inseparabilia. De hoc ente, per sensus externos, impressaque ab objectis cerebro vestigia, nullas plane notiones habemus, namque de rebus incorporeis, nullae illorum beneficio ideae nobis nascuntur. Justam ideam Dei anima nonnisi per se ipsam acquirere potest, dum ad suas operationes attenta est, et per has suam essentiam cognoscit. Verum est, entis alicujus superioris et supremi, quoad omnem ejus naturam, sufficientem conceptum non adsequitur. Attamen bene capit possibilitatem entis in genere absolutissima essentia, minoribusque defectibus, et nullis eorum praediti, quos in se ipsa offendit et eapropter perfectioris et perfectissimi. Nunc defectibus omnibus remotis, id quod in se verum, bonum, perfectum offendit, concipit in summo gradu; tuncque adipiscitur ideam entis, quod in essentia absolutissimum, atque summa veritas, bonitas et perfectio est. Haec autem idea non nascitur Philosopho, nisi a sensibus et eorum objectis se se praestiterit remotissimum. His cogitationibus se se invicem subsequentibus et excipientibus intenta anima oculis auribusque debet valedicere, omnibusque inde oborientibus sensationibus renunciare, nil appetere, nil aversari; nullum dolorem, nullam voluptatem percipere; corporis sui prorsus oblivisci; in solitudine et eremo constitui; propriaque sua vi et operatione interna, sine omnibus externis adminiculis uti. — Atque hanc ipsam propriam suam, sensuumque juvamine minus egentem vim adeo exerit anima et eminenter exerit, quando somnum capimus. Non bene ad eum attenti sunt Materialistae, lepidam quaestiunculam

moventes, quando somnus palpebras nostras claudit, quid tunc facit illa anima? (*Poesies p.* 219) et extemplo respondent: dormit nobiscum. Sane hoc non ita constanter se se habere, non saltem norunt filii Hippocratis, sed omnes, qui memores esse sine praejudicio volunt eorum, quae sibi dormientibus acciderunt. „Certum est, inquit Hallerus (*Physiol. Tom. V. pag.* 621.) mentem persaepe per somnum minime otiari, sed perinde ut in vigiliis, spectaculum succedentium sibi sensationum et notionum contemplari, ita etiam in somno, quod Bonnetus (*p.* 421) bene animadvertit, seriei imaginum auscultare, quae ex vestigiis priorum sensationum cerebro impressis nascuntur (*ita de vestigiis ex hypothesi*). In earum imaginum sensu, anima et sui conscia est, et judicat, et ratiocinatur, et voluntate utitur, et affectus animi patitur omnes, multo quam in vigiliis graviores, anxietatem summam, terrorem maximum, gaudia effusa" (*Vide Lettres d' un Americain Tom. VI. pag.* 229.) Haec omnia fiunt ligatis sensibus, et aditu ad omnia organa sensoria occluso, et fluido nerveo pacatius moto, et tamen tantum abest, ut ideae sint obscuriores, et cogitatio debilior, ut potius somnium sit fortius, quam sensatio vigilantium, et vehementius animum percellat. Quae ratio? nulla alia dari potest, quam quod anima in se redux versetur in quadam solitudine, quod secum tantum habitet, quod nil detur, quod ipsam in contemplando turbet, quod quieta accuratissimae et vivacissimae attentioni ad unum objectum magis par sit. Numne autem tunc nil cogitat, nulla simulacra videt, quam quae suppositorum vestigiorum in cerebrum impressorum ope ipsi repraesentari poterant? Minime! Potius non raro gaudet ideis novis, quas antea non habuerat, nectit eas inter se, modo hactenus inusitato, cogitando defertur in loca hactenus prorsus sibi incognita, res spectatur nunquam antea visas, et nullibi videndas. Vagatur anima dormientis saepe ut avicula caveae elapsa, plenamque libertatem nacta per totum orbem, nullis terminis coërcenda, nullis vinculis ligata, ad coelos se se effert, denique talia praestat, quae aliquando inter vigilias non succedebant. Mirum est, quod narrat Krügerus (Naturlehre II. Theil. *Cap. XII. p.* 780.) quodque se vix fuisse crediturum scribit, nisi propria experientia eum reddidisset convictum. Cum algebrae operam daret, ad linguam hanc animarum discendam, vespertinas horas omnium commodissimas ducebat. Saepe accidit ipsi, ut fessus somno obrueretur, antequam problematis solutionem invenisset. Interdum ipsi per somnium inceptus calculus obversabatur, ad quem illud addebat, quod elapsa vespera, cum obdormiret, assequi non poterat, idque mane evigilans sine labore pulcherrime sciebat. Qui inter Poëtas eminet ill. Hallerus (*V. p.* 623.) versus, se dormientem, composuisse recenset, ad quos effingendos forte nullae antea ideae praeexstiterant. Refert de se ipso Abrahamus Kaav Boerhave (*Impet. faciens Hipp. p.* 320. 321.) quod puer non semel datum a magistro pensum memoriae man-

dandum, ante cubitum obiter aliquoties lectum, saepius in somniis repetierit, et mane bene tenuerit. An ejus anima durante somno cogitavit de hoc penso; an omni sua activitate caruit? Ego mediocri imaginatione, ut omnibus aliis mentis facultatibus pollens, interrogatus aliquando per litteras, an spartam publice declamandi in certo auditorio sim suscepturus, eam, tenuitatis virium mearum conscius, modeste sum deprecatus. Diu hac de re cogitationibus sepositis somnians tamen orationem in auditorio, quod nunquam videram, pronunciare incepi, cujus thema mihi nunquam antea in mentem venerat, in consessu quidem hominum, quorum unus, olim meus commilito, mihi notus erat. Reliqui omnes bene multi diversis capillamentis et vultibus incognitis mihi vivide conspiciebantur, a quibus nunquam a me visis, et forte nullibi existentibus medullae cerebrinae nulla vestigia poterant impressa fuisse — Dicit autem fors aliquis, haec talia rariora esse, atque ipse ea non expertus facile in dubium vocare audet, somnumque profundum et lethargum praecipue veram mortis esse imaginem pronunciat, quia eo durante homo nullarum prorsus idearum, neque sui ipsius est conscius At vero si anima tum plenarie sensationibus destitueretur, oporteret eam fuisse in nihilum redactam, et nulla amplius vita gaudere, quae in sentiendo et sentiendi facultate consistit. Situs aliquis incongruus et molestus toties hanc sentientem animam impellit, ut motibus variis, qui omnes ejus directioni et imperio subjiciuntur, aliam positionem magis commodam incommodae substituat. Omnis hujus mutationis redeunte statu vigiliarum deinde haud reminiscitur, et tamen ejusdem prima causa fuerat; haec ergo ignorantia et oblivio nequaquam probat, quod sensatione sub somno fuerit destituta. Dantur homines, qui dum dormiunt multa non sine affectibus variis blaterant, et quandoque secreta produnt, et expergefacti horum omnium sunt nescii, an hi sensatione sub somno fuere destituti? Sane non omni tempore etiam vigilantes eadem vi cogitamus, non omnibus ideis eadem tenacitas, vivacitas eademque claritas est, quod Lockius (*Essai phil. conc. l'ent. hum. liv. II. N.* 10. *p.* 64.) attentius considerare debuisset, gravem adeo animam sibi datam fuisse, professus, quae se non semper quadam idea occupatam sentiat. Differunt nempe ideae philosophicae studio servatae, a vulgaribus, vagis, fugacibus, quarum etiam vigilantes facile obliviscimur. Levis adeo sensus suae existentiae, jam est cogitatio. Quando ideis, ab objectis multis obiter ferientibus, rapide sibi succedentibus obruimur, una alteram statim fugat et exttinguit. Sed anima absolute cogitatione destituta etiam sub somno, esset substantia sine modis, ergo non ens; nulli nempe modi in anima fingi possunt, quam sensatio et cogitatio; ut in tota natura creata materialique semper motus datur, etiamsi in multis corporibus non sit perceptibilis, ita anima nunquam est sine sensu et cogitatione, quamquam ob impressarum idea-

rum levitatem et inconstantiam sentire et cogitare non videatur.

§. 70.

Anima humana a nullo ente creato potest unquam destrui, aut extra corpus posita in exercitio vitalium suarum functionum impediri. *Probo primum:* Anima humana naturae quippe simplicis et immaterialis nequit destrui nisi per annihilationem, atqui nullum ens creatum potest quidquam annihilare, ergo neque potest animam humanam destruere. *Pbo. m.* Annihilatio nil aliud est, quam cessatio conservationis, conservatio autem est continuata creatio, hinc ille solus potest annihilare ens, qui illud conservare potest, hoc autem duntaxat ab illo fieri potest, qui potest creare; atqui creandi vis, utpote infinita, nulli creatae substantiae, contingenti quippe et finitae, convenire potest, ergo neque potest competere vis quidquam annihilandi. Et sane neque creationem rei, neque annihilationem posse convenire causis creatis vel inde patet, quod omnes rerum productiones et destructiones ab illis sola partium conjugatione, dissociatione perficiantur, quin possit ullus unquam casus adsignari, in quo constet, quidpiam a caussa creata esse de nihilo productum, aut redactum in nihilum. *Alterum sic declaro:* Si aliquod creatum ens efficere posset, ne anima humana corpore soluta possit exercere vitales suas functiones; id efficere deberet, vel tollendo vim animae cogitandi ac volendi, vel subtrahendo omne objectum cogitationum, volitionumque, vel tertio ponendo quodpiam impedimentum. Jam primum fieri nequit; vis enim

cogitandi et volendi reapse est ipsa simplex animae substantia, quam posse etiam sine organis corporeis suas vitales functiones exercere paulo ante ostendimus; ea ergo vis tolli nequit, nisi ipsa simplex animae substantia destruatur, quae tamen a nullo ente creato potest destrui. Neque potest fieri alterum; nam ipsa anima est sibi objectum intime praesens: potest ergo inprimis se ipsam, suasque mutationes et affectiones percipere; potest deinde ex his Dei existentiam, ejusque infinitas perfectiones ratiocinando deducere, tum eundem amare, laudare etc. Denique non potest dici tertium; cum enim anima humana sine ullis motionibus corporeis interna sibi vi exercere queat vitales suas functiones, nullus fingi potest obex ab ente creato ponendus, quo ea impediri queat, quominus saltem se cognoscat, et ex suis mutationibus, adfectionibusque in cognitionem Dei ratiocinando devolvi possit.

Scholion I. Moritur corpus, quando motus omnes ei, ejusque organis solemnes cum circuitu humorum prorsus desinunt, atque id his desinentibus in sua elementa, ex quibus compositum est, dissolvitur, quae dein in alia corpora vegetantium et animantium transeunt, (remanente tamen sine dubio et superstite aliquo semine incorruptibili et non destruendo). Ex his autem rationibus anima destrui, seu mori nequit, quia in eam nullus motus, et nulla quies cadit; quia ex nullis partibus et elementis coaluit, in quae iterum foret dissolubilis et divisibilis; quia elementa corpus constituentia ad animam cogitantem nunquam pertinuerunt, quia anima cogitans ob simplicitatem suam, quae in antecedentibus satis evicta fuit, destructioni per vires naturae, quae adeo corporum elementa non destruit, non potest esse obnoxia. Id perquam egregie jam docuit Cicero (*Tusc. Quaest. I*). „Nil (inquiens) est in animis admistum, nil concretum, nil copulativum, nil coagmentatum, nihil duplex, quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, igitur non interire. Est enim interitus quasi discessus et secretio, ac diremptus earum partium, quae ante interitum junctione quadam tenebantur.“ Nequit igitur anima hu-

mana, seu per ens aliquod creatum destrui, seu intrinseca quadam causa naturaliter interire. Atque quamquam anima corpori fuerit unita, est tamen substantia ab eo prorsus diversa et independens quoad suam essentiam. Namque licet sensuum ope, idearum commeatum acquirat et colligat, propria tamen sua vi et vita fruitur, ad cujus utriusque exercitium corpore nequaquam indiget, quando nimirum abstractos conceptus efformat, novaque cogitata ex praegressis in infinitum producit, et ea omnia inter se comparat ac dijudicat. Nunc quia omnis essentia animae consistit in cogitatione cum conscientia et voluntate, atque haec essentia ad corpus plane non spectat et quadrat, et ab hujus essentia est alienissima, poterit etiam animae essentia perdurare mortuo corpore. Vita corporis nempe consistit in motu et vi generandi motum maxime humorum circulatorium, a quo omnes functiones corporeae. Vita autem animae absolvitur perenni conscientia omnium eorum, quae sentit, cogitat et vult. Sed conscientia haec et motus nil habent commune, ergo etiam corpus et anima non habent idem fatum, illius actiones per ens creatum, utpote in motibus consistentes non item hujus ab his distinctae impediri possunt. Et quia anima independenter a corpore toties potest operari, potest etiam independenter ab eodem corpore subsistere, modus quippe operandi sequitur modum essendi. Ens simplex et indivisibile quamdiu existentiam habet, essentiam suam non potest amittere; nam existentia sine essentia sibi contradicit; essentia autem consistit in vi cogitandi, et cogitationum suarum conscientia. Ergo etiam post mortem corporis, aut extra corpus posita existere anima cum sua vi cogitandi potest, nec ullo modo ab ente aliquo creato in in ejus exercitio impediri.

Schol. 2. Nullum ens corporeum per ens aliquod creatum annihilari posse, testatur experientia. Si lignum e. g. incenditur, partes aëreae, aqueae, igneae separantur, atque in aërem disperguntur, sed remanent terreae, quae cineres efformant. Partes igitur, ex quibus lignum erat compactum, dissolvuntur ac disjunguntur ab invicem; sed licet divisae omnes tamen adhuc subsistunt. Id ipsum aeque valet de corporibus, quae corrumpuntur et putrescunt. Dissolvuntur partes, quae mutuo nexu tenebantur; sed remanent adhuc omnes, adeo, ut adagium evulgatum sit, „in nihilum nil posse reverti.“ Porro si nihil corporei vi creata annihilari possit, sed omnes corporum partes conserventur, multo minus simplices substantias, ut humanae sunt animae, annihilari, et multo magis illas conservari dicendum est, utpote quae et superioris conditionis, et praecellentioris naturae sunt, ac corpora, ex quibus mundus hic coalescit.

§. 71.

Deus animam humanam annihilare non vult. *Probo.* Certum est, hominem a natura, vel potius ab ipsius naturae auctore Deo, comparatum ita esse, ut summum bonum, summamque beatitatem indesinenter appetat: id est a natura ita comparati sumus, ut quotiescunque idea verae felicitatis menti nostrae obversatur, illico necessarius ejusdem adpetitus in nobis enascatur, isque vehemens et nos ad veram illam nostram felicitatem exquirendam ac obtinendam constanter incitans. Beatum enim esse, tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sint boni; sed illud mirum est, quod etiam mali propterea sint mali, ut sint beati. Porro noster iste adpetitus non potest exsatiari, nisi ejusmodi bono, quod et summum est, et quod videamus nunquam nobis ereptum iri, quemadmodum unusquisque nostrum, si internos animi sui motus diligenter examinet, facile intelligit, ita ut fateri debeat, verissimum esse illud Tullii: „Si amitti vita beata potest, beata esse non potest.“ Jam certum est, hunc appetitum frustra non esse singulis hominibus insitum; supremum namque Numen dedeceret animis nostris instillare desideria, quae nunquam, etiam citra hominis culpam, explerentur. Quid enim id aliud esset, quam suis creaturis illudere? Atqui nisi intereunte corpore anima servetur superstes, et nisi expectanda esset altera vita, Deus frustra vividum illud beatitudinis desiderium animabus nostris inseruisset; siquidem in hac vita nulla est vera et perfecta felicitas, quae scilicet omnes expleat animae

facultates, ut nemo diffitetur, quod ejus sapientiae e diametro opponitur, aut Deus indendo verae felicitatis desiderium, quin tamen illud unquam explere intendisset, sibi in illudendo genere humano complacere dicendus esset, quod bonitatem ejus funditus everteret; necesse ergo est, ut altera nos maneat vita, in qua vera plenaque beatitudine potituri sint, qui divina praecepta servaverint. Non vult itaque Deus, ut anima humana post definitum quodpiam tempus in nihilum recidat, sed potius, ut in omne aevum perduret.

Scholion 1. Nonnulli in eo sapientiam ultra vulgarem evectam ponunt aevo nostro, quo ad tantum fastigium omnes Scientiae philosophicae ascenderunt, ut aphilosophi et pseudo-philosophi animam nostram rationalem tot dotibus praeditam in nihilum redigi statuant, aut cum illo pulvere confundant, in quem corpus demortuum fatiscit. Ipse hic pulvis, ipsa illa materia, ex qua corpus coaluit, hoc respectu immortalis est, quia licet a se recedat, et in sua elementa dissolvatur, haec tamen, ut diximus, supermanent, existere pergunt, agunt, patiuntur, iterum componuntur et dissolvuntur, quando materiam aliorum corporum naturalium, vegetabilium, animalium constituunt, et constituerunt (Semine individuali corporis non immutando, sed remanente). Atque illud ens cogitans, intelligens et volens, terra et pulvere infinities nobilius et eminentius, exuta et posita prorsus sua essentia et existentia mori et in nihilum abire deberet! Quotusquisque eo dementiae perveniet, ut negare audeat, si omnipotentiae divinae relictum fuit, ut existere inceperit anima, eidem relictum non minus fore, ut existere pergat, et existat in aeternum? Uti illud a liberrima ejus et absolutissima voluntate pependit, ita et hoc sine dubio ab illa pendebit. Uni eidemque absolutissimae voluntati creatio, et duratio entium subjicitur. Non negaverim, jussu et arbitrio Dei evenire posse, ut anima humana vertatur in nihilum, namque illam ex nihilo creavit. Verum annihilatio haec prorsus repugnat naturae Dei, si omnes ejus proprietates respicias. Audax igitur assevero, aut Deus existere desinit et sapiens, et bonus, et justus, quod vel somniare blasphemum est, aut anima humana per Deum non potest destrui, sed post mortem corporis sui existere pergit.

§. 72.

Ipsa gloriosa animae origo, ipsa ejus similitudo cum natura Dei cogitante, intelligente, volente, quia haec immortalis est, simul illius immortalitatem vehementer arguit. Indigna sane foret Creatore sapientissimo et optimo ejus annihilatio. Quis enim artificum facile id opus, quod deliberatissimo consilio perfecit; quod inter omnia a se profecta palmarium est; quod prae reliquis omnibus insignes, quibus ipse instructus est, animi dotes et praerogativas palam ostendit, et circumfert; quod tandem ei perquam placet et probatur, ipse iterum destrueret? An Deum artificiorum suorum splendidissimi, se ipsum referentis ita poeniteret, et puderet, ut ipsi nonnisi alicujus Ephemeri durationem possit indulgere? Quod si ita displiceret Conditori, ut illud negligi oporteret, et conservari haud operae pretium foret, anne praestabat, id plane non creavisse, quam ocyus destruxisse, atque hac durissima abolitione omnem creationem frustraneam reddidisse?

Scholion 1. Ut dubitantes et renuentes confundamus, excusso omni religioso, vel, ut vocant, fanatico praejudicio, attentissima indagine speculemur sublimem originem illius entis, quod in nobis cogitare et ratiocinari experimur, quodque a se ipso et per se ipsum, aut fato quodam exortum esse, nisi cum sana ratione insanire amemus, vix affirmabimus. Creatorem igitur ejus, dum admittimus, sordere forte nobis desinent, si sordeant, sacrae paginae, originem illius exponentes, sine quarum instructione omnis nostra speculatio frustranea foret et otiosa. Aequi saltem agnoscamus vetustissimi librorum historicam fidem, et discere cupientes in eo sequentia legamus: „Hominem autem Jova Deus, cum ex terrae pulvere formavisset, in ejus nares spiritum vitalem inspiravit, ex quo animatus homo est effectus. (*Genes. II.* 7). Anima ergo humana immediate exorta est a Deo ipso, qui merito eapropter vocatur Spirituum Pater (*ad Hebraeos XII.* 9). Discamus porro, Deum absoluto

admirabili creationis opere praevia deliberatione ita fatum esse: „Facimus hominem ad imaginem nostram, nostri similem.“ (*Genes I.* 26). Si bibliis, libro forte fabellis et narratiunculis referto, erudiri hac in re detrectemus, adeamus veterum Sophorum eminentiores! Hi licet subinde satis misere sine illis Bibliis philosophentur, animam tamen, etiam sine institutione inde hausta, aurae divinae particulam habuere cum Platone, Pythagora, et Peripateticis, eam ex ipsa divina essentia egressam, post mortem in hanc, ut fluvium in mare, regredi affirmarunt, postquam ex Pythagoraei placitis per corpora variorum animalium migrarat. Eapropter Cicero „a natura Deorum, inquit, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos, et libatos habemus.“ (*de divinatione lib. I. c.* 49). Et alibi: „Humanus autem animus deceptus est ex mente divina, et cum alio nullo, nisi cum ipso Deo comparari potest (*Tusc. quaest. lib. V. c.* 13). Non aliter Seneca,“ animus, inquit, si primam ejus originem inspexeris, non est ex terreno gravique concretus corpore, sed ex illo coelesti spiritu descendit.“ (*Consol. ad Helniam c. VI*). En! cum corpus humanum, ex limo terrae fabrefactum (nempe ex terra, aqua, et oleo, ut omnes Physici et Chemici norunt) divinam imaginem exprimere nequeat, etiam gentiles vel sola ratione duce agnovisse, animam Deo simílem esse, ejusque imaginem gestare. (Animam humanam partem Dei etiam habuit Epictetus *lib. I. c.* 1. Plutarchus *Quaest. Plat. lib. I. p.* 1001. *edit. Paris.* 1624. Marcus Antoninus *lib. V.* §. 27). Neque mirum! Totum consideremus universum, omnemque rerum creatarum complexum, nil in eo quam studiosissime indagato inveniemus, quod hominis, qui inter illas primas tenet, utilitati non inserviat, atque ad hunc tamquam ad ultimum scopum suum non vergat, et vel propinguius, vel remotius collineet. Pulchre aestimata hac Dei conditoris gratia et indulgentia confitendum necessario esse edixit Seneca: „Nos homines in deliciis illi fuisse; ad delicias usque amatos, magna accepisse majora non capientes.“ (*de beneficiis lib. II.*) Dum autem in natura rerum universa omnia sapientissime disposita videmus et obstupescimus, atque nonnisi uni intellectui infinito merito tantum ordinem, tantam elegantiam tribuere possumus, quale majus beneficium nobis suis adamatis conferre Creator, qualem praerogativam prae omnibus aliis suis operibus nobis indulgere poterat, quam vim cogitandi, intelligendi, volendi, qua ipse perfectissime pollet, nobis elargiendo et infundendo, qua prorsus a materia distinguimur. Haec nempe, his dotibus destituta, sui ipsius respectu considerata, cogitationis expers, suique non conscia, est quasi nihilum. Universus mundus materialis ea nobilitate et praecellentia non pollet, qua unica anima. Ignorat ille, quod existat, neque suis elegantiis delectatur, anima vero cogitans et sui conscia capax est omnium voluptatum, quae ex ipsius adspectu et fruitione emergunt. Hac facul-

tate cogitandi donati homines ad divinum ingenium evehimur et appropinguamus, atque bruta animantia ad nos appropinguantia valde superamus. De his nempe, licet non meris machinis, impossibile est asserere et evincere, quod intellectu polleant, ad divinum accedente, quodque ad ejus imaginem fuerint condita. Si divino halitu instructa essent, ut homo, vilissimum eorum non obstante rudi suo organismo, facile de primatu nobiscum certare auderet (ita BUFFON *Histoire Naturelle Tom. XIV. p.* 32).

Schol. 2. An Creatoris Sapientiae et bonitati contrariatur ens, quod inter omnia reliqua unum aptum est, ut eum et ejus opera cogitet, scrutetur, cognoscat, intelligat, miretur, ejus amore incendatur, ejus absolutissimum exemplar venerabundum intueatur, ad ejus perfectionem, quamquam virtute minus aequa nitens, tamen per incrementa indefesso studio capta propius accedat? An sinceros hos conatus a se insitos, ne nobilissimum finem tandem attingant, antequam natarum alarum remigio in sublime evehantur, implumes adhuc ipse inhiberet et praepediret? An menti, quos benefice elargitus est oculos, quibus erecto ad sidera vultu coelum eam intueri jussit, vix apertos, vix circumspicientes, vix jubar divinitatis ferre incipientes, vix sibi in aeterno lumine eminus detecto mirifice placentes, Pater Luminum ipse erueret et confoderet, aut immisssa densissima nunquamque deponenda cataracta, et aterrima amaurosi profundissimae noctis calligine mergeret in perpetuum? Sane qui Deum talem sibi fingit, ipsum iniquo percitum livore, neminem sui aemulum, neminem ex sectatoribus, imitatoribus et amicis suis ferre, sed omnes hos e medio sublatos, seque solum superstitem velle, improbus statuit. Ita blandissimus Societatis autor et amator, ita immensae suae felicitatis communis dispensator, austerus, invidus et misanthropus redditur Timon! Ita qui olim omnia, quae creaverat optima esse, et gratia sua refertissima laetabundus viderat, nunc devastationis et annihilationis vacuis speluncis et inanibus desertis delectantus, nunc infensus praestantissimorum suorum operum hostis, nunc in propriam suam laudem et gloriam ipse injurius, pristinae noctis triste, et densis tenebris offusum profundum barathrum, quod tamen vocata luce per vivificam vocem in ridentem Paradisum commutarat, tetricus praefert consummandorum spirituum a se ad suam imaginem creatorum aeterno sodalitio et satellitio, devotisque eorum acclamationibus, et nunquam finiendis jubilis. Absint in absolutissimum divinum intellectum nefario ausu sparsa ejusmodi dehonestamenta! Ut hic ab aeterno procedit, ita humanus ab eo proficiscens ad eum, et cum eo in aeternitatem tendit.

§. 73.

Animae humanae perpetua ad altiorem sui excellentiam progressio,

eam immortalem esse innuit. Omnes enim omnium artificum machinae per partium suarum compositionem et connexionem deveniunt ad sui complementum; ipsa machina corporis humani, Dei digito constructa, sat adulta adipiscitur summum gradum suae perfectionis. Apud animalia bruta nulla datur perpetua progressio ad altiorem sui excellentiam, sine institutione, sine reflexione, sine aviditate discendi, sine exercitio tendunt ad sui conservationem et propagationem. Plura ipsis haud data sunt, plura non impetrant, neque ultra ipsa nituntur. Ad status sui completi, cujus capacia sunt, terminum cito, intra paucos menses emergunt, ita ut deinde ipsi nil addi, vel debeat, vel queat, si adeo ultra saeculum viverent. Verum anima humana intelligens, in hoc mundo per gradus perfectior pedetentim reddi incipiens, desideratae tamen perfectionis suae metam non attingit, quia ejus dotes nullis finibus, utpote semper latiorem extensionem admittentibus, possunt circumscribi. Et illa sola per breve tempus commorata in orbe, et quasi abortu, aut partu praecoci inde ejecta, moribunda et annihilanda, Deum sibi dissimilem esse in suis consiliis accuset, sapientiamque ejus et bonitatem contradictionis in naturae ordine et creationis finibus gemens arguat?! Quis haec omnia justa lance ponderans ita statuat? Annon potius mortem corporis nostri transitum animae in perfectiorem vitam, ad latiorem doctrinarum campum, ad altiorem scientiarum sphaeram habeamus, ob intimam cum Deo communionem infinita ejus sapientia erudiendae?

Scholion I. Non bene et ex merito considerant animae humanae concreatas et indultas a Deo excellentissimas vires,

qui praecipites, ejus adeo facilem et certum cum corpore interitum sibi fingunt. Rubore indelebili eos perfundat Cicero, „Quid multa? inquiens, sic mihi persuasi, et sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem," *(in Caton. mai. c.* 21). Multa sane et admiranda praestat anima humana! Expendit perspicax integra systemata mundi, uniusque prae altero veritatem, vel probabilitatem dijudicat. Decurrit rapido motu evecta in sublime, Keplero duce eas edocta, omnium Planetarum orbitas. Elevat se se, et volat nictu oculi citius ultra illas, usque in coelum Ptolemei crystallinum, et Empyreum, vel Tychonis et Copernici Paradisum. Armato oculo tot soles, fixas et erraticas stellas, quasi in propinguo contuetur, ipsisque gallaxiae stellularum myriadibus se se immiscet. Accuratissimo et nunquam fallente calculo praedicit futuras solis et lunae ecclipses, ac utriusque maculas speculatur. Praeeunte Cassini et De La Hire vias crinitorum barbatorumque cometarum scrutatur. Alio tempore coelo redux terrae affigitur, ejusque globum peragrat, hujus quotidianum circa suum axim, annuum circa solem per suam orbitam motum, cum comitis ejus fidae, circumfluae singulis mensibus lunae itinere considerat. Modo super omnem habitatae telluris superficiem per omnes regiones et zonas evagatur, omnia earum vegetabilia et animalia, omniumque structuram, et usum lustrat; modo profundius viscera terrae penetrans mineralia contemplatur; modo ad ipsos antipodes cogitatione descendit. Nunc festinat per omnem Oceanum, Ansonoque longe velocius totum terrarum orbem circumnavigat; maris aestum explicare nititur, atque solers in ejus longitudinem inquirit. Nunc de atmosphaera globum terraqueum ambiente sollicita, aëris elaterem et gravitatem metitur et ponderat, gradus caloris et frigoris exacte determinat, nebulas et nubes, fulmina et tonitrua, pluviam et imbrem, arcum coelestem, pruinam, nivem et ventum profunda meditatione prosequitur. Sed longe plures dotes habeo, quas singulari Dei beneficio animae humanae indultas collaudem. A sensationibus incipiendo, ad ea per gradus procedit, quae ab iis sunt remotissima et alienissima. Singulas perceptiones sensuum ministerio impetratas, omnibus objectis diu remotis, imo vero non amplius existentibus, post multos annos ita in suum ordinem collocatas pro lubitu repetit, et ita sibi sistit, ac si illa coram adessent. Temporis praeteriti, praesentis, et futuri acta et agenda, visa et videnda uno obtutu contuetur. Vires suas, quas naturae dono obtinuit, arte acuit, et adauget; illas quibus ad meditandum, inveniendum, dijudicandum opus est, promit et in usum convertit, reliquis interea quiescere jussis, donec earum accessio et actio fuerit requisita. Viribus suis, vel singulis, vel omnibus libere agere incipit et desinit; ipsis quaecunque vult, ponderat et expendit, eligit, quod verum et bonum esse judicat, si

que errasse sibi videatur, se ipsam corrigit; ex certis phaenomenis naturae occultas leges hariolatur, et ad ipsas inventas omnia phaenomena revocat; perenni tandem conatu in singularum artium et scientiarum intimiora penetrat. Atque haec proficiendi et sciendi cupiditas omnibus mortalibus innata est, licet ab illis quam maxime sentiatur, qui bonarum litterarum dulcedinem semel degustarunt. Nullos illa limites sibi ponit, sed extenditur in infinitum. Dum ergo infinitis objectis occupatur, ipsa vis et potentia sciendi infinita sit, oportet. Nunquam et nullibi quiescit intellectus humanus, sed ardens desiderium cognitionem suam ampliandi, novasque veritates inveniendi in dies increscit. Quo ditior est, eo plura anhelat. Immensae longitudinis est scala, per quam adscendere satagit, quod eminus ipsi magnum visum est, id nunc valido molimine attactum, parvulum et humile ipsi videtnr; remotiora saltem indagatione digna habentur. In ipsa progressione vis sciendi, inveniendi, intelligendi augetur, et tamen omnium cognoscibilium cognitione anima non saturatur, sed perpetuum et aeternum ipsi objicitur plus ultra. An autem nobilis haec, quae non saturatur, fames, an, quae non restinguitur, arida sitis frustra indita, et tamquam poena brutorum fatorum lege immissa est mortalibus? Si moriatur anima omnino, doleo ego vices Neutoni, Boerhavii, Wolfii etc. quod pene supra humanam, quidem extensam, vanam tamen impenderint operam in inveniendo vero, quo Lactantio judice nullus datur animo dulcior cibus. Doleo Tuas Hallere et Haeni, qui inter sectiones anatomicas, inter experimenta physica et therapeutica consenuistis infatigabiles, et famelici tamen, ac sitibundi mortui estis. Doleo Litteratorum virorum omnium fata, qui chartis impallescentes in studiorum cursu vix inchoato, nunquamque absolvendo, abripiuntur subito, et in aeternam oblivionem dantur praecipites. Magnus est, fateor, artium liberalium ambitus, spatiosus et longe lateque patens campus, quem doctorum hominum solertia emetiri volet, et emetitur. Attamen eruditissimus quisque, si senex decrepitus abitum ex orbe paret, multis vanitatibus, de quibus sapientissimus regum Salomo conquestus est, se fuisse delusum et seductum, se puerum esse abecedarium, forte nonnisi dubitandi et interrogandi facultе pollentem, ultro confitebitur. Vastissima doctrina est cognitio ex parte, conjecturis, hypothesibus, erroribus scatet. Nostros defectus emendare et supplere conabitur posteritas, a sua posteritate iterum correctionibus et reprehensionibus excipienda. Praesens mundus saltem nostra est schola trivialis, vix gymnasium reale. In illa nonnisi tyrones rudimenta scientiarum addiscimus, sapientiam saltem degustamus primis labiis, multa possibilia scimus, raro probabilitates attingimus, rarius speciem veri assequimur, rarissime simplicem solidamque veritatem, saepe vix apti futuri respondere interroganti, quid sit veritas. Nimis, dum in terra degimus, animus oneratur rudi et ponderosa corpo-

ris sui mole; nimis distrahitur terrenis curis et necessitatibus, et languoribus, desideriis, affectibus, saeculi voluptatibus, vanitatibus, ineptiis, hominum luporum insidiis, amicorum infidelium artibus, hostium apertorum injuriis. Ita otio tranquillo ad verum indagandum necessario caret. Praeterea sensuales homines fallimur toties a sensuum illusionibus, atque incertitudinibus et dubiis immergimur, vixque aliter, quam abjectis corporeis vinculis, certiora et solidiora assequemur. Neque tamen tantillum, quod scimus, didicimus frustra; qualicunque demum fundamento jacto, anhelantes altiora, terrenisque litteris initiati, praeparamur ad coelestem academiam. Ibidem fontem limpidum et abyssum purissimarum veritatum, relictis humi et a tergo praejudiciis, fallaciis, dubiis et controversiis sumus inventuri, atque ex ejus centro arcanorum et mysteriorum naturae et gratiae, antea opinionum umbris et nebulis obtectorum, plenissimam et lucidissimam cognitionem cum incredibili voluptate hauriemus in aeternum. — Non potest voluisse Deus, ut per instinctum nobis ingenitum subtilior in dies reddita cogitandi acies, et augmentum perspicaciae infinitum admittens, subito hebescat, et obtundatur; ut radians scintillula locis oceano originem debens in sepulchri tenebris exstinguatur; ut sciendi desiderio per breve vitae curriculum gratis sustentato et illuso rigidus ponatur obex; ut benevole indultum in cognitione principium et mediocris progressus uno immiti ictu abscindatur. Nullibi auctor naturae saltum amat, ab ortu rerum ad earum terminum, sed in iis evolutiones perfectionum per gradus adornat, ab inferioribus ad superiores sensim ascendentes. Nos homines in utero materno vix aliam vitam viximus, quam vegetabilem, deinde editi in lucem mere sensualem; evolutis sensim facultatibus nostris ad rationem perreximus verum cognoscere avidi, pervenimus deinde ad moralem, bonum et malum discernentes; delati tandem sumus ad socialem, officia nobis incumbentia perspicientes. An vero sic attigimus gradum ultimum nostri incrementi? Minime! ad altiora nos natos ipsi sentimus. Cur ergo hominis cogitandi et intelligendi facultatem adolescere, quousque potest, et increscere, Deus non sineret, sed immaturam et vix laete germinantem mortifera falce abscinderet et destrueret?

§. 74.

Brevitas vitae humanae, hujusque miseriae immortalitatem animae humanae propugnant. Si enim attentius fluxam, evanidam et brevissimi saepe aevi hominis, eandemque non raro tot miseriis refertissimam vitam consideraverimus, confiteri

cogemur. non fuisse operae pretium, imo crudelitatem sapere, talem sine ulla spe immortalitatis hominibus conferre existentiam; sola enim haec spes brevi valde parcaque vitae usura donatos, et multifariis adeo afflictionibus vexatos mortales erigere, tranquillitatem, et solamen, quo asperiora sua fata deliniant, animis eorum conciliare valet; quodsi ergo haec spes vana et frustranea foret, sequeretur Deum creatorem eorundem, sibi complacuisse in eo, ut habitandum orbem impleat hominum ad perpetua et concatenata mala physica et moralia ferenda condemnatorum myriadibus, eosque brevi hac, miseraque, quam vivunt, vitae periodo, deliberato consilio facultate intellectus instruxisse, ut illa non sentire saltem, sed et eorum vim et durationem metiri, aestimare, ponderare, quin et futuras inde profluxuras adversitates praesagire, et ante adventum degustare, superatasque denuo ruminare, in perpetuam animorum torturam valeant; et deinde eos detrudere in orcum, in cujus profunditate absumerentur penitus; atqui haec et similia vel cogitare de Deo sapientissimo, et benignissimo nefas est; ergo spes illa, qua miseri homines in hac vita ca, duca animantur, futurae suae immortalitatis, nequaquam lubrico, sed firmissimo innititur fundamento.

Scholion. Norunt Medici, quantus sit in populosa civitate embryonum abortu excussorum foetuumque partu praecoci editorum numerus. Cui tandem bono servit haec vitiosa, imperfecta et nemini innotescens progenies? cui fini destinata est haec otiosa et inanis prohibitorum orbis incolarum superfluitas? Quid deinde sibi volunt tot pusiones, qui maturi maternum ergastulum egredi molientes, antequam vitalem auram trahant, ex consortio viventium jam egrediuntur? Sed ingrediantur inter ejulatus et gemitus sospites hanc adversitatum et aerumnarum vallem; hauriant, ut subsistant et incrementum capiant, lacteum suum ex mater-

nis uberibus pabulum; eheu! quam saepe hoc blandum et lenissimum licet, sua natura debilis ventriculus et intestinorum canalis in rodens venenum abire sinit, quod deinde ruditer vellicando tenellulos nervulos, intensissimos dolores, inflammationes, convulsiones, et inter eas citam mortem parit. Quodsi haec pericula feliciter evadant, erupturi deinde dentes, quibus ad comminuendum solidiorem cibum indigent, innumeros eorum necant, inducta horribili epilepsia, saepe saepius nobilissimis remediis frustra exhibitis, Parcasque inexorabiles haud placantibus. (*ita loquitur Hist. morb. Vratisl.* 1699. *p.* 54.) Immanem a sexto post Christum natum saeculo inter pusiones et interdum adultos stragem ediderunt variolae, ineffabilisque prorsus numerus eorum ad nostra tempora iis extinctus est, donec prophylaxis insitiva, nondum ubique recepta, inventa fuit. Taceo aegritudines alias, a quibus cum memoratis efficitur, ut ante 5 et 10 aetatis annum ingens hominum copia fatis cedat. Neque tamen operosa et difficili educatione superata, qua omnibus brutis animantibus prorsus non opus est, creberrimorum funerum finis; sed in ipso flore aetatis bene multi mares et foemellae, orbi, qui utrorumque vita nunc uti incipit, subito valedicunt. Non pauci sunt, quos e molli sanguis pulmone remissus, ad stygias certo tramite ducit aquas. In omnibus civitatibus quotannis tumulantur juvenculae, a partus et puerperii discrimine oppressae. Omni tempore terribilis pestis et febrium malignarum voraces epidemiae, suppetias ipsis ferente annonae caritate et fame, vel et sola aëris pravitate, incredibilem vim hominum utriusque sexus ac omnis aetatis in tumbam praecipitarunt. Sane integer hic catalogus, quem conscripsi, vitae brevitatem luculenter, et uno in conspectu sistit. Atque de omnibus, quos continet, si quando moriuntur, prorsum esse desinant, tuto affirmari potest, vix operae pretium fuisse, quod vixerint. Nihilne aliud omnium lubrica sors involvebat, quam ut in mundi hujus theatro comparerent, instabiles, et post ambiguam personam actam fugaces abirent? — Sed progrediamur ulterius! illosque mortalium paullo attentius consideremus, qui nonnisi decrepiti senes, et edentulae vetulae efferuntur. Hae, et illi uno forte nomine maturius elatis anteponi merebuntur, quod miserias et amaritudines vitae humanae longiori temporis intervallo ad nauseam saepe degustaverint. Hominem totum a nativitate morbum esse pronunciavit Hippocrates, raros videas, qui prorsus vegeti et incolumes suos non patiantur manes. Multo frequentius homines morbos patiuntur, quam bruta. (*Stahl diss. de hoc momento*) Dum nascimur semen in nobis nascitur brevi germinaturorum morborum. Jure haereditario gravissimi eorum ab avo, ad filios, nepotes et posteros propagantur! Incredibilis est numerus hominum cum odiosis pathematibus hypochondriacis, et histericis, sine radicali medela impetranda conflictantium! O quam horrendi calculus et solvilumba podagra tot miseris mortalibus sunt tortores! quot aliae dantur furiae dolorum ipsis graves!

quam ingens est longorum morborum caterva, ita ferientium, ut iis affecti et lectulis tenaciter affixi, immedicabilibusque languoribus confecti, mori se sentiant. Quot homines ad lentam mortem ducit exedens eos, et torrens pulmonalis phthisis, et varii generis alia, quot eorum inter mille angores suffocat crescens sibique indulgens dirus hydrops! — At vero gaudeant a morbosis afflictionibus immunes aliqui, illibata ad ultimum senium valetudine, placidaque tandem lysi mundo exeant. An proinde, dum plena sanitate fruuntur, vitam degunt dulcem, tranquillam, et ab omnibus adversitatibus liberam? O bone Deus! quam immensum agmen harum datur etiam sanissimis grave et onerosum! Pauperes jacent per totum orbem ubique. Videas infinitos turpi egestate ad incitas redactos ostiatimque stipem petentes, ut sibi et suis famem depellant. Videas in sudore vultus panem, parcum, durum, furfuraceum manducantes, atque nihilominus omnes vires laborando exhaurientes, ut habeant saltem, de quo miserum spiritum sustentent. Artem omnium nobilissimam agriculturam, cujus difficultates, ducta caesarea manu per aliquot jugera stiva experiri voluit Josephus II. exercentes despecti coloni, quot improbos labores per totum annum subire coguntur, bobus suis et equis, quos incitant, pares non raro ab immiti Domino habiti. Iniquae potestati subjecti, miseroque victu nutriti, impigris lacertis undas sine requie sulcant remiges, noctes atque dies ventorum ludibriis, omnibusque aëris injuriis expositi. Capitis perpetuo periculo descendunt in subterraneas cavernas, et per obscuros cuniculos serpunt metalli fossores, ab omni hominum consortio remoti, in tenebris dum adhuc vivunt jam semisepulti, venenosos, qui in abditis et coecis speluncis includuntur, halitus sine fine inspirantes, donec languidam vitam ponant. Ore quantumvis truci, et minaci oculo, excelsi quidpiam prae se ferre videantur strenui milites, exiguo tamen stipendio instructi, vitam atro et duro pane, et simplici aqua servatam omni momento floccifacere, et irretortum pectus ferro et igni objicere jubentur, rigidissimae disciplinae subjacentes, mutili (nisi providum et benignum Regimen aliter disponat) mendici tandem futuri, si tot ancipites casus superstites exantlaverint. Quam immensus est in habitato orbe, duro et tyrannico sub jugo gementium mancipiorum numerus, quibus, dum constanti et honesto labore facultates sibi parare proprias nequeunt, nulla alia fortuna superest, quam ut vilissimo cibo sustentati vivant, et mancipia, aut forma humana induta jumenta esse pergant. Quot suut, qui in squallore et caligine carcerum arctis compedibus vincti, insontes etiam, dies suos sine sole absumunt. — Bene multos videas, quos, quasi in ergastulo detinerentur anxii, oeconomica dissidia et contentiones cum familiaribus omni vitae dulcedine privant. Ante diem saepe maleferiati et degeneres filii patrios in annos inquirunt, genitoribusque saepe nimis indulgentibus, vera familiarum dedecora, molestias et vitae taedia corruptis moribus pariunt. Aliquando

morosa et jurgiosa Xantippe optimi mariti patientiam exercet et fatigat. Aliquando luxuriosus, prodigus et simul superciliosus herus, amabilem thori sociam negligit, contemnit, et conviciis lacerat. Aliquando rara fratrum gratia efficit, ut alienati a se invicem mille taedia sibi creent. Sique interdum inter eos, qui necessitudinis vinculo junguntur, pax et dulcis tranquillitas vigeat, improvisis mortibus turbatur et interrumpitur. Dolet sibi ereptam fidissimam et blandissimam uxorem viduatus maritus. Luget derelicta conjux praecocia fata candidi et unanimis sui socii. Non sine moto misericordiae affectu orphanos manus ad coelum extollentes, acerbasque lachrymas fundentes contueor, parentibus fato functis, nil habentes, quo juventur et sustulciantur. Neque minus eorum vices sincere doleo, qui omnes suos pretiosissimos thesauros, cum probatis amicis morte peremtis amisere, nostro hoc saeculo, quo amore proximi pene extincto, quivis sua saltem commoda curat, etiamsi aliorum manifestis incommodis inique prorsus parentur. Mentis autem et corporis oculos studio claudam, ne in hos incurrat copia debilium a potentioribus, ignobiliorum a nobilioribus, pressorum et oppressorum; judicumque et causidicorum astutiis et tergiversationibus, jure suo in apricum posito, defraudatorum; ne videam innumerabilem multitudinem miserorum, quos avaritia, livor, vindictae cupiditas, superbia, inhumanitas, malitia per annos prosequitur. Si ratione destituerer, dolores et angores qualescunque minori longe, quam dimidia ex parte, sentirem ego miser, sed illa instructus suaviorem longe brutis animantibus sortem invideo, jusque ipsorum mihi denegatum esse acerbe doleo. Si durissimo, atque ad equinos et bovinos accedente labore vita mihi exigenda est, et tum quando exacta est, totus esse desinam, cur ex illa corporea massa aqua, oleo, terra, quae hominibus et brutis est communis, ex qua quadrupes animal efformari potuisset, ego homo efformatus sum, illo, dum miseriarum mearum, quas illud ignorat, sum conscius, multo infelicior. Ita sane expedit, et me decet, ut mortem tamquam pretiosissimum donum quantocyus exoptem, sique ad ardentia mea vota advolare renuat, sumto ense, vel hausto veneno mihi illam consciscam. Ita nempe divinae injustitiae me sapienter oppono, eamque me sine ratione persequentem callidus et sat fortis eludo, et de ea in ipsis sepulchri tenebris, abjectus licet pulvis, tamen apertum splendidissimumque ago triumphum. Nihil enim mihi est cum orbis creati amoenitate et pulchritudine; non me recreat novum ver versicoloribus suis floribus; non me alliciunt umbrosa vireta, non prata murmurantibus leniter rivulis irrigua; non mihi blanditur vinifer et pomifer autumnus; non alio fine mihi lucet oriens sol, non alio mihi splendet candida luna, quam ut horas, dies, noctes, menses et annos moerorum et aegritudinum exacte numerem. Dum in jucundissimo caeteroquin hujus mundi theatro gemo, nullius gaudii particeps, mihi id abit in triste desertum, hispidis et hamatis spinis et vepribus me assidue

pungentibus refertum. In eremo quodam Lybiae me constitutum et rejectum doleo, ferarum bestiarum morsibus, serpentum viperarumque ictibus continuo petitus. Cur ergo in eo invitus morarer diutius, nullum ex eodem exitum, nullum vel e longinquo calamitatum et aerumnarum finem prospiciens, aut conjiciens: Nefas mihi est, sperare laetius habitaculum, eja ergo! cum infausto sub sidere me natum esse merito taedeat et pigeat, omnesque tandem irrevocabili fato in regnum tenebrarum descendamus, a vermibus toti quanti absumendi, maturem meum in illud ingressum, et tragoediam vitae praecisis pluribus tristibus scenis, finiam; propriisque manibus carceris, qui me ejulantem comprimit ferrea claustra fortiter difringam. — At o sanctissime, sapientissime et optime Deus, ignoscas Te graviter offendenti insanae temeritati! Non potuit immensae Tuae et absolutissimae bonitati ea mens fuisse, ut quoad vixero, gravissimum sub jugum missus, interque gemitus perpetuos patiendo maceratus et subactus, desperatione comite, dies mihi praescriptos exigam, et deinde in nihilum redigar. Non ita acerbo ludibrio me habes, non in eo titillantem voluptatem ponis, ut me inter aerumnas existere incipientem, pergentem, desinentem, spectaveris ad tempus, prorsus deinde e medio tollendum. Non rides mea infortunia, sed permittis et dirigis ea, sine dubio, me licet nesciente, ad finem salutarem. Ipsa tua infinita gratia te certum, te fallere nescium sponsorem nobis sistit, fore, ut sub tumulo non cessaturum sit cogitans nostrum et intelligens Existere. Cum per rationis donum, dum vivimus plura saepe mala, quam bruta irrationalia, patiamur, et acutius ea sentiamus, jure etiam plura bona magisque sensibilia prae illis in futurum sperare nobis aequum est; alioquin enim mitius longe et felicius fatum ipsorum esset, quam nostrum. Hoc autem ordini inter res creatas bene et sapienter stabilito adversaretur. Solus homo facultate insita pollet semet meliorem et perfectiorem cogitandi, ac nunc est; haec facultas ipsi de adversis et imperfectis conditionibus suis dolenti in poenam, qua sine votorum suorum impletione tandem obtinenda, gratis cruciaretur data esse, ab optimo vitae auctore nequit.

§. 75.

Exoptatissima etiam, et felicissima vitae humanae conditio, pro animae humanae immortalitate decertat. Nam etiamsi talis multis videatur invidenda plane, vere tamen illis, qui ab aliis felices habentur, talis non habetur, sed defectibus, imperfectionibus adhuc referta creditur, et sen-

per mutationibus in melius egens. Quivis mortalium voto suo damnatus, novum ex eo progenitum sentit; ex desideriis impetratis, alia in infinitum excluduntur. Quivis emendatiorem sui conditionem inquietus perpetuo anhelat. Plena tranquillitate, summo et unico animorum bono, nemo hujus orbis incolarum fruitur, si ab infima eorum classe per scalas ad summam, investigatione accurata procedamus et ascendamus. Constantiora et solidiora, et ampliora bona, quam quae tenet, appetit et anhelat inter mortales, rex et colonus. Atqui haec in toto hoc universo non inveniuntur; ergo vis haec hominis ultra omnes limites impigro conatu se se extendens et immortale bonum exoptans, nisi eam a Deo creatore infusam gratis, et sine ultimi scopi attactu, quem indesinenter petit, interituram dicere velis, consummatam requiem tunc primum invenire potest, dum votorum suorum et desideriorum complemento et absolutissimo fine potiatur: quod cum nonnisi trans hanc, quam vivimus, vitam fieri possit, hominem etiam post hanc superstitem mansurum liquet.

Scholion. Pervolvamus omnia historiarum monumenta, atque invictissimos omnium saeculorum heroës, ad culmen gloriae evectos adspiciamus. Terrore augusti nominis omnibus vicinis incusso, et per universum orbem diffuso, jaceant ante pedes ipsorum devictae gentes; repant circa eos viles et garruli adulatores; extendantur imperii limites versus omnes mundi plagas; erigantur superbissima trophaea, aeternos honores pollicentes; ducantur splendidissimi triumphi; ebuccinet loquax fama armorum victricia fulgura, urbium expugnatarum rudera, illatam inter sanguinis rivos hostium millibus stragem; tradant res gestas ultimae posteritati in stuporem conjiciendae sacro aestu perciti Poëtae. An tandem caedium, bellorum, rapinarum finis? Nil minus, avaritiae, gloriae, et insatiabili cupidini famae, nil invium, nil remotum videtur. (*Curtius XI. c.* 2.) Totius orbis imperium Alexandri, aut Napoleonis mente conceptum adhuc restat, si vel communis gentium latronis elogium cum eo conjunctum fuerit. Verum missis his supremorum domino-

rum terrarum mariumque, ac arbitrorum rerum humanarum superbum titulum affectantibus, honorum et possessionum sectatoribus, venatoribus, raptoribus, procedamus ad illos, qui sordido palliolo tecti, noctes atque dies nummos suos augendi, pertinaci et infatigabili studio exercentur, an horum flagrantibus optatis metum ponunt impletae attalicis opibus ingentes ferreae cistae, ante quas perpetuas excubias agere solent? Sane semper adhuc inhiant pluribus, in mediis undis sitibundi Tantali: et inter immensas divitias inopes divitiarum mendici, quibus corrasum ex exhausto Tago, Pactolo, et Hermo aurum nondum sufficeret. Rident hos, qui unicam vitae felicitatem in degustandis omnis generis voluptatibus ponunt, sensuum mancipia. Ferax eorum est, dum liberrimam omnium fruitionem indulget, nostrum saeculum, in quo fere quidquid libet, licet. Inultae quippe permittuntur turpissimae illecebrae; hilari mente exultatur in flendis gaudiis; Bacho et Veneri strenue litatur; festivis choreis et concentibus musicis, seria in crastinum relegantur. Sed qui his omnibus quam maxime afficiuntur, non assequuntur tamen, quod instabilem et vagam cupidinem figat; multiplici varietate huc illuc trahuntur mutabiles animi; quas hodie ardenter appetierunt, deliciae, cras ipsis sordent; nectareum et ambrosium saporem vix perceptum insuperabilis nausea insequitur. Nonne ergo tandem ambitiosi et avari omnes, cum deliciarum mundanarum asseclis et amatoribus, quando intus conatum stimulumque progrediendi ulterius, suamque felicitatem extendendi et augendi, perfectioremque semper sui conditionem assequendi pertinaciter sentiunt, licet illum minus bene collocent, et ad metam perversam dirigant, nonne tandem omnes illi convincerentur, vim inesse humanae menti insitam, qua ad meliorem statum adspirat, et tendit, in quo demum contenta acquiescat. — Meliori omnino et rectiori ordine ad hunc ultimum finem vergunt, qui nil sibi conscientes, nulla pallescentes culpa, neminemque sine virtute felicem beatumque et tranquillum esse posse convicti, ad hanc animi nervos omnes intentos unice dirigunt, affectibusque et concupiscentiis pravis imperant, quibus si se permitterent, a justo tramite declinarent, et in avia et praecipitia aberrarent. Multum omnino est, in nulla re ponere gloriam, quam in aequi, justi et boni studio, et exercitio; nihil antiquius habere, quam in miserorum sorte feliciore reddita propriam felicitatem quaerere; opes suas pauperibus juvandis impendere, et erogare; mentis suae vires erudiendo et emendando ignarorum coetui sacrare; leges naturae uniuscujusque cordi inscriptas, actionum suarum unicam normam constituere. Parit harum innocentia, et integritas si non semper, interdum tamen bonorum plausus, superiorum praemia, insignem nominis famam, et dignitatem, et, quod magis est, dulcem animi tranquillitatem. At optima optimorum opera manent imperfecta, omnis inde emergens et parta felicitas, quae in terris datur, caduca tamen est et manca. Quam bene, postquam

magna sua opera, et faustos in omnibus, quae sibi proposuerat successus, enarrarat mortalium sapientissimus, quam bene pronunciavit: „Verum cum intuerer in omnia, quae manibus meis feceram opera, inque laborem, quo in faciendo functus eram, inveniebam, omnia esse vanitatem, ac animi molestiam, nec quidquam esse sub sole excellens. (*Eccles. II.* 11.) Certum est, quo magis sapimus, eo minus mundana omnia desideriis et votis nostris sufficiunt, eo ardentius constantiora et solidiora anhelamus. Anne autem plenam et constantem felicitatem appetens urgentissima fames, hic non satianda, plenam perfectionem poscens ardentissima sitis, hic non restinguenda, luculenter probant, aliquam talem felicitatem alibi dari? Neque enim natura nostra, quae insito conatu intellectus et voluntatis in illam tamquam ultimum finem nititur, a Deo ejus autore decepta in nihilum ruere et nihilo occupari potest. Non nescio esse, qui Deum hic excludunt, et ad tepida phantasmata referunt ab eo hominibus insitum immensum felicitatem suam extendendi et stabiliendi desiderium, id saltem philautiae nimiae tribuendum esse asserentes. Sed falluntur prorsus! Etenim si menti nostrae non ab illo infusum, et concreatum foret, ipse infinite bonus et ipse amor, non foret amoris, quo in nosmet ipsos natura ferimur, id desiderium necessario involventis, autor. Ratum ergo illud habere debet, et eapropter, ut gratis eo torqueamur ad mortem usque, tumque subito et penitus eo excidamus, voluisse nequit. Quando ipse nobis insevit facultatem meliorem semper sortem sentiendi, volendi, exoptandi, desiderandi, sperandi, illa non potest esse frustranea, verum ad scopum ab eo directa sit oportet; non ergo nos fallet, sed quod sic tacite nobis sanctissime promissit, exequetur suo tempore, datamque fidem certissime liberabit. Unica cogitatio: ἔςαι πάντα καλῶς quemcunque volentem nec uno voto viventem, sed impleta continuo transcendentem solatur, efficitque ut tranquillus interdum sibique sufficiens acquiescat, sine illa violento et nimboso turbine, quaquaversum perpetuo agitatur, dum vivit, jactaturque. Renascens tamen iterum iterumque meliorum desiderium irritum omnino et vanum si foret, homo, qui inter res creatas principatum tenet, ob rationis donum, quo prae illis pollet, hujus respectu, dum unus omnes vanitates vitae hujus intelligere, expendere, dijudicare, deplorare valet inter res creatas esset infelicissimus.

§. 76.

Mortis timor, vitae longaevae, imo perpetuae desiderium, nos non totos cum corpore morituros probant: Cum enim mortis timorem sola ratio efficiat,

utpote sine qua illam ignoraremus, ea sine spe immortalitatis caruisse praestabat homini, et dulcem brutorum, mortem ob defectum rationis haud timentium, sortem nancisci; secus coelitus hoc hominibus concessum donum, rationem puta, matrem desperationis humanae recte appellaveris; quod cum, nisi ratione missa, statui possit, nec spem immortalitatis, nisi a rationis experte, vanam declarari posse, patet. Desideriorum porro humanorum primum et palmarium est, vita non saltem longa, sed et in perpetuum prolonganda. Mortalium enim pauperrimi dies suos inter perpetuas aerumnas trahentes, dolorosis aegritudinibus per annos fracti, quin violenta morte perimendi nebulones, differri fatum, quousque potest, toties exoptant, vivere adhuc ad breve etiam tempus anhelant. Latet ergo in cordis nostri, mortem aversantis, vitaeque usuram vehementer cupientis penetralibus abdita spes, faustum omen, arcanum praesagium futurae nostrae durationis. Qui hanc ardenter exoptat, eo ipso argumento invincibili probat, quod talis nos expectet. Quomodocunque itaque Deum, ejusque idiomata consideraverimus et expenderimus, undique Is vitae non interiturae hominibus evadit fallere nescius promissor. Infinitae enim ejus sapientiae tristis operum suorum praestantissimi annihilatio prorsus contrariatur. Quis non abhorrere a sanctissima ejus justitia statueret, ardentissimo voto, quo tamen ingenitae legi naturae mei conservationem serio inculcanti obsequor, eluso, tremendam totalis mei interitus decernere poenam? Atque quomodo summae ejus bonitati congrueret, ut ipse me destrueret, et in nihilum redigeret, qui me ita creavit, ut praesens mea conditio

perfectiorem admittat, et in aeternum perfectionis incrementa capere queat? qui me ita creavit, ut mei annihilationem horrere, perpetuam autem conservationem necessitate naturae meae exoptare debeam?

Scholion. Quando fatorum immutabili ferreoque ordine omnium versatur urna serius ocyus; quando omnes una tandem manet nox, nos in aeternum exilium impositura cymbae; quando omnes victimae futuri sumus nil miserentis orci; cur diris anxietatibus, cur perpetuo timore exanimamur, antequam tandem occumbamus? cur ad aeternas Erebi tenebras naturae maledictione damnatis innata est facultas inter acerbas lachrymas futurum exitium indubitanter praesagiendi? Ratio nostra sola efficit, ut mortis, quae omnium terribilium terribilissimum est, timor tremorque in nobis nascatur, crescat et perduret, quem sine illa ignoraremus. Ob ejus defectum nihil prorsus mali bruta patiuntur. Nullam calamitatem, nullum damnum, quod ipsis imminet, horror et timor praegreditur. (*Horat. lib. I. ode XI*). Nullum animal quaerit scire, quem sibi finem Dii dederint. Nulli crudelis Atropos occat filum, quod invida Lachesis acerba formidine per annos extensum neverat. Unicus ictus ipsis cruciatuum initium est, et finis. Dum canes immissos minaci dente dilacerat indomitus aper, nescius fati, quod se ipsum manet, gladio venatoris confossus cadit. Firmo, nequaquam titubante pede graditur bos, quando violentae cladi minus praevisae obviam incedit, atque jam per cornua ferali fune vinctus, dum inversa lanionis securis lethiferam plagam ruditer intentat, intrepidus prosternitur. Innumera, antequam adolescat, cultro jugulatur vitulina progenies, caedis, quae sibi instabat, feliciter ignara. Ludit in molli gramine agnus, et incurius subsistit, brevi mactatoris sui inclementiam experturus. Non vitae suae metuit, sed saltem canum insequentium morsus evitare nititur, dum latebras quaerit, pavidus lepus, liberque ab iis pernicibus pedibus per arva sine sollicitudine currit, plumbea glande a venatore trajiciendus. Culinae inferuntur quotidie varii generis volatilia, quae omnia, vel domi saginata, vel alarum remigio quaquaversum antea vagantia nesciunt, se brevi trucidanda, et in humanis ventriculis sepelienda fore. Homo solus omnium animalium Dominus et Rector, orbis imperium manu tenens, ad astra grassans, summus Heros, sapientissimus Philosophus, excellentissimus Artifex hac tranquilla ignorantia, hac fortunata et invidenda praerogativa caret. Solus in causas et ordinem fatorum suorum anxie inquirit, distracto in diversos affectus animo, curis et sollicitudinibus insomnis angitur, nil sperare ausus, sed perpetuo timore trepidans. Imminet nempe cervici, velut e seta equina pendens gladius, certa et inopina mors, omnes ejus

conatus, omnia ejus inania studia acerbe elusura! O teterrimam aterrimamque futurorum faciem! En universum orbem rationalem dira eorum formidine concussum! En Deum immisericordem rapacibus quasi faucibus illum arripientem! Myriades hominum nascuntur, hoc genere sublato, aliud succedit, cur tandem? ut omnes cum dolore et anxietate sentiant, quod sint, et quod esse brevi sint desituri. Nobilissimum illud ens, quod nullis coërcebatur terminis, quod omnem habitatum orbem mira celeritate pervadebat, quod extra eum rapido volatu in sublime elatum ultra planetarum orbitas evagabatur, ens illud coelestis originis, sui ipsius, omnium, et ipsius Numinis densissima calligine mersum obliviscetur in aeternum? Quando demum etiam universa natura, ad sui excidium matura, morietur; quando omne, quod fuit, spissae tenebrae obducent, quando tandem fractus illabetur orbis, pavorque quotidiano et concatenatis aerumnis confectos mortales ruinae ferient; cum universo genere humano jacebit sub fatalibus intereuntis creationis ruinis, inerti et bruto et turpi luto inmista et confusa materia, quae olim adeo acute cogitabat, atque in vetusto Chao, in rudi illa indigestaque mole computrescet! Sed satis turpium, et in Sanctissimum Numen injuriarum declamationum! Sola insanire non amans sana ratio aures suas studio non obturantibus altissima voce inclamat:

Non omnis moreris, multaque pars tui
Vitabit Libitinam.

O beneficum Numen! hominem indelebiles notas tuae gratiae et clementiae gestantem deliberato consilio produxisti. Permisisti, ut suam destructionem praevideret, ut ejus perenni timore angeretur, dedisti ipsi facultatem se brutis praestantiorem hisque superstitem cogitandi et exoptandi; non poteras nobilissimae inter res creatas, ideas permansurae felicitatis et duraturae melioris ac perfectioris vitae cum ejus desiderio infudisse, et simul voluisse, ut morereturin aeternum, quando vix vivere inceperat. Sane, si hominibus non secus ut brutis intereundum est, homo inter res omnes visibiles a Deo creatas non amplius esset optima et nobilissima, sed abjectissima et miserrima. Solus enim homo primum et ultimum suum desiderium, ultimum suum finem tamquam impossibilem, foede deceptus, non assequeretur, quem tamen assequuntur bruta. Haec nempe, si ipsis alimenta sufficientia, satque simplicia non desint; si sua libertate fruantur; si sibi similibus jungantur, absolutissima sua felicitate potita sunt, ultra quam nil quidquam, vel volunt, vel curant. Metam nempe ultimam sibi praefixam ita attigerunt, nam ultra sensuales perceptiones haec non extenditur.

§. 77.

Hominibus propria famae posthumae cura, immortalitatem animae humanae loquitur. Habitat enim in utroque cordis thalamo, perpetuo agens, neque unquam coërcendus nobilis stimulus et conatus sempiternos honores nobis asserendi. Non Reges saltem et summos Principes, sed et sellularios artifices, et incultos agricolas invitat generosa talis ambitio: quando illi excelsos collossos erigunt, hi, exstructa straminea et limosa casula, nomen sibi parant. Universale autem hoc immortalitatis studium, indefessum hoc et infatigabile molimen, quo superstites esse post fata, et abfuturi, adhuc adesse adeo vehementer exoptamus, evidenter probat, ultra sepulchri terminos non vanam spem extendi debere, futuramque post mortem vitam adhuc expectandam esse. Pulcherrime hoc ipsum jam perpendit Cicero (in Catone majore. c. 23.) „*Nescio* (inquiens) *quomodo animus erigens se posteritatem semper ita prospiciebat, quasi cum excessisset e vita, tum denique victurus esset, quod quidem, nisi ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur.*“ Tum (Quaest. Tusc. L. 1. c. 14.) ait: „*Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sunt, maxime quidem, quae post mortem futura sint. — — — Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro Patria offerret ad mortem.*“

Scholion. Raro inter homines, si ad infimos processeris, aliquem invenies, qui sui oblivionem paret studio, vilissimis

nebulonibus exceptis, dum sublimiores animas famam suis factis extendere operosissimo conatu allaborant. Ipse Epicurus, quod notari meretur, quamquam immortalitatem animae negaverit, non tamen firmae spei renunciavit, fore, ut nomen ejus et fama superstes per discipulos ad posteritatem propagaretur (*Diogenes Laërtius in vita*). Non semper sola libidine habendi et plura possidendi fines suarum ditionum adhuc ampliare gestit immensarum jam Dominus, sed, ut sciat, et reminiscatur remotissimum aevum, ipsum eousque, superatis omnibus obstaculis, penetrasse. Non adeo sanguinem sitit invictissimus heros, ut tot innocentes, qui ipsi nullam injuriam intulerant, ad orcum missos cupiat, sed super cadavera humana cruento tramite ad templum honoris saltem viam sibi parat, ut nomen suum et imago in eodem splendeat, atque ut erecta trophaea miratum praesens saeculum, venturis illustrium facinorum memoriam tradat. Quis incitat pacis dulcedine et quiete fruentem summum Principem, ut, dum avitam eandemque longe lateque patentem et magnifice exstructam regiam inhabitat, magis superba, magis sublimia palatia adhuc erigat, eaque conquisitis et accersitis undique artificibus, et advectis ex regionibus peregrinis decoris, marmore, auro, picturis, aulaeis exornet? Non puto eum tantum in hunc finem ita agere, ut gloriabundus exclamare queat: „*Haec est magna illa Babylon, quam ego aedificavi, in domum regni, in robore fortitudinis meae, et in gloriam decoris mei.*“ (*Daniel. IV.* 27.) sed ut splendidissima et altissima aedium moles, tectaque centenis columnis nixa temporum injuriis resistant, et conditoris elogium seri aevi spectatoribus enarrent. Ipsi, qui integras urbes exstruunt architecti, et earum moenia prima fundant, et arces excelsas moliuntur, et assurgentes in coelum turres, suas has esse reputant, quibus servandam sui perpetuam recordationem committant. Chartis impallescunt literati viri, in adultam noctem dormientibus diu aliis, lucubrationibus vires exhauriunt, hominum equidem salutem et commune publicumque bonum praefixum tenentes, at simul oblivionem sui per saecula vindicare satagunt. Dum heroum, aliorumque magnorum hominum laudes phoebea lyra concinunt Poëtae, ipsorumque res praeclare gestas ad remotissimam gentium propaginem transferre nituntur, sacram tacite sibi ipsis lauream texunt, cujus decus nunquam marcidum futurum sperant. Vix historicorum aliquis, calamo intincto inter doctas meditationes victura monumenta parat virtuti et illustribus factis, qui posteris claram simul futuram suam per edita scripta gloriam, non confidat. Mandant coloni terrae matri semina, expectantes inde progerminatura pineta et querceta lento incremento per annos in altum se se expansura, grata ipsis est quaevis nascens arbuscula venturis factura nepotibus umbram, quae cum sociis suis satoris atavi et tritavi, cujus beneficio omnes stant, eorum memoriam olim ipsis refricabit. At non est opus ut pluribus exemplis probem veritatem, quam omnes intus senti-

mus, insevisse naturam humanae animae seriam illam curam famae posthumae.

Schol. 2. Si rapida mors totum nostrum Esse absorbeat, et e medio tollat, non amplius dulce erit, pro Patria mori, sed ridiculum, absurdum et insanum. Quid te juvat inclyte heros! hectorea tua et vinci nescia animi magnitudo? cur sanguinem tuum incitat flagrantíssimus zelus? cur martio ardore, generoso ausu, irretorto pectore, terroris expers omnibus periculis obviam incedis?, cur gloriosa morte occumbere, cur in lecto honoris spiritum reddere gestis? Omnis tua mascula virtus eleganter mimica est, et ad theatricas fabellas referenda. Ardes pro Patria mori! quale somnium! quale delirium! Si ex vulneribus inflictis cum sanguine effluente anima effluat, et tu tum esse desinas, injuste tecum agit Patria, si illum exposcat; sibilos mereris, si eidem obtemperes; namque ipsi tantum sacrificium neutiquam debes, imo vero haud toti orbi, si de ejus felicitate servanda ageretur. Lege naturae obligatus es, ut te ante omnia ames, et conserves, mundus universus vitae tuae pretium non aequat. Si omnem tui existentiam vesanus extingui pateris, latro es omnium sceleratissimus et nefarius Suicida. Nempe barbarus ille et furens enthusiasmus sanae rationi adversatur, et turpissimum est crimen; neque audire potest magnanimitas, sed est stulta superbia, est temeraria aemulatio, malesana et brutalis rabies, infernalis vindictae cupido, et quae helleboro opus habeat, heroica dementia. Plura dicam: cum moriente anima humana non saltem omnis animositas bellica, sed omnis probitas, integritas, aequitas, prudentia, omnis denique virtus emoritur; cadunt omnes actiones laudabiles, ad quas edendas amor Patriae, et proximi poterat exstimulare. Mihi soli vivo, si totus vivere desiturus sim; unica tenerrima philautia mihi rectrix est faciendorum et fugiendorum; ne momentum debeo aliis, quo propriam sanitatem tantillum laederem, quo vitae meae minutissimum periculum incurrerem, quo levissimum oblectamentum perderem. Nulla mihi cura debet esse antiquior, quam ut perdurem, quousque perdurare queam. Una de futura mea annihilatione cogitatio me ab omnibus officiis hominis et civis absolvit. Quis enim non videt, si illa tamquam certa admittatur, aliis inserviendo consumi, esse vitium et piaculum; gloriam post fata esse inane phantasma, et fallens spectrum; nosque nobis ipsis illudere, quando brevem et ideo pretiosam vitae particulam lepidis quidem, at vanis honoris commentis, praeclarisque actionibus, aliis hominibus dicatis, absumimus, qui dies carpere, et unice nostris usibus impendere debebamus, non futilibus cogitatis, non irritis studiis implicari, ut bene de aliis merendo fictitiam aliquam immortalitatem, cito mortalem futuram, nobis compararemus. Quando morte occumbentes nil sumus, nisi pulvis et umbra, quid opus est, ut nos moveat posteritatis de vita nostra anteacta

judicium? Nec laudes, nec vituperia ad nostri nihilum, si ita loqui licet, pertingunt. Eadem res est, sive virtutibus divites, sive vitiis onusti ex viventium et vivere desiturorum consortio recesserimus, satis felices, si pro lubitu ederimus. et biberimus, luserimus, choreas egerimus, spectaculis interfuerimus, veneri indulserimus et mundae et spurcae; deliciisque saeculi omnibus ad satietatem et nauseam degustatis decesserimus. Ultra sensuum quippe objecta, nil nos pellicere, movere et occupare potest.— Ridemus forte gentium diversos ritus et ceremonias, quas in honorem et memoriam amicorum suorum vita functorum, saepe magno cum apparatu, et solenni cum pompa solent observare. Cur in cadavera brevi in putredinem abitura, et vermibus in escam cessura sparguntur fragrantissimi flores? Cur populi antiqui altas construxerunt pyras, cur postquam ipsis imposita demortuorum corpora cremarunt, cineres sollicite colligunt. et in urnis recondunt? Cur Aegyptii cadavera, exemtis visceribus, aloe, myrrha, balsamis, aromatibus condiunt, fasciis arcte constringunt, vultum pigmentis et vernice obducunt, ut corruptionis expertia per saecula queant asservari? Cur inter Orientis populos viduatae mulieres lachrymis madentes, immani clamore, et horrido ejulatu ardentem rogum, qui dilectorum maritorum corpora exesurus est, conscendunt, seque simul cum iis flammis devorandas tradunt? Sane omnes hae actiones abunde probant, altius ab omni aevo animis infixam, communique consensu sustentatam fiduciam, fore, ut aliquid nostri post mortem superfuturum sit, et ad beatiores sedes transiturum. Quodsi cuncta haec per manus traditae, superstitiosaeque consuetudini, et moribus malesanis a longo tempore sine ratione servatis saltem tribuantur, fateamur, nostrum cultius et altius sapiens aevum non aliter se se gerere. Non magis rationi respondent supremi honores demortuis nostris decreti, et funebres pompae, quibus illi efferuntur, si morte prorsus finiantur. Quorsum, quando summi Principes, Heroës et Magnates e vita excesserunt, campanarum per plures hebdomadas triste sonantes pulsus? quorsum tantus facium flammantium, et lychnorum inter fumos radiantium numerus? Quid sibi vult atra illa longo tractu se se insequentium palliatorum hominum caterva? quid equi propendente nigro velamento obtecti? quid volitantia vexilla? quid arma, et alia nobilitatis insignia loculo, qui holoserico, auro argentoque exornatus est, appensa? quid tubarum querulus clangor? quid modi musici ad moestitiam et lamentationem compositi? quid odae funebres? quid declamationes sacro e suggestu? Nonne ridendus esset adeo magnificus, adeo sumtuosus apparatus, male olentis cadaveris gratia adornatus, terrae mandandi, vel in sepulchrali tumba reponendi, in qua non in melius lutum, in haud nobiliores cineres redigetur brevi, quam in quos brutorum animantium cadavera rediguntur. Quando nunc nil aliud fuimus, nisi homines materiales; quando nostra, ex qua coaluimus, et

brutorum massa est eadem; (est autem eadem, nam, ut totus bos antea gramen, foenum et aqua fuit, ita totus homo antea fuit lac, caseus, butyrum, caro bovina et vitulina, corpusque ejus constat aggregato partium vegetabilium imprimis). (*Vide Boerh. chem. Part. II. in Proleg. Nro* 5.) quando communi fato in eandem terram tandem, ut illa, toti quanti dissolvimur; aut ridiculum est, imo vero ad lepidas comoedias, puerorumque ineptias, quibus, cum pupis et crepundiis occupari solitum, referendum, sordido luto nostro sepulchrales honores decernere, aut hi aequo, quin et saepe majori jure generosis et potentioribus brutis animantibus decernendi erunt. Certe reges ferarum leones indomiti, asperi, rapaces, postquam terrore vastissima nemora repleverunt, atque audaces et valentes ungue, viliorum animalium magnam vim arripuerunt, et ore sanguinem sitiente devorarunt, nunc aetate confecti ponentes vitam, ob egregia facinora perpetrata splendidissimis tumuli honoribus dignissimi haberi merebuntur. Non aliter truculento et spumanti apro, quando colonorum ruribus devastatis, canum minaci dente dissipatorum, vulneratorum, occisorum diu gloriosus victor exstitit, nuncque longe sylvis latratibus actus hasta cordis thalamos ferienie cecidit, justa exsolvenda erunt, et officia funeralia debita praestanda, inque solenni bestiarum panegyri, parentanti larga praesto erit dicendi materies. — Ego quidem, quoties superba mausolea, atque candente et maculoso marmore exstructa monumenta sepulchralia urnis, statuis auratis, et laude refertis inscriptionibus insignita contueor, satis mirari nequeo, tantam operam vili et abjecto coeno fuisse impensam. Sane magis conveniebat praeclaris viris viventibus ea erexisse, et iis demortuis iterum diruisse. Non entibus enim officia praestare, non entium memoriam conservare velle, valde omnino absonum haberi debet. Si forte praeclarorum facinorum a praeclara materia olim praestitorum memoria bustis pretiosis servanda sit, et ad posteros propaganda, considerandum est, immortalitate animae non admissa, virtutem veram nullam, sed personatam saltem dari, famamque posthumam, nisi quidquam de homine supersit, ad quod illam digne referas, prorsus inanem esse et vanam. Quid abjectius, quid turpius mente potest concipi, quam si ante erectum homini literato cippum stans, hujusque elogium legens viator, postquam apertum jam aliquoties pro humandis ejus necessariis et consanguineis fuit idem sepulchrum, si, inquam, adstans viator cum effosso et eruto ex imo tanti viri pulvere, id, quod de eo adhuc reliquum est, quod olim adeo erudite cogitavit, pedibus suis conculcet, vel et calceamentorum suorum soleis adhaerescens, secum, dum abit, auferat. An credibile est, quando corpus hominis terrae tradimus, qui, dum vivebat, animi magnitudine, virtute, doctrina mirum quantum excellebat, qui per omnia, quae inter bonos amore et veneratione dignissima habentur, se se celeberrimum reddiderat, an credibile est, hoc lumen

mundi, quod omnem intelligentium orbem illustraverat, quod ignorantiae tenebras fugarat, radiosque suos illuminantes quaquaversum longe lateque sparserat, in squallore et coeno sepulchri cum foetore esse extinctum, et in nihilum redactum? Sapientissimi omnium gentium Philosophi, interque eos Socrates et Plato dixerunt: modum, quo Deus nos facit cogitare, esse illuminationem ex ipso fonte immenso luminum prognatam, ipsamque rationem nostram esse lumen, inde ortum suum ducens. Id ergo rationis splendidissimum lumen, adeo late se se diffundens, quod ex ipsis Deitatis penetralibus, si ita loqui licet, processit, quod divinae naturae analogum est, eamque aemulatur; ille radius, qui ex luminum oceano emanavit, obscurari certe et extingui nequit; sed in ruinam vergente corporis machina, necessario subsistit, sublime petit, et versus originem suam remeat et reflectitur, quae hominis imi et summi suprema est, et aeternum perduratura gloria. Ipsa bruta materia etiam interiisse visa, vere non interit, sed uno corpore, quod ex ea coaluerat, destructo migrat in aliud, substantiam ejus ingreditur, formamque ipsi conciliat. Mutantur anni tempora, sed non abolita iterum redeunt. Ver proterit aestas, interitura, simul ac pomifer autumnus fruges effuderit, quem bruma excipit iners; at eam fugatam iterum sequitur novum ver. Occidit sol, altero mane redit. Servat suas phases menstrua luna, emortua ad tempus visa iterum bicornis exoritur, noctis decus futura, et increscente suo splendore totum coelum illustratura. Herbis et floribus e terra erumpentibus pratorum nascitur honor, periturus quidem, sed renasciturus. In universa natura millenae dantur mutationes, transformationes, sed nulla plenaria mors, nulla annihilatio. Solus ergo homo obstinata fatorum necessitate ad atrocissimum supplicium subeundum damnatus cum omnibus suis operibus, dotibusque totus exaresceret et evanesceret? Id a bonitate et sapientia Creatoris Dei omnipotentis nemo, ad utrumque sollicite attentus, expectaverit.

§. 78.

Justitia Dei neminem dubitare sinit, animam hominis esse immortalem. Quodsi enim haec existere cessaret, omnis divina justitia, quam tamen ut enti perfectissimo, bonum et malum aequa et fallere nescia lance libranti, propriam, quivis, Deum existere non negans, admittere omnino et asserere debet, esset imaginaria et nulla. Cum enim eam rationem Deus nobis indiderit, cujus ductu

agnoscamus, quid bonum, quidve malum, quid proinde agendum, quid ex adverso vitandum sit, liberaque voluntate nos donatos esse voluerit, indifferenter, quasi otiosus et incuriosus Spectator (licet sint, qui talem Deum sibi fingunt) contueri et ferre non potest, sive homines pro suo arbitrio, vel in bonum, vel in malum, vel in virtutem, vel in vitium ferantur, sive bene, sive male erga semet invicem agant; verum qua infinite sanctus et bonus aeterna approbatione bonum, aeterna vero aversatione malum prosequi debet. Quia utrumque e diametro sibi oppositum est, quia prius cum ejus essentia prorsus convenit, posterius ab eadem prorsus abhorret, ens illud perfectissimum, quod cogitatorum et factorum humanorum pretium exacte determinare potest, aequalem bonis et malis, probis et improbis sortem statuere nequit. Gratiam ejus sine dubio ineo, meque ipsi acceptum et probatum praesto, si omnes animi nervos intendam, ut sanctissimae ejus voluntati, quae et meum et proximi bonum involvit, enixe obediam. Ita enim, miser licet homuncio, tamen ad ejus naturam propinguius accedo; ita secundum normam mihi ab eo praescriptam cogito; ita meum velle ad ejus praecepta compono; ita integritate, benignitate, mansvetudine, absolutissimum ejus exemplar exprimere laboro. Quomodo autem hanc sinceram meam probitatem ita perinde haberet, ac si contrarium fuissem executus? Abominationi e contra necessario esse debeo sanctissimo Numini, si ad clamantem naturae vocem pertinax aures obturavero; si inobediens et infidelis subditus ordinem et perfectionem regni ejus technis meis turbavero;

si summa imis, et quadrata rotundaque pro lubitu miscuero; si sociorum meorum salutem et felicitatem destruxero; si mihi soli vixero; atque malesanis desideriis et vanis voluptatibus omnia mea, ad quae obligabar, officia postposuero, haecque turpiter neglexero. Quivis honestus homo, licet suis naevis laboret, merito contemnit et fastidit mendaces, ingratos, invidos, arrogantes, immisericordes. Atque Deus justissimus ab omni labe et defectu summe immunis, probris eorum et criminibus non moveretur, ea parum curaret, facile permitteret, et in perpetuum negligeret? certe sic causa perversi ordinis in rebus humanis, infinitorumque malorum, quae inde oriuntur, evaderet. Potius, quia supremus est, et communis omnium terricolarum dominus ac legislator, nosque ita condidit, ut praecepta ejus prima, solo naturae lumine ducti, cognoscamus et intelligamus, atque ut entia moralia aequum sectari et iniquum fugere queamus: secundum notiones utriusque nobis insitas etiam nobiscum agere, suamque et approbantem gratiam, bonas actiones condigne praemiando, et seriam animadversionem, actiones malas justis poenis adficiendo, palam ostendere, et reipsa commonstare debet. Jam autem id in hoc mundo sat saepe non evenire communis observatio, et ubique prostans experientia abunde docet; nemo enim est, qui ignoret, saepe improbos in hac vita felices esse, quin sceleribus dignas dent poenas; ex adverso probos impensae virtutis nullos capere fructus, imo in fece vulgi a malesana plebecula contumeliis non raro affici, et ad extremum usque diem plurimis cum aerumnis misere conflictari. Legitime itaque ex summa Dei justitia deduci-

tur, animam humanam etiam post funera in regione nova superstitem mansuram esse.

Scholion 1. Non me latet, inveniri inter modernos philosophos, qui nullum inter bonum et malum, inter virtutem et vitium reale et essentiale discrimen dari, audacter quidem, sed frustra affirmant. Verum ut inter lucem et tenebras, inter rectum et curvum realis datur differentia, ita inter bonum et malum, verum et falsum, aequum et iniquum, justum et injustum, honestum et inhonestum, inter fas et nefas, virtutem et vitium talis deprehenditur, neque de iis omnibus notiones sunt arbitrariae. Universam naturam ita condidit Deus, ut discrimen inter bonum et malum agnoscere quivis vel invitus cogatur. Totus, qui in mundo animadvertitur ordo, universum beneficium, et omnis salus totius creationis eidem discrimini innititur. Nemo, qui in se ipsum altius descendit, negare potest, habitare in nostro corde intimum sensum, quo actionum humanarum innocentiam et integritatem, quo misericordiam, justitiam, beneficentiam, magnanimitatem nobis placere et amabilem esse comperimus et convincimur. Nemo est, qui non intus sentiat, se astutiam, fraudem, fallaciam, invidiam, superbiam, immisericordiam, crudelitatem horrere et aversari. Quotusquisque est, qui se se alicui humanum, blandum amicum exhibuisse, alicujus commodis, etiam non sine quodam suo damno inserviisse, aliquem sincero suo consilio juvisse, aliquem egenum solatum esse, aliquem infelicem praeter ejus spem felicem reddidisse, sine jucunda voluptate non recordetur? qui dulcem animi tranquillitatem inde profluere non experiatur, qui per totam vitam et in ipso mortis articulo, hac ita enata non delectetur et recreetur? An autem facile ea quis erit cordis duritie, ut in fraudibus, proditionibus, rapinis sibi semper placeat, iisque pacatam mentis serenitatem impetrari et conservari statuat, et reipsa experiatur? An aequas actiones habiturus est vel pessime moratus nequam, si aliquem occiderit, vel alicui vitam servaverit, an eadem ipsi ab utraque actione nascetur voluptas? Vix credibile est! Constat ergo, nullum mortalium dari, qui sibi connatam ideam boni et mali haud possideat, et inter utrumque e diametro intercedens discrimen sua sponte non capiat et de eo reddatur convictus. Disputes mecum otiosis technis et inanibus sophismatibus per me licet, et asseras tantisper, vere nullum dari. Tum autem quaero ex te, quamnam urbem ex duabus tibi inhabitandam eligeres, in quarum una cives essent homines mendaces, malevoli, invidi, osores, avari, vindictae cupidi, temulenti, scortatores, moechi etc. in quarum altera autem incolae haberentur veraces, datam fidem stricte liberantes, benigni, humani, liberales, mansueti, sobrii, temperantes, castitatis studiosi etc. ex qua urbium harum in contrahendis negotiis tibi personas exoptares, ex qua mercium emtores et venditores, judices et causidicos, ex qua amicos selige-

res, ex qua moribundus orphanis tutorem, viduae tuae curatorem evocares? Quando nunc, etiamsi nebulonum numero nomen tuum dedisses, nihilominus optionem nactus, posterioris civitatis homines prioris incolis in omnibus extra omne dubium praeferres, nonne manifesto testaris, te sensu intimo boni et mali imbutum, discriminisque inter utrumque optime conscium esse? Vitiosissimi homunciones, quando totos se se pessimis facinoribus permittunt, malum tamen in aliis abominantur, bonum quod alii amplectuntur et exequuntur, amant, probant, et impense laudant. Hinc omnino est, quod nemo facile adeo sit perfrictae frontis, ut malus haberi et audire serio velit; sceleratissimus potius non adeo sceleratus, quin bonus videri mavult, maloque, quod sectatur, colores quaerit, quibus id incrustetur; larvam sibi parat, qua id tectum boni aliquam speciem incautis impositurum nanciscatur; quin dolet interdum, quod bonus non fuerit, non sit, et haud esse queat. Nemo etiam eapropter facile conscientiam, internum suum judicem, potest subterfugere, cujus firmum et stabile tribunal in praecordiis consitum, non inane praejudicium, non anilis educatio, sed jussu et autoritate Dei ipsa nostra natura erexit. Ex illo, non semper obturandas aures, nimis saepe ferit actionibus nostris suum pretium statuens, et de illarum valore decernens altissima vox, qua simul monemur serio, ut bonum amemus, et malum abominemur; quae futuram nostram sortem nobis praedicit, qua, vel audita, vel neglecta dulcissima pax et tranquillitas, aut sub coecis et abditis morsibus et angoribus omnia tuta timens inquietudo nos certissime manet.

Schol. 2 Non desunt, sed potius satis frequentes audiuntur effusae querelae, quod sincerum virtutis studium ordinarie vilipendatur, vix plausibus excitetur, atque omni aequa remuneratione destituatur; quod justi et probi opprimantur, ipsique adeo Deo subinde haud curae cordique esse videantur. Non saltem suo tempore regum sapientissimus Salomon vidit tot injurias, quae sub sole fiebant, et eorum, qui vi opprimebantur, lachrymas, quos nemo consolabatur. (*Eccles. IV.* 1.) Namque non minus nostro etiam saeculo certum est, veram virtutem rarissime agnosci et honorari, sed potius alto supercilio communiter despici, ruditer opprimi et conculcari. Equidem haud facile dixerim intemeratum ejus exercitium omni prorsus laude, omnibus fortunatis effectibus et eventibus perpetuo carere. Ita enim omnis sensus boni inter homines emortuus esset, et ab orbe universo exularet, ipsaque virtutis natura rerum naturae consentanea esse desineret. Exultant proinde interdum boni viri, atque innocenter superbiunt, quando, vel suis, vel aliorum meritis justa praemia decernuntur. Atque si rarius exsolvantur, non ultima sane remuneratio est, quam virtus ipsa suis fidelibus sectatoribus impertit, quod mentem vacillantem firmet, ut mala necessario perferenda fortius subeat, ut nutantem et collapsam spem ac fiduciam erigat, ut conscientiam

puram et illibatam praestet, atque affectuum tumultus praecaveat, et nasci incipientes pacet et componat. Magnum est resistere, et fraena injicere vehementioribus cupiditatibus, quae per naturam nostram, fluidorumque et solidorum mutuum in corpore habitum, quem temperamentum vocant, in nobis excitantur. Sed o bone Deus! quam ingens est numerus integerrimorum hominum, qui cum sua paupercula et misera virtute vix innotescentes, nedum inclarescentes, in angulo latent nunquam protracti; plura dicam, qui dura egestate pressi, famem vix placantes et seminudi ingemiscunt, donec, omni mercede vacui, aerumnosam vitam ponant, triumphum de iis agente inter festivos jocos improborum caterva. Neminem quippe cultorum suorum aeneo quodam clypeo certo munire valet inclyta virtus, ut ab omni sinistorum casuum incursu tutus praestetur. Numerosissimi potius ejus amici, eapropter saltem commodis exuuntur, et calamitatibus exponuntur, quod ad illius castra transierint, datamque fidem fallere constanter renuant. Risibus eheu, et cachinnis toties excipitur pietas religiosa, judiciique inops fere hodie minusque aptus ad officia publica censetur, qui Deum toto corde veneratur, ejusque cultum et publicum et privatum non negligendum credit. Sunt, qui munus sibi demandatum, quamquam exigua commoda, incommoda tamen innumera secum ferat, sincere graviterque tuentur, firma spe freti, fore, ut assiduitate et constantia laborum ad altiora evehantur; at nil ab iis praestitum putant superiores, quam quod mancipiis et jumentis onera sibi imposita, ut decet, portantibus incumbebat. Praeferuntur homines nauci, animi levitate, negligentia et incuria notandi, ab iis, qui ipsi morum turpitudine et perversitate laborant. Non pauci, quando adeo proprio suo damno aliorum fortunas juvare, promovere, firmare satagebant, ab his, honore opibusque ex animi sententia positis, oblivioni dantur, negliguntur, quin et contumeliis afficiuntur, pinguiorem suam sortem tum certiorem et tutiorem futuram arbitrantibus, si ruinosae antea redditae benefactorum famae superstruatur. Non rari sunt, qui, postquam variarum artium et scientiarum cultura, ac eruditis praecipue lucubrationibus vires suas pro bono publico proximique emolumento, sub decursu juvenilis et virilis aetatis exhauserunt, nunc nullis, vel tenuibus valde facultatibus inde partis, fessi senes, curta admodum supellectile vitam tolerare debent, ab omnibus, quibus prompti paratique semper inserviebant, derelicti. O quam saepe sancta justitia, abjecta lance, aequum et justum trutinare renuit, atque cocutire amans, nebulonem absolvit, innocentem damnat. Eousque saepe maleferiatorum hominum malitia progreditur, ut viros meritis insignes odio prosequatur, invidosque aemulos magnis promissis conducat, qui merita ipsorum turpibus maculis conspergant, lacerentque, plaudente et exaltante stulta plebecula. Eruditissimus quisque, evulgatis immortalibus scriptis, veritatis, et intelligentium calculum sibi deposcentibus, ab immaturis criti

bis, qui nec digni sunt, ut ejus calceorum corrigiam solvant, carpitur impune, insectorumque literatorum aculeis pungendus se se relinquere cogitur, quando ipsi gratiae pro praestitis ignorantiae beneficiis decernendae erant. Paucis dicam, honestissimi mortalium, quorum candidissima sinceritas in aprico est posita, fraudulentis machinationibus et minis inimicorum, amicosque simulantium, fortunis illorum inhiantium et nobilissima coepta irrita reddentium clandestinis artibus, lusibusque tandem et jocis malevolorum saepe saepius publice subjiciuntur. Quid igitur sperandum erit virtuti, quae fulgido splendore carens, squallente laceraque veste velata non in omnium oculos incurrit, quando aterrimum et impientissimum crimen sub speciosa probitatis larva callide latens, contuentes decipit, atque ita satis audax et securum in illam temere grassatur. Et quid tandem sibi promittere potest intemerata virtus, quae fere omnem suam dignitatem perderet, si mundo innotesceret, quae, ut vera virtus non esse desinat, sibi ipsi, si ita loqui licet, se ipsam ut abscondat, laborare debet. Non abundat opibus Cleantes, urgens decorum sumtus exposcit, simul ejus opem efflagitat egenus frater, cui inopia ignominiam minatur; laeva manu derogat proprio honori clam, quantum potest, ut dextra illi intensis ultimisque viribus consulat. Fronte capillata, posthaec calva futura se se offert Sophronio occasio, quam si arripuerit promptus, contractum aes alienum non tantum solvere, sed et amplae familiae consulere corrasis magnis divitiis, nemine animadversuro, valet. Illa vero occasio licet quaestuosa sit, licet genio saeculi sit bene conformis, licet ex hujus sententia ea commode utens acri judicio et sagaci consilio pollens judicaretur, quia tamen inhonesta est, et pudenda, quia ante aequitatis tribunal excusari nequiret, transire illam cum abominatione sinit. Pauper manere, creditorum ancipitem patientiam, vel duritatem experiri, quam abjectum facinus committere mavult. Eusebius infensissimum sibi habet hostem, cujus unguibus prehensus et coërcitus ruditer hactenus lacerabatur, nunquam, ut videbatur, inde elapsurus. Jam praeter omnem expectationem hic ejus potestatem incurrit, ejus arbitrio totus subjacet. Felix momentum praesto est, quo Eusebius par pari referre, illatasque temere injurias potest ulcisci. Verum generosus nec illi, nec omnibus jurati hostis necessariis aegre facere, nec famam ejus minuere, maculisque conspergere vult. Acquiescit igitur tacitus, exponit se se ulterioribus injuriis et virtute sua egena et ignota se involvit, donec diem supremum obeat. Verum enim vero sit ita, animi morum puritate pollentes negligantur ab ingrato saeculo, virtus contemta jaceat, et plurimis cum aerumnis nullo non tempore in hac vita conflictetur. At Deus ipse omnis boni fons, ipse virtutis amantissimus, ipse cordium scrutator, qui in rebus physicis tam elegantem et nunquam interruptum ordinem servat, recta via incedentium non obliviscitur; illos, qui ejus

imaginem non referunt saltem, sed ejus bonitatem factis imitari et exprimere laborant, quando tota natura corporea in prospero statu versatur, non semper infelices esse patietur; eos miseriis obrutos sine ulla nobilium actionum mercede interire non sinet. Justus enim est, et justa sunt ejus judicia, ac proin nec virtutem sine proemio, nec malum absque luculento et publico increpationis et animadversionis actu transire inultum permittet. Ut adeo recte asserat D. Chrysostomus (*Orat. 4. de Provid.*) „Si nihil est, inquit, post hanc vitam, ne Deus quidem est. Sin Deus est, justus est; quodsi justus sit, pro dignitate tribuet unicuique. „Veritatem hanc versibus sic exornat celebris Gall. Poëta Racine: "

Sur la terre, il est vrai, je vois dans le malheur
La vertu gémissante, et le vice en honneur.
Mais j'eléve mes ieux vers le Maître supréme.
Et je le reconnois dans ce désordre même.
S'il le permet, il doit le réparer un jour.
Dieu veut, que l'homme espere un plus heureux séjour.
Oui, pour un autre temps, l' Etre juste et sévere
Ainsi que sa bonté, reserva sa colére.

(*Poëme de la Religion Chant. II.*)

§. 79.

Ex libertate animae, ejus quoque immortalitas deduci potest. Anima enim humana gaudet libertate, ut probabimus, materia autem, utpote iners, hac destituitur, natura itaque animae essentialiter ab illa materiae differt; sed si sic, tunc etiam vires animae essentialiter ab illis materiae distinctas esse oportet; nequeunt itaque vires materiae illas animae laedere, multo minus annihilare. Porro libertas et ratio sunt duo inseparabilia. Ratio enim imperat nobis virtutis exercitium, quod sine libertate est impossibile, oportet namque virtutis impedimentum, sensualitatem, impugnare, ipsamque legi rationis practicae, seu morali subjicere. Jam cum quaevis pugna finem suum habere debeat, finem quoque suum pugna rationalitatis cum sensualitate habere debet. Finis hic est sanctitas; sed haec obtineri nequit

nisi persistat subjectum pugnans, corpore mortuo; nam in hac vita terrestri continuo pugnandum est contra hostem virtutis, subjectum autem pugnans est anima rationalis, persistet ergo haec etiam corpore mortuo; et trans tumulum finem certaminis sui, sanctitatem videlicet, si bonum certavit certamen, assequetur. Denique finis rationis practicae est, perpetuus in virtute progressus, et connexio felicitatis cum virtute, atqui finis iste tantum sub conditione immortalitatis possibilis est, ergo anima nostra immortalis esse debet.

Scholion. Non possum silentio reticere verba Socratis, quibus amicos suos ad colendam virtutem, ut per eam beatitudinis in altera vita capessendae idonei reddantur, provocat: „Quid sunt omnes hujus vitae calamitates in comparatione felicis aeternitatis? Quid est paupertas, contemptus, morsque atrocissima, si nosmet ipsos per ea ad tantam felicitatem praeparare valeamus! O Amici mei! Qui sibi conscius est de exacta ad omnem virtutis normam peregrinatione sua, is nulla prorsus ratione poterit moerore affici, dum ad beatitudinem istam iter suum ingreditur. Ille solum, qui in vita sua Deos hominesque offenderat, qui in brutali voluptate semet volutaverat, qui deificato honori humanas victimas litaverat, qui in aliena calamitate suas delicias reposuerat, ille, inquam, in limine mortis habiturus est, cur contremiscat; cum nullum in tempus praeteritum citra poenitudinem, nullumque in tempus futurum citra horrorem figere queat obtutum. Ego autem, aeternae sint immortali Deo gratiae! qui nullas ejusmodi iniquitates mihimet objiciendas habeo, qui per omne vitae meae tempus in veritatem ardenter inquirebam, atque virtutem super omnia amore prosecutus sum maximo, gestio nunc vocem audire Divinitatis, quae me isthinc evocat ad perfruendum lumine illo, ad quod in his adhuc versatus tenebris anhelabam. Vos autem Amici mei! expendite attentius argumenta felicis expectationis meae, et si vobis luculenta sunt, peregrinationi meae benedicite! sicque vivite imposterum, ut mors quondam vos evocet, non cum violentia terris eripiat! Forsitan Divinitas aliquando, clarificata jam amicitia nostra, in mutuos nos invicem feret amplexus. — O! quanta nos tunc voluptate affectura est hodiernae lucis recordatio!“ (*in Phaedone Dialogo primo*).

§. 80.

Communis naturae sensus animae immortalitatem comprobat. Nisi enim ea in nobis esset animi comparatio, qua naturae ductu eo feramur, ut aliam post hanc vitam superesse, neque totos nos cum corpore perire judicemus, nunquam haec de animorum immortalitate opinio tam universalis, tam constans esse, totque saeculis confirmari potuisset; opinionum enim commenta delet dies, naturae judicia confirmat. Jam vero nullus est populus antiquus, aut novus, apud quem alterius vitae fides non viguisset, vigeretque; nulla est religio, quae hoc principio non fuisset innixa. Pagani sub amoenissima camporum Elysiorum imagine describunt eorum felicitatem, qui virtutem coluerint; et horrenda averni nigredine adumbrant eorum supplicia, qui criminibus contaminati e vita discesserint. Eandem hanc veritatem professi sunt viri antiquitatis sapientissimi. Imo adeo manifesta est haec veritas, ut eam fateantur recentiores etiam increduli.“ Maximum vero argumentum est, (inquit Tullius Tusc. quaest. n. 14 et 15) naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sunt, et maxime quidem, quae post mortem futura sunt . . . . . quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? . . . inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum.“ Seneca (epist. 118.) „Cum, inquit, de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos ha-

bet consensus hominum aut timentium aethera, aut colentium.“ Impossibile est invenire populos, apud quos communis opinio nostris animabus speciem quamdam immortalitatis non attribueret (Lettre de Trasibule a Leucippe. pag. 285.) „Nihil magis populare est, quam dogma de animae immortalitate; nihil magis propagatum, quam expectatio vitae futurae: in hoc praejudicio fundantur omnia systemata religiosa et politica (Systeme de la nature tom. 1. chap. 13. pag. 260) Polinbroke, licet dogmatis hujus pariter inimicus, profitetur, illud omnibus historicis cognitionibus antiquius esse (Oeuvres posth. tom. 5. pag. 237.) Bayle (Contin. des pensées §. 14.) ait: „symbola et testimonia fidei de animae immortalitate inventa fuisse apud feros etiam homines, qui omni cultus publici signo caruerant.“ Neque dixeris, hanc universalem fidem pravarum cupiditatum foetum esse; quid enim illa refrenandis his accomodatius cogitari potest? Porro consensus iste per conscientiam recte, aut perperam factorum, sive per sententiam illam, quam quivis de propriis actionibus suis in animo pronunciat, luculentissime demonstratur. Profecto nemo est, qui ob praeclare facta suavissimo quodam gaudio non perfundatur, sibique ipsi in mente non applaudat; nec vicissim ullus est, qui ob malefacta non erubescat, seque culpae reum reprehendat: at nonne inde manifeste consequitur, nos tacito naturae ductu impelli ad sperandum praemium, vel timendam poenam, non ab hominibus, quos haec facta latent, sed a supremo quodam nec oculis conspicuo Judice? His attenta, purgataque a praejudiciis mente perpensis, nullum omnino dubium est, opinionem de anima-

rum immortalitate a natura ipsa omnibus inditam esse.

Scholion. Sapientissimos hominum, prout de animae spiritualitate omnes conceptus corporeos excludente, ita de ejus immortalitate, sanae rationis lumine convictos fuisse, testis est historia. Non sine oblectamento legi possunt apud XENOPHONTEM (in Cyropaedia) ultima verba, quibus CYRUS liberos suos allocutus est: „Non existimetis, inquit, me post finitam hanc mortalem vitam non amplius exstiturum. Quousque inter vos versatus sum, animam meam non vidistis, sed ex ejus saltem operibus collegistis, quod sit. Ego quidem nunquam mihi persuadere potui, animam non diutius vivere, quam mortale corpus vivit, eamque mori, quando hoc moritur. Vanam persuasionem habeo, omnino animam ordinate et sapienter cogitare desituram esse, quando a corpore, quod cogitare nequit, separata erit. Probabilius multo est, eam a corpore liberam, et puriore sensu instructam ad eminentiorem sapientiam perductum iri.“ Non equidem ignoro, fuisse etiam ab omni aevo ad hunc diem, qui sine ambage, ut PLINIUS (*Hist. nat. lib. VII. c.* 55.) refert, vanum habuerunt se in futurum propagare, et in mortis quoque tempore sibi vitam mentiri; atque aegre tulerunt, nunquam desinere puerilia ejusmodi deliramenta. Satis quoque scio, ipsum CICERONEM, passim adeo egregie de animorum immortalitate philosophantem, subinde, tamen haesitare et vehi dubitantem in immenso mari quin quasi non bene convictum ultro pronunciare: (*Tusc. lib. I. c.* 30). „si in hac persuasione erro, lubenter erro, nec mihi dum vivam, hunc errorem, quo delector, extorqueri volo.“ At vero nihilominus non pauci ex veteribus Sophis, sine ulla animi fluctuatione et ambiguitate, magnaque potius confidentia animae immortalitatem asseruerunt. Inter gentiles hujus Sententiae autor habetur PHERECYDES, qui circiter annis 597 ante. Christum natum vixit, de quo CICERO (*Tusc. Quaest. lib. I. c.* 16.) scripsit, quod primus dixerit animos hominum esse sempiternos. Sed 440 annis ante eum jam HOMERUS (*Iliad II. et X.*) superstitem post mortem a corpore solutam animam, fata Patrocli et Hectoris, aliorumque heroum canens, exhibuit. PYTHAGORAS autem, Pherecydis discipulus, animi immortalis de corpore in corpus transmigrationem docebat, ita tamen, ut animas piorum ex terrenis locis tamquam e carcere ascendere ad loca altiora, supra terram purissima, ubi cum Diis popularentur, improborum autem in tartarum migrare statueret. (in fine Carminis aurei inquit: „Quodsi relicto corpore ad aethera pura perveneris, eris immortalis Deus, incorruptibilis nec amplius mortalis“). Deinde SOCRATES, antequam ex sententia judicum suorum cicutam bibisse, multa et praeclara de immortalitate animorum disseruit, quae in Phaedone Plato digessit. (vide *Diog. Laërtium de vitis Phil. Art. Socrates*). (Quae nostra aetate

vir acutissimus Moyses filius Mendel, in suo Phaedone Socratem loqui facit, egregia sane sunt, sed bonam partem ex recentissimis Philosophis, argumentum de animae immortalitate exponentibus, petita, quibus sua scite adjecit). Atque exacte vestigia praeceptoris sui pressit Plato, ita ut de eo in quaest. tusculanis agens Cicero discipulis dixerit:" Ut vobis persuadeam, animam esse immortalem, me non opus est. An enim vincere possum Platonis eloquentiam? Videte! quid scripserit de anima, pensitate id, et nil habebitis, quod amplius desideretis." Neque a sententia Platonis recessit Aristoteles. Nempe intelligentiam agentem solam esse immortalem et aeternam docuit (*lib. III. de animal. c.* 6.) separatamque animam a corpore, esse ipsum, quod est. (*lib. X. Ethic. c.* 6). Imo vero mentem extrinsecus advenire, solamque divinam esse, nilque cum ejus operatione communicare operationem corporalem, diserte profcssus est (*lib. II. de gener. animal*). Inter Stoicos Seneca praeclare omnino de superstite immateriali anima post mortem corporis sensit (*Consol. ad Marciam.*), „Animus, inquit, nititur unde dimissus est, ibi illum aeterna requies manet. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Nondum coelum nisi ex intervallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice, non est animo suprema, sed corpori. (*Epist.* 102.) — — — dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est, tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem totus adspexeris" (ibidem). Lubenter largior, hos et alios antiquorum, inter tot bona, alia etiam protulisse, quae fabulas sapiunt, minusque solida habentur, quin et dubitasse interdum, et sibi contradixisse. Attamen non poterant dignitatem animae humanae ejusque immensas prae suo corpore praerogativas praetervidere, licet certioribus adminiculis et principiis, ex quibus ratiocinarentur, essent destituti. Saltem in ruborem conjicere debent Materialistas hodiernos, qui illis instructi desipere amant, et omnem sanam rationem ejurare cupiunt. Si inanis narratiuncula sit Elysiorum, Stygiarumque aquarum commemoratio, saltem probat, illos, qui de his verba faciebant, statum aliquem hominis post mortem admisisse. Et quid sibi vult adeo magnifice descripta Apotheosis, qua illi, qui singulari virtute factisque celebribus in orbe inclaruerunt, huic valedicentes, in numerum Deorum recipiebantur, quod Herculi, Aesculapio, Castori et Polluci, Romuloque et aliis evenisse fertur (*Seneca epist.* 117). An ille omnium gentium, et scientiis imbutarum et rudium, universalis consensus, a condito orbe ad hunc diem animae immortalitatem clamans, quem Cicero, (*in quaest. tusc. et de amicitia.*) adeo stringens argumentum habet, nullam attentionem meretur? si paucitatem eorum spectes, qui contrarium crediderunt. Ita perpetuo statuerunt Aegyptii (*Herodot. lib. II. cap.* 123), Chaldaei (*Diodor. Siculus lib. III. p.* 220), Gymnosophistae vel Brachmani (*ibid. pag.* 225), Getae (*Herod. lib. IV*), aliique Thraciae populi (*ibid. lib. V. c.* 291). Graeci de quibus dictum. Roma-

norum sententiam, de qua in antecedentibus egi, habet DIONYSIUS HALICARNASSENSIS (*lib. XVIII*) „Si soluta a corpore anima (inquiens) etiam interit, haud video, quomodo beatos dicam, qui nullo ex virtute fructu ob ipsam pereunt.“ Non omittendi sunt deinde Galli, et eorum sacerdotes Druidae, de quibus CAESAR scripsit: (*lib. VI. de bello gallico*) „imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.“ Germani antiqui, quos APPIANUS laudat (*in Celtico*) ut mortis contemtores, ob spem secundae vitae, Gothi, (*Joh. Magnus Gothus lib. I. hist. c.* 13). Dani (*Vid. Bartholini antiquitates Danicae, sive de causis contemtae mortis apud veteres Danos*) ut alios taceam, Gentesque numerosissimas idem sentientes silentio praeteream. De hoc unanimi nationum consensu egregie dixit MACROBIUS:“ obtinuit non minus de incorporalitate animae, quam de immortalitate sententia.“ (*in Somn. Scip. l. I. c.* 14). Sed neque ex populis recentius cognitis, quantumvis barbaris esse unum aliquem, qui omni immortalitatis cognitione destituatur, fuse ostendit Abbas BANICRIUS (*L' hist. gen. des cerem. moeurs, et coutumes relig. de tous les peup. de monde. t.* 5). Proferamus aliqua: Sinenses viris illustribus vita functis divinos honores decernunt, et cum Japonibus praemia vel poenas in altera vita exspectare docentur. Incolae insulae Formosae vota faciunt, Diisque supplicant, ut defunctis locum commodum amicosque fidos in altero mundo procurent. PEGUANI sibi firmissime persuadent, animas migratione per diversa corpora purgatas tandem ad Deorum felicitatem pervenire. Tellaponenses in regno Siamensi ad mortuorum busta cantiones quasdam morales concinunt, putantes, effici hac ratione, ut animae rectam, quae ad paradisum ducit viam, ingrediantur. Cochinchinenses, quorum BRAMAE, sive sacerdotes, quamvis actionem bonam praemio, malam contra poena affici in altera vita docent, varii generis dapes, quibus animae alantur, ad sepulchra deferunt, qui mos apud plures quoque alias nationes in usu est. Generatim de Indiae orientalis idololatris scribit laudatus auctor, eos omnes post mortem Judicium expectare. In SOCOTERA, quae Africae est insula, filii a parentibus demortuis oracula petunt „Vos, ajunt, qui mane cum Deo conversamini, notum facite, quid hoc in negotio a nobis geri velitis.“ In Guinea regi, diem obeunti, populus magno numero subditos mactat, ut hoc stipatus comitatu gloriose in regnum spirituum ingrediatur. Universe apud omnes populos opinionis hujus vestigia deprehensa fuisse, multis confirmat GROTIUS (*de ver. rel christ. l. I.*) quem lector adire poterit, nobis jam non licet longioribus esse.

Schol. 2. Consensionem universalem contendunt nonnulli, aut nullam fuisse, quod et antiquitus multi cum Epicureis et Stoicis contrarium docuerint, et recentius in Ame-

rica integri populi inventi sint, qui omnis alterius vitae ignoratione tenebantur, aut siqua fuerit, ex Poëtarum solum fabulis originem duxisse, quae licet a vulgo probarentur, a sapientioribus tamen risae fuerunt, ut Cicero (*Quaest. tusc. l.* 1. *c.* 5.) innuit. Addit Lucas Brugensis Lovaniensis theologus (*Comment. in Matth. c.* 3. *v.* 7.) veteribus Hebraeis prorsus ignotam fuisse hanc de immortalitate doctrinam. R. Consensionem omnium nationum et exstare, et ex naturali animi comparatione proficisci supra demonstravimus; paucos, qui contra nituntur, non moramur: neque enim paucorum et naturae depravatae auctoritas, auctoritatem naturae incorruptae, omnium saeculorum diuturnitate confirmatam elevat, cum praesertim hi ipsi actiones suas, vitaeque rationem, dum posteritati student, famae consulunt, mortis timore anguntur, ad communem opinionem conformant. „Nec quemquam (scripsit de Epicuro Tullius:) vidi, qui magis ea, quae timenda esse negaret, timeret, mortem dico et Deos." (*De nat. Deor. l.* 1. *c.* 29). Ignorantia quorumdam in America populorum nullo teste idoneo nititur, quin ex probatae fidei scriptoribus contrarium evincitur; quodsi tamen id de una, vel altera natione cum veritate affirmari posset, sequeretur solum, homines belluarum more viventes et corporis voluptatibus penitus immersos ita a natura sua recedere, ut posita omni futurorum sollicitudine, veritates maxime patentes non videant. Porro veterum consensionem ex poëtarum fabulis ortam esse adeo verisimile non est, ut potius haec commenta firmissimum praebeant sensu communi testimonium; quis enim ignorat Poëtis in more fuisse, veritates aliquin cognitas variis figuris ac schematibus involutas populo proponere? Certe veritatem assutis idgenus portentis et absconditam et depravatam a Poëtis fuisse jam olim Plato (*de rep.* 4. 3.) conquestus est, illosque propterea ex sua republica exulare voluit. Cicero quoque laudato loco non ipsam de animorum perpetuitate opinionem, utpote quam toto libro gravissimis argumentis constabilivit, sed adjecta poëtarum figmenta risit, riderique a sapientibus testatus est (*Quaest. tusc. l.* 2. *c.* 16). Dissimulandum dein non est, nonnullos ex antiquis etiam Christianis philosophis animam mortalem esse, disertis verbis pronunciasse, quid vero inde? num propterea veritas periclitatur? minime. Illi animam ab animo discriminarunt, ajentes, illam materiale ac corruptibile hujus, qui spiritus ac immortalis sit, vehiculum esse (*vide, Plutarchum de placitis phil.* 14. *l. I. c.* 6. *et* 7). Quod denique vetustissimos Hebraeos attinet, illos futurum animorum immortalium statum non ignorasse, praeter multa alia argumento est, tum lex a Moyse lata de non consulendis mortuis (*Deut. t.* 18. *VII.*) tum quod Abrahamus vita functus, aliique Patriarchae ad populum suum congregati fuisse dicantur (*Gen. c.* 25. *v.* 8). Et nonne ex illis Domini verbis: ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, ipse Christus conclusit: Non est Deus mortuorum, sed viventium? (*Math.*

c. 21. v. 32). His itaque expensis patet, turpissimi mendacii reum esse auctorem infamis scripti, Potsdamii in lucem dati, cum audacissime pronunciat, de animorum cum corpore interitu olim certam et omnium antiquorum Philosophorum consensione confirmatam sententiam fuisse; Pherecydem Syrum primum, Tullio teste, animos hominum sempiternos dixisse (*Discours sur la vie heurense p.* 34. *suiv*). At tametsi istud Tullius scripserit (*Quaest. tusc. l.* 4. *c.* 16.) non tamen asseverare voluit, Pherecydem primum hujus sententiae auctorem extitisse; quomodo enim alias universali Chaldaeorum, Persarum, Aegyptiorum, qui longo ante hunc tempore floruerunt, consensione pro animorum immortalitate pugnare potuisset? ne itaque Tullius pugnantia tradidisse videatur, dicendum est, Pherecydem primum, futurum animorum statum suis ac praecipue Pythagorae, quem aliquo tempore instituerat, magis dilucide exposuisse, id quod cum toto orationis contextu, ac inprimis cum antecedentibus optime congruit.

§. 81.

Justorum aeternam fore beatitudinem, ac proinde vitam ratio docet. Nam 1. Vera beatitudo ejusmodi esse debet, quae omnem anxietatem excludat, atqui si justorum felicitas esset aliquando desitura, non minor foret beatorum sollicitudo, quam eorum, qui in terris positi thesaurum gestant, quo spoliari possunt, quinimo, cum melius norint beati conditionis suae pretium, illius amittendae metu longe acerbiore sollicitarentur. Nec dicas: animam justi, ipsa incogitante, nec subdubitante, ex improviso esse extinguendam. Deus quippe eam fallaci securitate deluderet, et quasi velum ante oculos expanderet, ne proximae extinctionis imaginem intueatur, quod Deo prorsus indignum est. 2. Non solum felicitatem appetimus, sed felicitatem constantem immutabilem et perpetuam, in qua nil amplius vel sperandum, vel metuendum sit. Haec propensio universalis est ac ineluctabilis, ab ipso igitur Deo fuit nobis insita, nec suo effectu sine homi-

nis culpa fraudari potest, atqui tamen eo fraudaretur, si justorum felicitas esset finem habitura. 3. Quaenam causa posset Deum impellere, ut animam post aliquod temporis spatium a beatitudinis sede in nihilum detruderet? Justorum animas diligit Deus, et ab ipsis diligitur. Quorsum ergo statim abrumperetur illud charitatis commercium? Nonne certius est, mutuum hunc Creatoris et creaturae amorem esse beatitudinis nunquam desiturae pignus certissimum? Sed nec poenarum aeternitatem repugnare demonstrari potest, tum quod totam peccati gravitatem accurate aestimare non valeat ratio humana, ac proinde nec demonstrare, repugnare poenarum aeternitatem; tum quod peccatores ita sint animo comparati, ut in aeternum vivere cupiant, quo possint in aeternum peccare; siquidem ita sint rebus sensibilibus dediti, ut in iis suam felicitatem, suumque finem ultimum constituant, nunquam autem demonstrari possit, repugnare, ut in aeternum peccandi desiderium poenis puniatur aeternis; tum denique quod non repugnet, tamdiu durare poenam, quamdiu subsistit peccatum, fieri autem possit, ut peccatum per totam aeternitatem maneat non expiatum. Duplici enim tantum modo deleri potest, nimirum, vel per gratuitam condonationem, vel per condignam peccatoris satisfactionem, atqui fieri potest 1. ut nunquam deleatur peccatum per gratuitam condonationem; beneficium enim mere gratuitum potest etiam non concedi, ut ipsa verba satis indicant. 2. Contingere quoque potest, ut peccator nunquam Deo rependat condignam satisfactionem; ad eam quippe requiritur gratia, quae cum donum sit prorsus gratuitum, potest non

impertiri. Denique quomodo demonstrabunt increduli, non potuisse summum legislatorem Deum decernere, quod maxime utile est, ne dicam necessarium, ad reprimendam peccandi et leges divinas infringendi libidinem; atqui ad eam coërcendam plurimum valet poenae aeternae comminatio; qui enim hujusmodi poenam agnoscunt, non semper a malo deterrentur, suis cupiditatibus pertracti; quanto igitur et frequentius peccarent et atrocius, nisi supplicii aeterni metu tanquam freno retinerentur?

Scholion. Dicunt quidem aliqui, sententiam poenarum aeternitatem defendentem adversari Justitiae divinae. At justitia Divina non laeditur in eo, quod puniat peccatum, quamdiu non expiatur; jam autem peccatum mortale per totam aeternitatem non expiabitur: siquidem hominem post interitum in eo statu constituat, in quo divinae justitiae nunquam poterit satisfacere; nam caritatem in aeternum extinguit, sine qua flecti non potest divina justitia. „Il est juste, inquit Le François, que le pécheur, qui ne veut pas aimer Dieu, soit puni tant qu' il ne l'aimera pas; or il ne l'aimera jamais. Car sur quel fondement pourroit on supposer, qu' un pécheur, qui ne veut point aimer Dieu en cette vie, recevra dans l' autre la grace de l' aimer.“ *Oggerunt ultro*: hac sententia posita, Deum inter poenas et peccata nullam servaturum proportionem. Ad quod *respondere* poteris: Postulat quidem aequitas, ut aliqua sit proportio inter poenam et culpam, quatenus scilicet pro graviori peccato major poena, minor vero pro leviori infligi debet; sed illud non est intelligendum de omnimoda proportione, quasi aestimanda esset ex durationis aequalitate: inde enim sequeretur, vix ullam inter homines servari justitiam, cum poenae pro commissis sceleribus decernuntur a judicibus. Nam quotidie contingit, ut pro crimine v. g. homicidio, quod brevissimo tempore fuit perpetratum, reus poena capitis damnetur, qua in perpetuum ab humana societate aufertur. Inde etiam sequeretur, crimina gravissima citius commissa poenis brevioribus esse plectenda, quod absurdum est. Poenarum igitur cum peccatis ratio non est pensitanda ex durationis aequalitate, bene vero ex criminis gravitate, vel etiam supplicii ad coërcendam leges infringendi libidinem, utilitate et necessitate, potuit ergo citra injustitiam Deus poenas aeternas gravibus peccatis imponere, praesertim si mercedem eadem ratione, qua poenam amplificet, hinc bonis praemium aeternum, inde malis supplicium perpetuum denunciando. Sapientiae Dei

repugnare, clamitant ultro, poenam inutilem reposcere, poenam autem aeternam inutilem futuram fore, siquidem damnatorum emendationi nihil prodesse possit. At primo retorqueri potest argumentum hoc modo: Sapientiae Dei repugnat poenam inutilem reposcere, atqui annihilatio, quam tantopere exoptant increduli, foret poena inutilis, quem enim fructum ex ea percipere potest, qui in nihilum redigitur? ergo etc. Secundo: Poenae aeternae hominibus prosunt non quidem ad corrigendos damnatos, verum ad aliorum emendationem, ut scilicet, vel a peccato revocentur, vel ab eo praecaveant. Experientia enim constat plerosque homines ita esse comparatos, ut poenas temporarias contemnant, earumque metu a crimine non satis deterreantur. Hominis nefarii v. g. homicidae violenta mors ipsius emendationi nihil sane prodest, atqui tamen juste et sapienter a judicibus decernitur; in eorum quippe utilitatem cedit, qui hujusmodi exemplo commoti a crimine abducuntur. Dein per aeternitatem poenarum consulitur legum majestati, quarum longe frequentior esset violatio, nisi tanti mali formidine homines continerentur.

§. 82.

Opinio de animarum immortalitate ad conservandam societatem humanam summe necessaria, ejusque negatio summe periculosa est. Opinione enim de alia vita, in qua sit aequa praemiorum poenarumque distributio, omnibus mentibus impressa, sublata, omnis virtus, justitia, subditorum in Dominos observantia et obedientia, paternus horum in subditos amor, quibus omnis humana societas continetur, una periret. Nisi enim supremus et omnia perspiciens vindex timeatur, praeter timorem tantum humanum, praeter potentioris metum nullum aderit motivum, quo homines ad evitanda scelera efficaciter impellantur: an vero id genus metus homines in malum alioquin propensissimos a criminibus suis absterrebit, praesertim si spes affulgeat, fore, ut ea occultentur? Certe si absurdissimum Hobbesii et Machiavelli syste-

ma obtineat, nullum erit scelus adeo enorme, quod ab inferioribus clam, aperte a potentioribus non admittatur. Fingamus jam communem hanc de immortalitate sententiam cum veritate non consentire; nonne recte inde concludemus, universalem errorem omnium animis infusum necessarium esse ad societatem humanam tum conservandam, tum provide gubernandam? quid vero hac hypothesi magis absurdum? ad quid opus erat hominem ratione, quae erroris inimica est, instruere, si per errorem gubernandus sit? quomodo deinde universalis hic error cum infinita Conditoris sapientia, veracitate, providentia conciliabitur? — Dein, etiamsi sententia immortalitatem animae affirmans non foret verisimilior, attamen viri prudentis est, eam amplecti, ipsique vitam suam accomodare. In dubiis enim pars tutior est eligenda, ut jubet vulgare axioma; jam autem sententia, quae animae immortalitatem defendit, longe tutior est opposita; qui enim animam immortalem esse existimant, et vitam huic persuasioni consentaneam duxerint, ii omnia tuta habent, nihilque adeunt discriminis, etiamsi fallerentur; qui vero animam corpori superstitem negant, omnia iu discrimen adducunt; nam si altera vita eos maneat, quam luctuosa, quam deploranda erit ipsorum conditio, quam horribiles pervicaciae suae poenas daturi sunt, qui et Religionis et ipsius naturae voci obstinato animo restiterunt! Ergo et ad societatem humanam conservandam opinio de animorum immortalitate est prorsus necessaria, et ejus negatio cum summo periculo connexa.

Scholion 1. *Objiciunt.* 1. Illud interire debet simul cum corpore, quod ab eo pendet, ut existat, atqui anima humana

pendet a corpore, ut existat, ergo etc. ℟. n. m. Substantia enim a corpore distincta et prorsus diversa, ab eo non pendet, ut existat: atqui anima humana est substantia etc. siquidem est simplex, corpus vero compositum. Praeterea si anima a corpore sejuncta plurimas functiones facilius et perfectius exerceret, certe non pendet a corpore ut existat; jam autem mens humana a corporis vinculis soluta plurimas obiret functiones et facilius et perfectius. Ad contemplandas enim res divinas veritatesque mere intelligibiles et supra sensus positas magis esset expedita, ab earum quippe meditatione abducitur et distrahitur per importunas sensationes, quibus occasione corporis subjacet. *Urg.* Quod est forma corporis, ab eo pendet, ut existat, atqui anima etc. ergo. ℟. D. M. quod est forma, id est, modificatio corporis, ab eo pendet, ut existat, C. M. quod est forma corporis, id est, substantia, quae corpus regit et informat, ab eo pendet, ut existat, n. M. anima humana dici quidem potest forma corporis, quia corpus, cui conjuncta est, regit, moderatur et informat; non autem eo sensu, quod sit corporis modificatio. Corporis enim alicujus modus v. g. rotunditas ab eo non distinguitur, et nihil aliud est, quam corpus ipsum, hoc vel illo modo dispositum: jam autem anima humana, utpote simplex a corpore prorsus distincta est ac diversa, ergo illius modificatio esse non potest. *Obj.* Anima humana est substantia incompleta, ergo sine corpore non potest existere. ℟. D. A. est incompleta eo sensu, quod sola hominem cujus pars est, non constituat, et ad corpus regendum destinata sit. C. A. eo sensu, quod sine corpore existere nequeat, n. A. Ubi duae substantiae sunt naturae prorsus dissimilis, una potest sine altera existere, jam autem corpus et anima duae sunt substantiae naturae omnino diversae, ut demonstravimus, ergo etc. *Obj.* Substantia, quae propter solum corpus creata est, cum eo interire debet, atqui, ergo. ℟. N. m. Deus enim propter se ipsum, tamquam finem ultimum, animam humanam procreavit, ut scilicet ab ea cognosceretur et diligeretur. Praeterea substantia nobilior et praestantior dici non potest creata propter aliam longe inferiorem et ignobiliorem, atqui anima humana substantia est corpore nobilior et excellentior, et aliunde cum eo nullam habet necessariam connexionem, cum sit naturae omnino diversae, ergo animam suam nimium deprimeret, quisquis eam propter corpus solum creatam fuisse existimaret. *Urgent.* Quod informando corpori destinatum est, propter solum corpus merito dicitur creatum, atqui, ergo. ℟. d. M. Quod informando corpori ex natura sua destinatum est C. quod nonnisi ex libera Dei voluntate destinatum est informando corpori n. A. Mens humana ex libero tantum Dei decreto ad corpus informandum destinata est, minime vero ex natura sua. Illa enim substantia corpori informando ex se destinata non est, inqua nulla deprehenditur necessaria cum corpore connexio, atqui anima humana non est necessario connexa cum corpore, quini-

mo utriusque natura est omnino dissimilis, nullamque inter se habent cognationem, *Obj.* Anima humana crescit cum corpore, senescit cum eodem, ergo pereunte illo etiam peribit. N. A. Cum enim anima individua substantia sit, neque crescere neque senescere, eo, quo adversarii volunt, sensu, potest. Ea duntaxat, quae ipsi ad agendum necessaria sunt, variantur; ut organorum dispositio, fibrillarum firmitas et ad certas motiones habilitas; atque hinc promanat omne illud discrimen, quod videmus, si eam habilitatem agendi, quam quis e. g. in virili aetate habet, contendamus cum illa, quam habuit, dum adhuc aetatem primam egit. *Urg.* Obnoxia est aegritudinibus, dolori, tristitiae etc. ergo non minus ac corpus in seipsa continet principium interitus sui, consequenter non est natura sua immortalis ℔. c A. n. C. Ex eo, quod anima nostra dolori, tristitiae etc. obnoxia sit, intelligimus quidem, illam non esse ens summe perfectum, non intelligimus tamen eandem etiam natura sua ad corruptionem tendere; ens enim simplex vi doloris et tristitiae in partes resolvi, seu corrumpi, est impossibile. Aliter sentiendum est de corpore; cum enim istud sit ens compositum, dissolutione partium interire potest, quam in eo morbi, aliaeque caussae naturales facile efficiunt. *Urg.* Anima hominis sanari potest medicinis materiatis; nam saepe ab amentia, in quam forte incidit, medicamentorum ope liberatur, ergo actione caussarum materiatarum laedi quoque ac destrui potest. ℔. n. A. Dum enim quispiam ab amentia liberatur, non anima ipsius, sed cerebrum sanatur. Nempe vi legis illius, qua auctor naturae animam corpori arctissime copulatam voluit, illa suis in actionibus ita dependet a motionibus cerebri, ut si hae vi cujuspiam morbi perturbentur, etiam in anima perturbata cogitationum series enascatur. Quare ut sibi restituatur homo ejusmodi, qui delirat, sufficit, si cerebrum ipsius sanetur; quod medicinis corporis saepe fieri posse, in confesso est. Quemadmodum ergo manus scriptoris non dicitur sanari, dum calamus, quo illa characteres rite efformare prius nequivit, reparatur; ita neque anima est dicenda sanari, dum cerebrum cujus recta constitutione opus habet illa ad suas functiones rite peragendas, medicina materiata pristino vigori restituitur. Objectiones has ex Lucretio desumunt adversarii, *qui libro* 3. *de natura rerum vers.* 456. sic canit:

Praeterea gigni pariter cum corpore et una
Crescere sentimus pariterque senescere mentem.
Nam veluti infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde, ubi robustis adolevit viribus aetas!
Consilium quoque majus et auctior est animi vis.
Post, ubi jam validis quassatum est viribus aevi,
Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus,

Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque:
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras.

At audiatur et altera pars, Emin. Poliniacus eleganti carmine hac de re disserens:

Observa mecum attente meditansque revolve,
Quid valeant, quid non haec argumenta Lucreti.
Ostendunt una mentem cum corpore jungi.
Quis neget? Ast unam mentisque et corporis esse
Naturam non significant. Ita quilibet arte
Strenuus aonia citharam pulsare sonantem
Mobilibus digitis chordasque animare loquaces,
Et laenocinio blandi modulaminis aures
Demulcere tuas cithara sic perdet ab ipsa
Non ullos ut possit, ea sine, promere cantus.
Nam si rupta silet, si qua temerata ruina est;
Si chordae nimium tensae nimiumque remissae
Amisere tonum, vel si una aut altera desit.
Si caveam implerunt sordes hebetantque sonorem,
Ecce manet citharaedus iners, frustraque peritus;
Aut nihil, aut pravum canit et nescire videtur.
Ergo artem museam ipsa in testudine pones?
Ac tibi propterea res una putabitur esse,
Organum et organicus? Talis fit copula porro
Corporis ac mentis; nisi quod deponere non quit
Adjunctum sibi mens, aut sponte resumere corpus,

(*et paullò inferius subjungit:*)

Propterea mirum non est, si partibus aegris
Aut somno pressis, aut quavis denique caussa
Turbatis cerebro praesertim, ubi cuditur ingens
Agmen spirituum, et quaevis celatur imago,
Saepe aut nulla intro rerum simulacra ferantur,
Aut veniant lacerata modis inversaque miris,
Aut varia, aut ipsis etiam contraria rebus,
Unde furor, stupor, et deliria parva sequuntur,
Donec enim premitur coeco mens carcere clausa,
Carceris haec leges aeternaque foedera servat,
Et dolet et gaudet, prout hoc compactile corpus
Suavia titillant nonnunquam, aut aspera laedunt.

(*In Anti-Lucretio Lib. V. de mente vers.* 739.)

Obj. Substantia quae initium habuit cum corpore, cum eo pariter finem est habitura, atqui, ergo. R. N. M. Ex eo quod anima idem ac corpus initium habuerit, non sequitur eam simul cum corpore interituram esse; sicut enim Deus potuit velle, ut anima extra omne corporis consortium

existat, ita potuit velle, ut corpore dissoluto superstes servaretur. Numquid unius substantiae destructio alterius ruinam exigit, et maxime cum naturae sunt omnino disparis? Praeterea corpus post suam ab anima disjunctionem non abit in nihilum, sed tantum mutatur, non destruitur, sed duntaxat dissolvitur, non perit, sed novam solum formam induit. Norunt enim omnes Philosophi nullam materiae particulam annihilari: atqui ex adversariis eandem sortem et fortunam experiuntur corpus et anima, ergo anima a corpore sejuncta in nihilum non recidit, ac proinde non perit, siquidem perire non potest, quin redigatur in nihilum; partes quippe nullas habet, quarum dissolutione interire possit, ergo manet corpori superstes. *Urg.* Si anima, quae initium habuit cum corpore, simul cum eo non interiret, mortem corporis non tantopere reformidaret, atqui ergo. ℟. N. M. Deus enim animam corpori jungendo voluit, ut ejus conservationi invigilaret, et ideo naturalem ipsi indidit eorum omnium formidinem, quae corporis constitutioni nocere possunt. Quid vero corpori magis noxium esse potest, quam mors? Praeterea dubitatio, anxietas, qua sollicitatur anima de futuro post corporis mortem suo statu, vitae praeteritae recordatio, et justitiae divinae, quam nullus effugere potest, intuitus, non leves sunt causae, cur mortem corporis mens refugiat, et animae immortalitatem propugnant potius, quam impugnant. *Obj.* Omnia in natura sunt mutabilia, omne existens ex statu determinato in alium determinatum statum transit, ergo fors etiam anima legi huic subjacet, et ex statu conscientiae in oppositum, seu statum mortis transibit. ℟. N. C. Anima saltem respectu determinationum suarum mutabilis est, et in tantum legi mutabilitatis substantiarum finitarum subjacet. At ut substantia, abstrahendo a variatione accidentium, seu determinationum semper eadem persistit, ergo etiam semper substantia libertate gaudens permanet. Libertas vero sine conscientia est impossibilis, ergo etiam semper conscientiam retinebit, licet conscientia haec alio modo se manifestare possit. *Obj.* Si anima humana esset natura sua immortalis, id deduceretur potissimum ex eo, quem intimo sensu percipimus, verae felicitatis adpetitu: atqui inde deduci non potest. *Prob. m.* Etiamsi is appetitus noster nunquam posset impleri, propterea nulla redundaret in Deum imperfectio, ergo ex eo adpetitu deduci nequit immortalitas animae humanae. *Prob. A.* Varias adpetitiones habere solent homines, quae impleri non possunt, quin propterea in autorem naturae ulla redundet imperfectio e. g. multi habent adpetitum maximarum divitiarum, longissimae vitae, volandi in aëra, constantis sanitatis etc. cui tamen adpetitui ut satisfiat, non est in ipsorum potestate, ergo similiter nulla in autorem naturae redundaret imperfectio, tametsi ita essemus natura comparati, ut nunquam possit satisfieri illi nostro adpetitui, quo in veram felicitatem nostram ferimur. ℟. C. M. N. m. ad prob. N. A. ad hujus prob. C. A. n. C. Dispar ratio est; nam dictae adpetitiones

non induuntur nobis a natura, secus eae perinde inessent uni homini, ac alteri, quod tamen verum utique non est. Nempe priusquam veram felicitatem nostram consequamur, inquieti in illam inquirimus, ideoque ad quamcunque boni speciem, veram vel falsam, animo occurrentem inclinamur, putantes verum bonum nostrum ibi latere posse. Hinc tametsi etiam immoderata e. g. longaevae vitae adpetitio, in nobis ex ipso naturali verae felicitatis desiderio, velut ex radice, profluat, non proflueret tamen, nisi eam ob defectum debitae considerationis sub specie veri boni nostri nobis proponeremus. Nulla ergo potest in Deum redundare imperfectio, si ejusmodi desideria nostra impleri nequeant, praesertim cum ejusmodi caducorum bonorum consecutione a vera felicitate nostra consequenda plurimum impediremur. Ex adverso verae felicitatis adpetitus, omni omnino homini communis, ab ipso autore naturae proficiscitur, cui proinde si naturaliter satisfieri non posset, ea absurda consequerentur, quae superius notavimus. *Urg.* Adpetitus ille felicitatis, quem reipsa a natura habemus, ad summum exigit, ut anima humana aliquo post destructionem corporis tempore conservetur; ergo naturalis animae humanae immortalitas ex eo adpetitu deduci adhuc non potest. *P. A.* Quia, num adpetamus aeternam beatitatem, id inde solum provenit, quod ex revelatione divina discamus, nos capaces esse beatitatis aeternae, eamque nobis a Deo praeparari, si ad ejus praecepta vitam exegerimus; Gentiles autem, qui ratione naturali evincere conantur, veram felicitatem, animae humanae competentem esse debere aeternam, in eam cogitationem ideo duntaxat venerunt, quia in libris Moysis ea legerunt, quae ipsis de beatitatis aeternitate suspicionem moverint: ergo natura humana sibi relicta, omnique revelatione divina carens nunquam sensisset adpetitum beatitatis aeternae: eo ipso autem ille, quem reipsa a natura habemus, felicitatis adpetitus ad summum exigit, ut anima humana aliquo post destructionem etc. *Prob. A.* Aeternitas beatitatis, animae humanae convenientis, ratione naturali cognosci non potest: ergo, quod nunc adpetamus aeternam beatitatem, inde solum provenit, quod ex revelatione etc. *Prob. A.* Ratione naturali in praesente argumento non plus evinci potest, quam a justissimo providentissimoque Deo debere animabus hominum destinari praemia quaedam, post dissipationem corporis impertienda, quibus sufficienter compensentur merita animae, quae posuit, dum corpori copulata fuit, quaeve sint aptum medium, quo homines ad virtutem colendam in vita, vitandaque scelera incitentur: atqui praemia quaedam ingentia, longissimo tempore e. g. mille millionibus annorum duratura, profecto sufficienter compensarent merita naturalia animae humanae, possentque esse sufficiens motivum, quo homines ad virtutem colendam, vitandaque scelera incitentur, praesertim si recogitarent, improbos ex adverso acerbissimis poenis per longissimum itidem tempus cruciandos, ergo aeternitas beatitatis animae humanae convenientis ratione naturali co-

gnosci non potest. ℟. N. A. ad prob. rursus N. A. et ajo: etiamsi omnis divina revelatio abesset, tamen generica quaedam notio verae felicitatis animo nostro identidem occurreret, eaque occurrente necessarius verae illius felicitatis adpetitus in nobis enasceretur. Sic nunc quoque non est sane ulla natio tam barbara, quae adpetitum verae felicitatis suae non sentiat, ut ut omni revelatione careat. Atque hujusmodi adpetitus naturalis, quoniam non potest exsatiari nisi bono aeternum duraturo, jam evincit, ea lege fuisse animam humanam a Deo conditam, ut ab eodem in aeternum conservetur; idque dictus adpetitus sufficienter evinceret, etiamsi nunquam nobis incideret reflexe, veram felicitatem debere esse aeternam. Porro etsi negare non possimus, multos Philosophos cognitione revelatarum veritatum fuisse non parum adjutos, ut de natura verae felicitatis naturalis acutius, accuratiusque meditarentur, falsum tamen est, supra naturales ingenii humani vires esse, ut absque omni revelatarum veritatum cognitione agnoscere queamus, verum esse illud Tulii: si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Unde in alteriore prob. N. A. ad ultimam prob. N. M. Nam etiamsi Dei, merita nostra naturalia praemiare volentis, justitiae satisfieret, si quaedam ingentia praemia longissimo tempore nos manerent, et etiamsi eadem praemia sufficiens motivum nobis esse possint, ut virtutem colamus, scelera vitemus; attamen, postquam constat adpetitum verae felicitatis esse nobis inditum ab autore naturae, jure inferimus, id non posse cum infinita ejus sapientia cohaerere, ut hoc non obstante animas nolit esse capaces verae felicitatis, ac proinde immortales. Deinde postquam idem Naturae Autor communem naturae sensum hominibus indidit de animae nostrae immortalitate, ita, ut praecipuum incitamentum, quo homines ad vitae honestatem, vitandaque scelera moveri solent, sit universalis illa persuasio, quam de animae suae immortalitate habent, profecto rursus manifesta in eundem imperfectio redundaret, si communis haec persuasio reapse falsa esset; praecipuum enim tunc honestae vitae humanaeque societatis fundamentum in errore situm esset, dicendumque foret, Deum falsa hac persuasione nobis ingenerata nos allicere ad colendam virtutem, vitiaque declinanda; communis siquidem hominum in re tanti momenti persuasio Deum ipsum Auctorem habeat, oportet. *Urg.* Animae humanae proprietates non exigunt ejusdem creationem, ergo neque exigunt conservationem perpetuam. *Pbant Cons.* Conservatio est continuata quaedam creatio, ergo de conservatione animae humanae perinde sentiendum est, ac de prima ejus creatione. ℟. c, A. n. C. Dispar ratio est; nam proprietates animae ante creationem sunt mere possibiles; res autem mere possibilis productionem sui exigere non potest, secus enim Deus ad res procreandas externa sibi ratione sufficiente determinaretur, quod tamen cum libertate ipsius non bene cohaeret. Contra eo ipso, quod decreverit Deus condere

animam, eo verae felicitatis adpetitu, quem intimus noster sensus testatur, praeditam, jam jure inferimus, ab eodem generalem naturae legem de animabus humanis conservandis latam esse. Hinc *ad prob.* C. A. n. C. Caeterum etiam quoad creationem animae humanae exstat aliqua naturae lex a Deo libere lata; nimirum vi cujus autor naturae pro quolibet corpore humano rite organizato aliquam animam humanam condit. *Objiciunt.* Anima belluarum est a corpore distincta, et tamen perit cum corpore; ergo idem de anima humana sentiendum est. Resp. I. *neg. Cons.* Tametsi, quid cum bestiarum animabus post corporis corruptionem divina providentia constituerit, omnino ignoremus, consecutio tamen haec neganda est; neque enim ex eo duntaxat, quod ens et simplex sit et facultate cogitandi inferiore polleat, continuo sequitur, illud immortale esse. Ad immortalitatem nimirum naturalem requiritur, ut ens nec a viribus entium creatorum, nec a Deo, ut naturae auctore existentia aut vita spoliari possit. At vero bestiarum animae poterunt fortasse a viribus creatis, quae corporis corruptionem efficiunt, vita privari; cum enim facultatem cognoscendi solum inferiorem et ab organis corporis pendentem possideant, fieri posset, ut a destructo jam corpore separatae cogitare nequeant, quo casu existentiam quidem, non tamen vitam continuarent, ac proinde immortales non forent. Posset item fieri, ut corporis corruptio secundum leges universales a Deo constitutas ipsarum annihilationem postulet, quemadmodum ejus organizatio illarum creationem exigit: quod si ita foret, possent hae animae a Deo ut naturae auctore, id est, ut secundum leges universales a se constitutas agente, destructo corpore annihilari. Istud equidem eo probabilius affirmatur, quo certius videtur, nullum illis finem praeter corporis informationem praestitutum esse, quodvis vero ens in hac rerum universitate existere naturaliter cessat, cum finem porro existendi non habet. Denique cum intellectu et ratione careant, nec Deum cognoscere, et amare, nec actus moraliter bonos, aut malos exercere, nec praemium, vel poenam promereri possunt, neque etiam iis proprietatibus, quae aeternam conservationem postulant, instructae sunt, ex quibus supra animae humanae immortalitatem demonstravimus. *Obj.* Deus potest impios post corporis dissolutionem in nihilum redigere, quae poena erit ipsis sufficiens, cum omnes ex natura sua universam destructionem abhorreant, ergo minime necesse est ad vitam alteram confugere, ut sua sit vitio poena. R. N. A. Haec enim poena non sufficit: 1. quia integram extinctionem parum curant impii. „Manducemus, inquiunt, et bibamus; cras enim moriemur. (1. *Cor.* 15. 32) 2. Quia non tantum postulat Dei sapientia, ut puniantur improbi, sed etiam, ut diversa pro diversis criminibus poena infligatur; namque si par esset conditio, tum eorum qui in paucis peccarunt, tum eorum, qui omni scelerum genere se se inquinarunt, tunc nulla in Deo aequitas, nulla sapientia deprehenderetur. Qui enim futuram felicitatem con-

temnere coepissent, jam nullo freno coërciti, in teterrima quaeque ruerent; cum videlicet eandem uni delicto, ac pluribus criminibus poenam, nempe eandem destructionem, sancitam cognoscerent.

Schol. 2. Audio equidem magna verborum pompa, caperata fronte graviqne voce mihi edicere altius sapientem Stoicum, exercendam esse virtutem sine ulla abjecta et plebeja spe alicujus mercedis, cum virtus sibi ipsa sit pulcherrima merces; bene et rerum naturae convenienter actorum certam conscientiam esse dignissimum eorum praemium; vanas esse divitias; inanes esse honores, famam nominis esse vagum et dubium rumorem, dolorem non esse malum; pulchritudinem, robur corporis, valetudinem prosperam, fortunam nulla esse vera bona; captivitatem, famem, paupertatem, criminationem, languorem, morbum nulla vera mala, neque res externas, cujuscunque fuerint indolis, a virtutis studio et stadio sapientem abducere.— Prorsus convictus affirmo, hanc ipsam in sua simplicitate, omnisque etiam adventitiae felicitatis, quae ad vitam beatam requiri videtur, expertem, manere nihilominus venerabilem et amabilem. Sed si haec mea venerabilis et amabilis virtus, nuda quasi, sceleratorum opprobriis, conviciis, scommatibus, injuriis exponatur, hique de ea perpetuos et magnificos agant triumphos, sola tranquillitas, et affectata immobilitas, etiam alicui Aristidi juvamen sufficiens non praebent, ut invicta perstet, et tandem non occumbat. Scilicet quando mihi omnia commoda, omnia innocentissima oblectamenta detrahit inconcussa hactenus mea virtus, quando rigida a me exigit, ut gratis omnibus sensationibus renunciem, ut instinctibus naturalibus, anxiis meis et flagrantibus desideriis contranitar, ut amoris mei obliviscar, ut opes, uxorem, liberos, vitam parvi faciam, ut ipse famelicus et sitibundus aliis mensas opiparas instruam, unde tandem nutans animi constantis fulcra conquiret, quibus erecta teneatur? Quaeramus succumbenti valida praesidia et subsidia per universum orbem, percurramus maria et terras, nullibi ea inveniemus, nisi elato in sublime, directoque in coelos vultu, intensa oculorum acie almam providentiam attigerimus, aequamque praemiorum stabilium dispensatricem detexerimus. Ibi splendore suo et valore gaudens perdurabit intemerata virtus, ibi sub divinis auspiciis perpetuo incrementa capiet, et ad ultimam perfectionis suae metam tendet. Hac spe destituta, aerumnis hujus aevi superandis foret impar, ejus vero sacra anchora firmata malis non cedit; sed contra it audentior et animosior. Tolle autem paulisper magnificam hanc et augustam spem, et tunc Oedipo sagacior confiteberis, insolubile esse aenigma, quomodo ens infinite sapiens, potens, et justum, mundum creare potuerit physico respectu elegantissimum, ordineque per stabilitas motuum leges admirandum, in quo tamen, si moralia et politica consideraveris, nonnisi irregularis actio-

num miscela datur, et perennis fermentatio; in quo sibi permissum crimen, modo sat potens fuerit, secure, quidquid libet, tamquam licitum patrat, virtus autem ei toties subjecta sine remuneratione elanguescit, contabescit, et succumbit. An illa inanibus, mendacibus et vanis de hac olim obtinenda somniis elusa, omnis erit irrita et frustranea? Mire omnino confundi debent moderni Philosophi, et nescire, quo se vertant, quando turbulentum rerum humanarum statum bonitati st sapientiae divinae parum conformem, manifestas injurias optimis mortalium illatas, manifestamque toties hominum nauci felicitatem explicare et simul Dei existentiam, ejusque perfectissima idiomata negare, aut ad male in experientia fundatam apathiam, et virtutem sibi ipsi sufficientem recurrrere volunt. Non quaerendum est, quomodo Deus, qui ex sua natura virtutes amat et vitia abominatur, horum dominatum, illarum servitutem et oppressionem permittat, et toleret, sed pensitandum est, an perpetuo ita se se sit gesturus, id quod cum ejus attributis neutiquam potest conciliari. Si vero animae immortalitas admittatur, ex objectionum et dubitationum labyrintho facile nos extricabimus; non amplius aliquem morabitur illa supremi orbis Domini temporaria apparensque saltem inertia, et incuria, neque eapropter offensioni nobis erunt abscondita providentiae decreta et consilia, aliquando infinitam, adorandam ejus sapientiam, sanctissimam justitiam, purissimumque, quo bonos prosequitur, amorem patefactura. An rite animadvertendo vel concipi queat, Deum optimum, sapientissimum, justissimum, ens a se creatum, quod vires suas ab eodem sibi creditas, omnes sibi infusos instinctus et conatus, omnes ad rite operandum concessos habitus candide ejus voluntati consecrasset, in aeternum posse negligere et abjicere, atque de sua benevolentia et approbatione incertum et dubium, ac in ipso mortis articulo desperans relinquere? Generosi et humani inter mortales praestita sibi officia ex sincero profecta corde beneficiis solent compensare; atque Deus mortalibus hoc respectu inferior redderetur? minus generose cum suis clientibus ageret, eosque, postquam amore ejus ducti magno suo damno totos se se virtuti dederant, obiter forte illis annuens, otioso calculo eorum operibus adjecto, de hoc non convictos, sineque hujus sensu pereuntes videret! Poterat intima bene actorum conscientia, poterat certa de mea integritate convictio, aliquod mihi praemium elargiri; si vero in medio virtutis exercitio mei conscius esse desinam, egenum certe et fugax, subitoque in nihilum redactum praemium capio. Quid tandem lucraretur operosa virtus, cui nihil tam alte natura constituit, quo non posset eniti, millenis suis incommodis, pertinacibus suis contentionibus, indefessis nisibus, de tot potenter tentantibus saeculi erroribus, amoribus, terroribus triumphans, si omnia sua merita brevi tempore aliorum sceleribus intime commista in eodem lutulento pulvere putrescentia praevideat,

in quem resolvuntur bruta animantia. Id si ita eveniret, merita sibi parare, est delirare, virtutem sectari, quando aerumnas, anxietates et dolorosas sensationes gratis exantlandas, et nunquam rependendas involvit, est peccare contra sanam rationem; officia civibus meis praestare, quid dicam officia! nulla existunt officia, nisi ut si commodum mihi fuerit, et conveniat, callide decipiam, et saltem quia fallere et falli saeculum est, ab aliorum astutiis et fraudibus prudens mihi caveam; ut me solum amem, et universum orbem infortunatum vel reddam, vel esse frigidus patiar, modo mihi laeto et tranquillo bene sit. Respondeant ergo omnia vota mea unice termino meae durationis, nil me ad agendum determinet, quam sanguinis impetus, quam materiae et corporis organici appetitus sensitivus. Sequar, quo me trahant retrahantque refraenari amplius nescientes affectus, vivam forma hominis indutum brutum cum brutis, quia mihi communi cum iis fato moriendum est, hilaris edam, bibam, et ludam, quia post mortem nulla voluptas. Qui haec omnia nimis rigida et dura dictu habent, confiteantur inviti, cum anima intereunte interire omnes bonos et probos mores, omnem integritatem vitae, omnem inter homines amicitiam et fidem, omnia exercitia virtutum. Qui in praeclaris et honestis actionibus gloriam quaerit, histrio est, a paucis spectatoribus plausu, a plurimis risu et vituperio excipiendus. Quando comoedia ad finem perducta est, magna et generosa, quam in hoc mundi theatro per omnes actus cum laude sustinuit, persona, exuenda est, atque perenni oblivione sepelienda. At vero coram Deo absolutissime bono et justo, non datur ejusmodi scenica, personata, verbosa, bullata et vana virtus, quae fabula vitae desinente et velo delapso desineret; sed hac exacta serio illius pretium verum, et intrinsecus valor determinabitur. Non proinde vir, quantum possum bonus, vilis et lucro unice inhians sum mercenarius, quod turpe scomma mihi cavillatorum petulantia imponit, qui nullo spontaneo motu et interno vigore ad bene agendum impelleretur. Si pro virium modulo saluti publicae et privatae, sociis meis, amicis et inimicis consuluero, si neminem deliberato consilio miseriorem reddidero, si neminem, ea egentem, sine ope, quam praestare poteram, reliquero; si beatissimam aeternitatem ultimam metam omnium votorum meorum desideriorum factorum fixissimo semper obtutu fuerim contuitus; si nil commiserim lubens, quod ordini a Deo Optimo Maximo stabilito, sanctissimaeque ejus voluntati, quam ignorare nequeo, repugnet, illi pro sua omnipraesentia meos gressus omnes attente observanti displicere nequeo. Non potest ergo, vel velle, vel permittere, ut ad metam praefixam a carceribus properans, cursor in stadii medio bravei obtinendi spe me frustrante resolutis membris reddar paralyticus, in limosa arena concidam, eaque sub pedibus meis dehiscente abreptus in aeternum sepeliar. Nil caducum anhelo, nullas saeculi genio analogas voluptates appeto, non est mortale, quod opto; saltem progressionem

infinitam in bono desidero, et imperfectionibus meis abolitis, felicem transitum ad perfectionis complementa, quae intellectui meo, quo polleo, respondeant. Non me poenitet, non me pudet flagrantis et immensi hujus voti, quo in durabilem felicitatem feror, quam hic inter affluentes opes, inter eminentes honores, inter nectareas delicias stabilem et absolutam nullibi invenio, sed fragilem semper lubricam et inconstantem deploro. An autem cognitionem et notitiam exactiorem admirandorum operum Dei incrementum amoris, quo illum prosequor, accessionem propiorem ad ejus fruitionem, assiduam et nunquam interruptam perfectionum ejus imitationem appetens, famelicus nunquam saturarer, et aridis ac siccis faucibus sitibundus Tantalus morerer? Philosophi sagacissimi omnis aevi Deum statuerunt esse summum bonum, quia ens est sapientissimum et beneficentissimum. Tale autem non esset, si integritate et probitate mea insensibilis haud moveretur, atque ad ejus lumen adpropinguare ardenter molientem, sursumque anxie nitentem in profundam et tenebricosam annihilationis abyssum protruderet et praecipitaret. Totus interire nequeo, nisi intereunte ejus sapientia, bonitate et justitia, quae tamen aeterna est, et, ut ipse, in saecula saeculorum persistet.

Schol. 3. Non me turbant et aliter sentire faciunt, cum aliqua audacia et superbia, sed sine sufficiente deliberatione omnibus praemiis post fata ultro renuncia ntes, dum simul poenas non admittunt, quia nempe magnanimi et felices metus omnes et inexorabile fatum, strepitumque Acherontis avari pedibus subjecerunt. Id omne quidem facile dictu est, sed antea expendendum erat, an summum in coelis Numen etiam renunciaturum sit, et renunciare queat omnibus suis attributis ejus essentiam constituentibus, quae in eo collineant, ut bonum amet et probet, malum autem prorsus et perpetuo aversetur. Qui poenas metuendas obiter habent, rident et a fanatica et sancta simplicitate saltem excogitatas autumant, probare necessario debent Deum, aut punire nolle, aut non posse. Utrumque vero, si etiam vehementer cupiatur et ardentissime exoptetur, proprietatibus ejus penitus repugnat. Nolle enim a sanctitate ipsius et justitia, non posse ab omnipotentia alienissimum est. Sane crimina ulciscendi et poenas immittendi potestatem Deus retinet, quamdiu improbus existere pergit. Hic igitur, ut illam elusisse et effugisse sibi videri queat, unice recurrere debet, quamquam non sine horrore, ad miserabilem sui annihilationem, quae vero ut remuneranti, ita et punienti justitiae contrariatur. Deus in orbe creato certum stabilivit ordinem, et motuum leges sanxit, quibus fit, ut ille, ut a primordio erat, elegans conservetur, et perfectus post tot temporum decursum existere pergat. Id docent certa et determinata planetarum per suas orbitas itinera, et mille phaenomena in vegetabili, animali ac minerali

regno obvia. Primum vero et eminentissimum divinorum operum, summumque, quod ab omnipotentia, sapientia et bonitate infinita proficisci poterat, homo est, ejusque natura rationalis, quae praecellentia sua universam naturam corpoream longissime et in immensum post se relinquit. Ab hac natura hominis rationali pendet illius libertas, qua super animantia bruta se se effert; hac quoque fit, ut decreta sua et conclusa interim retardare queat et cohibere, donec res ab omni parte curatius examinaverit et pensitaverit. Huic libertati innititur nostra moralitas, cujus beneficio nos ipsi habiles reddimur ad eligendum bonum et fugiendum malum, atque ad nostram veram felicitatem, vel infelicitatem nobis comparandam. Ad hanc evitandam, illam autem obtinendam sufficientes vires nobis elargitus est creator, quibus finibus ejus sapientissimis et optimis obviam quasi iremus. Sine his viribus essemus machinae necessario agentes, nec boni, nec mali, nec laudis, nec vituperii capaces. Rationalis nostra natura per esssentiam suam potentia instruitur, pro lubitu felicitatem suam, vel infelicitatem sibi parandi. Qui infelicitatis humanae possibilitatem nullam dari exoptaret, ille exoptet, necesse est, nullam homini indultam fuisse rationem. Deus, si infelices evadamus, semper manet insons, ardentissime vult nostram salutem, sed permittit, ut eam ipsi a nobis propellamus. Deus sine coactione nos invitat, suasor est mitissimus, non instans tetricus quaestor. Deus monitor indicat homini sua fata et praedicit, sed hic liber, eorum ipse est arbiter et autor. Nemo mortalium est, quidquid obloquantur nonnulli, qui intus libertatem suam non sentiat, et se eam certo possidere non sciat. Hanc cum Creator nobis elargitus sit, perinde ipsi esse non potest, aut parum curare non potest, quomodo dono hoc incomparabili coelitus demisso nobisque a se communicato usi simus. Deus enim est auctor et director boni ordinis in rebus omnibus. Coelum et terra ordinem hunc habent pro sua lege, eique obediunt, tota natura se ei submittit, animalia bruta eam exequuntur. Tota autem natura ordinem a Deo stabilitum servat mechanica necessitate, bruta animalia sentientia physicum saltem bonum et malum percipiunt, et secundum utriusque perceptionem agunt, bonum et malum morale prorsus ignorant. Solus homo ratione instructus utrumque eligere, illud sequi, hoc effugere potest. His nunc dotibus instructus toti mundo ita junctus est, ut commune ejus bonum, ut ordinem universalem, ut omnium creatarum rerum perfectionem, ut totius societatis communem salutem felicitatem, tranquillitatem conservare, juvare, evehere, magis minusque queat. Pro differente virium suarum applicatione et adhibitione, pro earum legitimo usu et perverso abusu, aliis hominibus potest esse Deus, vel lupus. Ut Deus, benefico influxu proximi felicitatem potest promovere et perficere: ut lupus, maxime, si potentia super alios emineat, tantam confusionem patrare, tantam inferre direptionem et vastationem valet, qualem furiosi Ly-

biae leones, qualem frendentes apri Hercyniae, qualem rabidi Hyrcaniae tigrides non inferunt, publicamque tandem tranquillitatem ita perturbare, ut omnium ventorum furiae, ut ruentes e nubibus imbres, ut immani aestu fluctuans mare tantam stragem non edat, minoresque longe calamitates inducat. Et tamen, nisi omnem sanam rationem exuat, aut cum ea insaniat, turbulenti capitis homo, ex solo mundo adspectabili, in quo omne, quod creatum est, bonum est, Deum ejusque sapientiam et bonitatem debet clarissime perspicere, hisque perspectis intus sentire validissima incitamenta bene agendi, ac virtutes absolutissimas illius entis perfectissimi, cujus imaginem gerit, studiosissime imitandi. Omne hoc ubi neglexerit, seriam ejus animadversionem serius, ocyus non potest non praesagire. Equidem certum est multas dari poenas, quas commissum malum physica necessitate, aut morali sequela post se trahit. Turpis ebrietas sanae menti inimica, corporis etiam robur frangit, et foecunda mater fit non aegritudinum saltem, sed multorum aliorum malorum. Lasciva et spurca Venus vires enervat, et veneno suo infectos ad ossa exedit et depascitur. Versatissimum fraudatorem, quando larva detracta technae subdolae innotescunt, fastidiunt et fugiunt omnes; neminem ejusmodi homo amicum habet, ne sibi similem quidem, honore omni et existimatione exutus. Odio prosequuntur proditorem, etiam proditionem amantes. Alto supercilio alios despiciens sui ipsius contemptum tandem sibi consciscit. Vitia et scelera sine exceptione omnia malo audiunt, etiamsi pulchris coloribus tegantur, aut contra aperta a potentioribus commissa inferiores hiscere non audeant. Taceo dira stigmata cruciantis et surdo verbere caedentis conscientiae, quae non inane ab educatione enatum praejudicium est, sed fallere nescia sententia, quam nobis ipsi a natura dictatrice bonum et malum edocti, pronunciamus. Verum omnes ejusmodi castigationes criminum, quae toties etiam sine illis triumphant, vindictam et poenam absolvere non possunt. Quis enim eo vesaniae procederet, ut Deum agnitum non statim simul agnosceret et autorem, et summum omnium rerum Dominum, cujus omnes sumus subditi. Quis vero eapropter ipsi derogare auderet potentiam promulgandi leges nobis, qui intellectu eas capiendi, voluntate eas exequendi pollemus. Quis tandem illum summum, et competentem factorum nostrorum Judicem habere dubitaret? Transgressiones igitur legum divinarum, necessario arctissime sibi copulatam poenam aversionis supremi judicis complecti debent. Leges scilicet ejus nil aliud sunt, quam declarationes accuratissimae intrinseci veri et immutabilis nostrarum actionum valoris. Hae in fulgentissimo lumine locatae, coram Deo omnes qualescunque unius ejusdemque pretii esse non possunt. Coram Deo nihil adiaphorum, cogitata nostra et gesta, aut ipsi placent, aut displicent. Qui ergo in ambobus leges ejus normam sibi constituunt, fideles illius subditi sunt;

qui jussa domini sui capessere detrectant, tamquam malesana, seditiosa et rebellis turba necessario considerantur. Deo mitissimo, varacissimo, amantissimo, optimo, beneficentissimo, fidissimo, sanctissimo, abominationi sunt omnes arrogantes, injusti, mendaces, osores, invidi, immisericordes, infidi, corde impuri, vindicemque ejus oculum effugere nequeunt; dumque finibus ejus contranituntur, censuram necessario graviorem incurrere debent. Nulla facilis indulgentia, deses oblivio, nulla supina negligentia in omnipraesentem, omniscium, sanctissimum et justissimum cadit. Perpetuo ejus obtutui obversantur omnium mortalium per omnia saecula bene et male gesta, atque illa aeterna approbatione, haec aeterna et immutabili aversione prosequitur. Utraque tandem certas suas, vel benignas, vel immites sequelas post se trahunt. Quotusquisque hominum dominantium et imperantium in orbe non praescribit suis subditis leges, suamque ipsis promulgat voluntatem? Quisnam eorum est, qui non curet, an haec expleta sit, an minus? an ei obedientia praestita sit, an minus? an jussa in actum deducta sint, vel obiter habita? Quis in toto habitato mundo Legislator legibus evulgatis non jungit comminationem poenarum? quis judex non redarguit et condemnat transgressores, dum obedientes amat et probat, quis illis non poenas, his non praemia decernit? Et nos miseri homunciones Deum intueri nolentes, qualis per sua attributa necessario est, nobis illum fingimus, qualem esse nobis expediret? Nos Deum, Dominorum Dominum, Regum Regem concipimus talem, qui leges non sanxerit, adeo socordem, adeo mimicum et puerilem, ut ipsi perinde sit, sive sic, sive aliter egerimus; sive eum venerati simus, sive ludibrio habuerimus, ipsique insultaverimus; qui nullam unquam actae vitae rationem postulabit, bonosque et malos communi annihilationis fato permittet? Ita certe quo quis est sceleratior et insolentior, eo magis insultare aptus est ipsi Deo, cui tamen debet, quod existat. Cur enim redarguere, aut nequeuntis, aut nolentis voluntatem non flocci faceret et irrideret? cur legi divinae se se audax non opponeret, quando si forte poenam paret aliquando, fulmina adeo et tonitrua immissa, omni momento hausto veneno, vel mortifero pugionis ictu eludere potis est? Si ultionem Deus negligens et oblivio-sus suspendat, et tamquam praetor minima non curet, aut semisopitus spectator insanos tumultus cum vitae fabula praeterire sinat, ad pusillorum terrae hospitum, ut vermiculi pulverem verrentium leves strepitus, in coelis altissimis non attentus, tanto melius. Tunc enim effusa et indomita licentia sibi turpissima facinora ad urnam tuto permittit, in hujus cineribus sine nemesi emoritura. — At vero, an cum divina omnipotentia bene conciliaretur animadversionis seriae impotentia? ita quidem, ut posita omni reverentia et verecundia, quivis temerarius nequam in eradendis aeternis legibus propriis suis praecordiis insculptis gloriolam quaereus, in disrumpendis vinculis, quibus di-

vina bonitas et sapientia homines omnes sibi invicem connexos cupit, voluptatem ponens, sua morte in supremi judicis opprobrium omnem punitionem effugeret, et eluderet. An indifferenter et susque deque ferret optimum Numen vires rationis, intellectui ejus analogas, et ab ejus gratia profectas ita hominem ejuravisse, et pedibus conculcasse, ut in brutum, feram bestiam, et infernalem furiam abierit, atque multorum millium, qui eodem naturali jure cum eo fruebantur, aerumnas et infortunia, inter nefarias machinationes excluserit. Vix credibile est, sapientissimum et justissimum ita contra se ipsum facturum, ut laesam Majestatem suam supremam aliquando non vindicet, poaenaeque tarditatem gravitate non compenset? (*Plutarchus de sera Numinis vindicta Tom. II. p.* 995). Prorsus certe impossibile est, ut nunquam rationem vitae anteactae redditurus, homo e vivis excedat. Justus est Dominus et justa sunt ejus judicia, malumque, ut absque luculento et publico increpationis et reprehensionis actu transeat inultum, permittere nequit. Homo nempe verum et reale discrimen boni et mali in se ipso sentiens, ita creatus est, ut rationi reddendae par sit, et ad eam reddendam obligatus. Inscripta illi lex naturalis eum fallere non potest, respondet quippe omnibus attributis Dei. Si secundum legem hanc reipsa Deus non remuneraretur et puniret, rectamque suam voluntatem serio patefaceret, atque solenniter commonstraret, ludibrio pene hostium suorum se se exponeret, et se ipsum suamque auctoritatem refelleret et abnegaret. Absolute admittendum est aliquando expectandum Dei judicium, aut asserendum discrimen reale inter bonum et malum dari nullum, utrumque ad perfectionem totius mundi perinde facere, nullum ejusmodi discrimen nostris cordibus insitum esse, tandem in ipsa natura Dei, inter bonum et malum nullam esse discrepantiam; sed hoc asseruisse blasphemum est et atheum. Convenerunt adeo inter se ipsi veterum gentilium Sophi Aristides, Socrates, Cato et alii, si praesens mundus improbus, iniquus, injustus, extremus foret, neque ullus alius expectandus esset, nemini cogitantium vitio verti posse, si sine ulla haesitatione audax assereret, non existere Deum. At vero quia profecto Deus est, qui, quae nos gerimus, audit et videt, gestorum nostrorum ad minutias usque locupletissimus index, indelebilibus litteris conscriptus olim coram eo nobis praelegetur, fataque nostra in futuro aevo decernet. Misera illa et foede deceptrice idea annihilationis nullatenus existente, invictissimis quippe argumentis refutata, sed divina justitia vere existente, et nullis sophismatibus refellenda, plane impossibile est, ut non e diametro diversam sortem aliquando experiantur orbis carcinomata et ornamenta; faex hominum, et sal terrae; bipedum nequissimi, et mortalium beneficentissimi; veraces et mendaces; spurcissima vitiorum sentina illuvieque volutati, et vitae integri scelerisque puri; legum divinarum observatores, et contemptores, deliciae, et flagella generis humani; succum et sanguinem

suorum fratrum necessitatibus impendentes, et eorum sangisugae; inter lachrymarum rivos cum benedictione tumulati, et non sine maledicentium imprecatione et execratione orbem egressi. Non potest idem fatum manere NERONES et ANTONINOS; DOMITIANOS et TRAJANOS; JULIANOS et CONSTANTINOS; italam illam MEDUSAM, ut ab Historicis vocatur, CATHARINAM DE MEDICIS, et divinorum idiomatum studiosissime aemulam, augustissimam MARIAM THERESIAM.

MEMBRUM III.

De animae humanae Libertate.

§. 83.

Bonum generatim sumptum dupliciter solet a nobis considerari: nimirum **absolute**, seu secundum se, et **relative**, seu prout ad nos refertur. **Absolute** consideratum est, quidquid aliqua perfectione praeditum est; **relative** autem, quidquid aliquam nobis perfectionem conciliat, finibusque nostris est accomodatum. Hoc loco bonum cumprimis relative sumptum consideratur. Cum malum bono opponatur, **malum absolute** id esset, quod omni perfectione careret: cujusmodi ens nullum dari patet ex Ontologia. **Malum** autem **relative** sumptum est, quod nos imperfectiores reddit, finibusque nostris adversatur. Id quod reapse bonum est, potest nobis adparere malum et contra; aliud est ergo **bonum**, vel **malum verum**; aliud **adparens** duntaxat. Ea animi nostri adfectio, quae in nobis e boni cujuspiam perceptione oritur, **voluptas**; quae autem mali perceptionem consequi solet, **taedium** nuncupatur. Voluptas porro tribuitur in **sensualem** et **mentalem**. **Sensualis** est,

quae confusam boni perceptionem ope sensuum, vel phantasiae genitam consequitur; mentalis, quae e distincta boni repraesentatione ope intellectus facta proficiscitur. e. g. Sensualis voluptas est, quam e cibo potuque capis; mentalis, quae distinctam scientiae, qua imbutus es, repraesentationem in animo tuo comitari solet. Idem de taedio judicium esto. Sensus ille, qui blandam nervorum in corpore nostro commotionem consequitur titillatio; qui vero nascitur ex eorum violenta tensione, aut solutione, dolor nuncupatur. Hinc titillatio ad voluptatem, dolor ad taedium referri debet. Adpetitus generatim est ea mentis facultas, qua haec ad bonum perceptum inclinatur, a malo autem percepto avertitur. Prior actio hujus facultatis adpetitio, altera vero aversatio solet nominari. Porro dividitur adpetitus in sensitivum et rationalem. Sensitivus est, vi cujus inclinamur in bonum ope sensuum, vel phantasiae confuse cognitum, aut avertimur a malo, itidem ope sensuum, vel phantasiae percepto: rationalis, qui occupatur circa bonum aut malum ab intellectu distincte propositum.

Scholion. Ex dictis intelligitur, quae adpetitio aversatioque sensitiva, quae contra rationalis dicenda sit, adpetitumque sensitivum nobis cum ipsis bestiis communem esse. Multi adpetitus vocabulo id ipsum intelligunt, quod nobis adpetitio est; ipsam vero vim, a qua adpetitiones, aversationesque proficiscuntur, adpetendi facultatem vocare malunt.

§. 84.

Perceptionem boni semper voluptas quaedam, mali vero perceptionem taedium consequitur. Utrumque istud ex intimo sensu clarum est. Quemadmo-

dum ergo repraesentatio boni, aut mali suos gradus habere potest, prout nempe majus, aut minus bonum, vel malum, vividius, aut minus vivide repraesentatur, ita etiam voluptas, aut taedium enascens diversos intensionis gradus habere potest. Perceptio porro boni, eique adjuncta voluptas, est sufficiens ratio adpetitionis; perceptio autem mali cum adjuncto taedio, est ratio sufficiens aversationis. Utrumque rursum sensus diligenter examinatus docet. Quando ergo perceptio boni aut mali non est in nostra potestate; nec est in potestate nostra, ut enascatur in nobis, vel non enascatur adpetitio, aut aversatio; ac proinde, si quidpiam sensus, aut phantasia sub ratione boni, intellectus vero idem sub ratione mali repraesentet, aut contra: adpetitionem sensualem cum aversatione rationali, aut contra collidere est necesse. Qui animae status pugna adpetitus sensitivi et rationalis vocari solet. Hujusmodi pugnam experitur aeger, dum partim abhorret a medicina, quod ea palato adversetur, partim adpetit eandem, utpote sibi profuturam. Quemadmodum dein in nostra potestate est, ut ab objecti repraesentata bonitate mentem abstrahamus, potiusque defectus ejusdem ac malitiam contemplemur, aut contra; ita in nostra potestate est exortam in nobis adpetitionem sedare, vel etiam in aversationem commutare, et vicissim. Nihil denique adpetimus, nisi sub ratione boni, nihil aversamur, nisi sub ratione mali. Utrumque pariter intima conscientia testatur. Certe tum etiam, cum quispiam adpetit id, quod ipsi aper-

te malum est, aliquam in eo boni rationem sibi repraesentet, adeoque id, ut bonum adpetat, oportet. Adpetitio vel aversatio sensitiva, si vehementior sit, et cum insolita sanguinis, fluidique nervei commotione conjungatur, affectus nominari solet.

Scholion. Doctrinam de natura affectuum et passionum, eorundem physico et morali in hominem influxu, nec non de remediis utrorumque voca in subsidium ex Psychologia mea empirica (*a pagina* 248 *usque* 472 *inclusive*).

§. 85.

Ea mentis actio, qua illa se se ad amplectandum bonum ab intellectu repraesentatum ultimo determinat, volitio; qua vero se se ultimo determinat ad malum fugiendum, nolitio dicitur. Facultas harum actionum voluntatis nomine venit. Ratio illa, qua voluntas ad amplectendum bonum, vel rejiciendum malum incitatur, motivum nuncupari solet. Voluntas itaque suis in actionibus ductu praelucentis intellectus eget. Unde vetus illud; ignoti nulla cupido. Et cum nihil adpetamus, nisi sub ratione boni, nec aversemur quidquam nisi sub ratione mali, motivum volitionis sola bonitas, nolitionis autem sola malitia objecti esse potest. Cumque voluntas coeca sit, si ei non praeluceat intellectus, ut actus quispiam voluntati adsignari possit, dicique voluntarius, is ab eadem voluntate cum praevia cognitione proficiscatur, oportet. Unde ejusmodi adjuncta, quae nullo modo praevidentur, voluntati attribui non possunt. Duo proinde maxime sunt opposita voluntario: nempe vis, seu coactio, et ignorantia; coactione enim,

quae definiri solet: impetus propensioni voluntatis contrarius, qui repelli non potest, efficitur, ut inviti agamus, vel potius agamur; ut, dum quis nequidquam reluctans terrae alliditur; ignorantia vero praeviam cognitionem excludit: ac proinde utroque voluntarium tollitur.

Scholion. Voluntas, quoniam praelucentis intellectus ductu regitur, adpetitus rationalis nominari potest. Quia tamen adpetitus rationalis supra definitus est potentia necessaria, volitiones autem nolitionesque liberas competere nobis ostensuri sumus, facultatem harum actionum, seu voluntatem ab adpetitu rationali supra descripto discernamus, oportet. Caeterum si lubet, duas animae facultates uno eodemque adpetitus rationalis nomine complecti potes; modo addas, alias esse adpetitus rationalis actiones, quae adpetitiones aversationesque dicuntur, suntque necessariae; alias, quae volitionum nolitionumque nomine veniunt, quibusve libertatem veram competere ostensuri sumus.

§. 86.

Actus liber generatim dicitur, qui, vel absque ulla necessitate pro arbitrio exercetur, vel tametsi necessario, sponte tamen, et absque ulla coactione fit. Hinc in actibus voluntatis duplex libertas est discernenda: libertas a coactione, seu spontaneitas, et libertas a necessitate. Libertas a coactione est facultas ex inclinatione determinatione propria quidpiam agendi, quin agens ulla vi propensioni suae voluntatis contraria ad agendum adigatur. Libertas a necessitate, quae etiam libertas indifferentiae, item liberum arbitrium dici solet, est facultas, vi cujus, positis omnibus ad agendum requisitis, potest actio poni, vel omitti, aut etiam actio contraria exerceri. Nominatim libertas exercitii seu contradictionis appellatur, si potentia sit libera ad agendum, vel ad omissionem actionis. Quodsi potentia se possit

extendere, vel ad actum, vel ad ejusdem oppositum, gaudet libertate contrarietatis, quae vocatur etiam libertas quoad speciem. Illa vero facultas, qua eligitur actio hujus, vel illius generis, diversi quidem, at non oppositi, libertas diversitatis audit. Duo autem illa, quorum alterutrum pro arbitrio eligere potest potentia libera, solent extrema libertatis vocari; extrema proin libertatis contradictionis sunt duo contradictoria; contrarietatis duo contraria; diversitatis vero duo diversa. Et cum caussa, quae omnibus ad agendum requisitis instructa est, dicatur esse in actu primo proximo, ita ut actus primus proximus tam ipsam caussae agendi vim, quam etiam reliqua ad agendum requisita complectatur, libertas autem a necessitate sit illa facultas, vi cujus ab agente, habitis omnibus ad agendum requisitis, actio poni, vel omitti, vel eidem contraria exerceri potest, palam est, actum primum proximum libertatis indifferentiae ejusmodi esse debere, qui secundum se spectatus non sit cum definito quodam libertatis extremo necessario connexus, sed ad utrumque indifferens. Igitur ad actum primum proximum libertatis indifferentiae, praeter ipsam agendi vim, ad definitum libertatis extremum natura sua non determinatam, requiritur primo: cognitio indifferens, quae nempe objectum proponat cum motivis in partem utramque, ita, ut potentia possit id amplecti, vel non amplecti. Requiritur secundo: contingentia actionis, seu impedimentorum eorum absentia, quae cum definito libertatis extremo necessario connexa sunt, neque possunt a potentia tolli, aut impediri vi eorum, quae

caeteroquin ipsi ad agendum necessaria sunt, ejusdemque actum primum proximum constituunt. Requiritur dein tertio: spontaneitas, qua potentia se ipsam, sine principii efficientis externi concursu, per vim suam ad unam, prae aliis per eamdem vim possibilibus, actionem determinare possit. Denique ad libertatis hujus essentiam requiritur etiam facultas suspendendi actionem tum etiam, cum omnia requisita ad agendum praesto fuerint. Quae praeterea in singularibus casibus adesse debeant, ex ipsa actionis exercendae natura, singularibusque rerum adjunctis metiendum erit.

Scholion 1. Diximus in definitione: habitis omnibus ad agendum requisitis, cujus rei duplex est ratio. 1. Omnis caussa ad actionem requirit actum primum proximum completum; nam si requisitum necessarium desit, omissio actus non libertati, sed agendi impotentiae adscribi debet, ut patet in gravi sustentato, aut in igne non applicando ad materiam comburendam. Accurate nimirum hic destingui debet posse non agere, a non posse agere: illud, non hoc, ad libertatem requiritur; haec quippe non per impotentiam agendi, sed per potentiam actionem suam suspendendi constituitur. 2. Ad veram libertatem omnino pertinet posse etiam habitis omnibus ad agendum requisitis non agere, seu actionem omittere; ita enim arguo: nemo est, qui neget lapidem in labendo, ignem in urendo ligno esse caussas necessarias, et tamen nec lapis cadit, nec ignis urit, nisi cum adsint omnia ad labendum et urendum necessaria requisita; his vero positis non potest lapis non cadere, ignis non urere, ergo caussa per hoc duntaxat evadit caussa necessaria, quod habitis omnibus requisitis nequeat non agere; igitur etiam ab opposito, caussa duntaxat per hoc evadit caussa libera, quod habitis omnibus ad agendum requisitis possit non agere. Dices fortassis, lapidem, ignem non esse entia stricte spontanea, nec proinde comparationem institui posse: quid igitur? sed liberaliter agam. Substituamus in locum lapidis animam belluae, quae praecipue per adversarios stricte spontanea, nec tamen libera est: quod igitur statues discrimen inter caussam stricte spontaneam, sed necessariam, et inter caussam stricte spontaneam, sed liberam? certe non aliud, quam illud ipsum, quod ante posui; nam iterum nulla caussa stricte spontanea agit, aut agere potest, nisi habitis omnibus ad agendum requisitis, ergo discrimen istud quaeri debet tum, cum jam

omnia ad agendum requisita utrinque adsunt. Sit ergo caussa *a* stricte spontanea et necessaria, habeatque ad agendum requisita; sit etiam caussa *b* stricte spontanea et libera, habeatque omnia ad agendum requisita, quod erit discrimen? certe non aliud, quam quod illa habitis requisitis nequeat, haec possit non agere, est enim contradictoriorum oppositaratio, atque haec agendi necessitas contradictorie opponitur libertati.

Schol. 2. Actus primus proximus ex se, et natura sua indifferens esse debet ad actum secundum, ita ut possit tam cum actu, quam cum ejus omissione, non quidem simul, sed disjunctive componi; atque inde est, quod libertas a necessitate, vulgo etiam libertas indifferentiae vocetur; qua tamen in re sollicite cavendum, ne in aequivocationis vitium prolabamur. Cum dicimus animam humanam habere libertatem indifferentiae, non volumus significare, animam in statu indifferentiae, seu in illo, in quo nec taedio, nec voluptate afficitur, quidpiam velle, aut nolle posse; absit hoc absurdum; in statu enim tali nulla prorsus motiva locum habent, ac proinde nec omnia ad agendum requisita habentur. Sed indifferentiam actus primi proximi intelligimus, quae in eo sita est, quod nulla existat necessaria connexio inter ipsum et actum secundum, possitque sub eodem actu primo proximo, vel poni, vel omitti actus secundus, quae indifferentia et in statu aequilibrii, ubi aequalia adsunt motiva, et in statu praeponderii, seu ubi plura pro uno quam pro altero occurrunt motiva, adesse potest.

Schol. 3. Libertatem a necessitate ab intelligentia et ratione pendere in aperto est. Ea quippe postulat, ut objectum, quatenus bonum est, repraesentetur, postulat igitur intelligentiam. Enimvero objectum quatenus bonum est, tunc percipitur, dum nexus, quem cum perfectione nostra habet, pervidetur, quod cum ope rationis obtineatur, in confesso est, libertatem ab intelligentia et ratione pendere, ac proin ei locum non relinqui, ubi haec duo exulant.

Schol. 4. Dum actio quaepiam absque omni addito dicitur libera, intelligitur libertas sensu stricto et proprio sumpta, seu libertas a necessitate: eae quippe actiones, quae a sola coactione liberae sunt, spontaneae potius, quam liberae dici solent.

§. 87.

Actus a voluntate pendentes sunt, vel eliciti, vel imperati; illi immediate a voluntate tamquam principio activo proficiscuntur, suntque solae volitiones et nolitiones: hi a fa-

cultatibus distinctis, ad nutum tamen, sive ut ajunt, imperium voluntatis efficiuntur, ut attentio et contemplatio longior alicujus objecti, locutio, deambulatio. Omnis proin actus imperatus pendet ab aliquo actu elicito, et sine illo absolute poni nequit; imperium enim illud voluntatis, vel ipsa volitio est, vel eandem certo includit. Jam ad actus elicitos voluntas cogi nequit; voluntatem enim cogere ad actus elicitos, est illam vi extranea adigere ad volendum, vel nolendum, cum nullum adest motivum: vel ad volendum id, pro quo pugnat motivum nolitionis, et nolendum id, pro quo stat motivum volitionis, sed nihil horum fieri potest, cum voluntas sine competente motivo aliquid velle, aut nolle nequeat; ad actus itaque elicitos voluntas cogi nequit. At nec ad imperatos cogi potest; actus enim imperatus existere nequit sine praevio actu elicito, sed ad actum illum elicitum voluntas cogi nequit, ergo neque ad actus imperatos; voluntas igitur nullo modo externae coactioni subjacet, nec dari potest ullus actus a voluntate pendens, qui coactus dici queat; quare omnes actus a voluntate pendentes et voluntarii, et stricte spontanei sunt. Ex his jam intelliges, libertatem a coactione animae omnino convenire; libertas enim a coactione est immunitas a determinatione ad agendum per vim externam effecta, hac autem voluntatem in actibus suis tam elicitis, quam imperatis gaudere in aperto est, ergo in aperto quoque est, animae humanae libertatem a coactione convenire. Id ipsum sensus intimus docet. Eo enim teste bonum nostrum sponte et non inviti diligimus; et pariter, quod

nobis videtur malum, nemine cogente ultro aversamur. Imo voluntatem in omnibus omnino volitionibus, nolitionibusque suis liberam esse libertate a coactione ambigere non possumus; quotiescunque enim volumus aliquid, id secundum praesentem voluntatis nostrae propensionem accidere, idem sensus intimus testatur, ita ut etiam tum, quum aliquid inviti agere dicimur, id agamus, quod nobis in praesentia lubet, tametsi idem in aliis rerum adjunctis nobis non luberet.

Scholion 1. Falsa est illorum opinatio, qui voluntatem non quidem ad actus elicitos, sed tamen ad actus imperatos cogi posse putant. Non equidem inficior, posse vim quamdam extraneam, cui resistere nequeamus, in corpore nobis inferri, ut cum quis ab equo raptatur; vel actionem externam, quam ponere volumus, impediri posse, ut si quis deambulare volens vinculis constringatur. At neutro in casu existunt actus imperati; in priori enim sunt passiones, in hoc omissiones. Deinde cum reus equuleo tortus scelus confitetur, aut mercator in periculo naufragii constitutus merces in mare projicit, neuter ad suum actum imperatum cogitur; ille enim confessionem sceleris tamquam medium aptissimum ad evitandos praesentes dolores, ille mercium ejectionem, ut necessarium vitae conservandae subsidium volens uterque eligit.

Schol. 2. Libertas a coactione, ut expendenti patet, reapse aliud non est, quam mera spontaneitas, ac proinde omni enti, quod vel late spontaneum est, competit; quidquid enim principio intrinseco agit, a coactione externa liberum sit, necesse est. Imo coacta actio nullo modo intelligi potest, cum comparate ad ens, nihil actionis nomen mereatur, nisi quod a principio eidem interno proficiscitur; reliqua namque in passionum numero habenda sunt. Quotiescunque igitur anima nostra agit, agit cum libertate a coactione. Sic libere, et non coacte ipsa percipit objectum rite propositum; sic assentitur veritati evidenti; appetit bonum perceptum, et aversatur malum repraesentatum; atque istud cum belluis ipsis, quin et cum omnibus entibus inanimatis late spontaneis commune habet. Hinc autem perspicuum fit, quam contemptim de anima nostra sentiant ii philosophi, qui illi praeter libertatem a coactione, nullam aliam tribuunt. Optandum certe potius foret, ut vocabulo libertatis abstinentes occulta sui animi sensa in lucem proferrent; nam dum libertatem magnifice extollunt, magno verborum apparatu nihil dicunt, nisi

illud, de quo dubitare nemini unquam in mentem venit, incautos tamen interea in gravissimum errorem praecipites agunt.

Schol. 3. Spontaneitas late accepta est facultas, qua ens per principium efficiens internum, seu per vim sibi insitam sine principii efficientis externi concursu se ad actionem determinare potest. Spontaneitas vero strictius accepta, seu arbitrium, est facultas, qua ens se ipsum, sine principii efficientis externi concursu, per principium internum, seu per vim suam ad unam prae aliis per eandem vim possibilibus, actionem determinare potest. Actiones igitur late spontaneae dici possunt omnes actiones, quae per vim entis internam efficiuntur, et ens, quod ita agere potest, spontaneum. Quare elementa corporum late spontanea, et eorum motus late spontanei sunt. Facile inde colligitur, quae actiones stricte spontaneae dici debeant. Ens itaque late spontaneum, cum semel coepit, agit in serie continua ita, ut status antecedens semper contineat rationem sufficientem subsequentis, donec ab externo principio actio impediatur, quemadmodum id in dictis elementis evenit. Ex his notionibus intelligere licet, animam spontaneitate tam late, quam stricte sumta, gaudere. Inprimis enim anima ens activum et vivens est, agit proinde vi sua propria, ac sine principio efficiente externo, atque sic sentit, imaginatur, recordatur, attendit, reflectit, ratiocinatur, appetit, vult; atqui ad spontaneitatem late sumtam amplius nil requiritur: igitur animae competit spontaneitas late sumta. Atque istud ita in vulgus notum est, ut putem neminem, qui quidem termini significatum intelligit, de eo dubitare. Deinde enumeratae nunc actiones diversae, per eandem animae vim et possibiles sunt et efficiuntur, et anima saepe unam vel alteram prae omnibus reliquis possibilibus actionibus producit, quin ad id a principio efficiente extrinseco determinetur, ut sensu intimo teste, patet: ergo anima potest se ipsam sine principio efficiente externo ad unam actionem ex pluribus possibilibus determinare; sed hoc est gaudere spontaneitate stricte sumta, ergo anima gaudet spontaneitate stricte sumta.

§. 88.

Anima humana gaudet vera libertate a necessitate. Indubitatum est animam humanam gaudere hac libertate, si ea semetipsam pro arbitratu et delectu suo ita efficienter determinet ad volendum, quod vult, ut persistentibus iisdem adjunctis ac incitamentis,

possit se se etiam determinare ad nolendum, vel etiam ad volendum aliud; atqui rem ita se habere sensus intimus adeo luculenter testatur, ut qui contrarium tueretur, is omni jure suae quoque cogitationis et existentiae sensum abnegare posset, et repudiata conscientiae suae voce, anticipatis opinionibus, vel distortis animi affectionibus agitatus, extra se abreptus dicendus esset. Sic quis nisi vesanae mentis negaverit, liberae nostrae voluntati prorsus relictum esse, stare, vel sedere, hanc vel illam ideam formare, hanc vel illam relinquere, hanc vel illam servare et prosequi? Quis controvertet, vim nos possidere objectum quodvis, vel obiter, vel serio et diu ex omnibus visionis punctis contemplandi, sequelas rerum curatius expendendi, et tum demum nos ad nolendum, vel volendum determinandi? Quis vel addubitat in nostra potestate situm esse, propositionibus pluribus assensum praebendi aut denegandi, atque deliberationes animi immutandi et in contrariam etiam partem abeundi? Quis inficias ibit, animae concessum esse, ut corpus pro suo nutu vique propria ad motum determinet, motum ejus pro lubitu sistat, vel alio detorqueat et flectat. Cum ergo hae similesque actiones nulli mechanismo, nullis legibus attractionis et gravitatis, nulli fatalismo sint subjectae, sed prorsus a libero nostro arbitrio, ut suo egrediantur principio, animam illo, ab autore naturae benignissimo dotatam esse, negari nequit.

Scholion. Ut nulla est opinio adeo absurda, quae non suos inter philosophos patronos inveniat; ita quoque nulla est veritas adeo manifesta, cui non aliqui adversentur. Eorum, quos proposita sententia hostes nacta est, Baylius

agmen ducit, qui, ut in evidentissimis solet, ita hic quoque dubiorum exitum non reperit. Ait ille: (*Repons. ad provinc. c.* 140. *t.* 3. *p.* 761. *suiv*). Tametsi in volendo a necessitate immunes minime essemus, eundem tamen, quo nunc afficimur, sensum intimum haberemus; ponamus enim nobis volitiones ab ente quodam extraneo imprimi, verum tamen adhuc foret, velle nos, idque a nobis sentiri; hoc tamen in casu omnia necessario ageremus: igitur sensus intimus libertatis testis idoneus non est. R: Minime vero: sensus intimus, quo libertatem probamus, non in eo solum consistit, quod sentiamus nos velle, quodque nullam externam caussam, a qua ad volendum determinemur, sentiamus; sed quod sentiamus volitionem a nobis ipsis efficienter procedere ita, ut eodem tempore etiam omitti potuisset. Inde nempe de libertate nobis constat, quod sentiamus nos velle vi propria, et ex proprio delectu, quodque cuilibet id in controversiam vocanti, ipso facto libertatis demonstrationem exhibere possimus. Atque hunc sensum nequaquam haberemus, si ab alio quopiam ente volitiones nostrae nobis imprimerentur, vel nos aliunde ad eas necessitaremur. *Obj.* Sensus intimus dum libertatem testari videtur, nos fallere potest, ergo ejus testimonio libertas indifferentiae comprobari non potest. P. ant. Non deerant, qui existimarent, sensus intimi testimonio constare, animam hominis diffusam esse per totam corporis machinam, quos tamen a vero aberasse hodie non dubitamus, idem ergo nobis quoque evenire potest, si libertatem indifferentiae, attestante sensu intimo, nobis inesse arbitremur. R. N. A. adprob. C. A. N. C. Dispar ratio est; nam quod ad positum exemplum attinet: id solum genuino sensus intimi testimonio compertum nobis est, sensationes in nobis exoriri, si organa sensuum pervellantur: quodsi autem in eo ipso organo, quod pervellitur, arbitremur sensationem peragi, ac proinde animam ipsam illinc praesentem adesse, is error noster est, quem ignoratione eorum, quae in Psychologia empirica dicta sunt, intimo sensui male adfingimus. Contra quis est, qui non videat, sibi, cum e. g. animi relaxandi gratia quoquam vadit, liberum esse, ut ad hanc, aut illam partem de via deflectat, hac aut illa sub arbore conquiescat etc. Profecto si eam perspicuitatem, quam de libertate id genus actionum nostrarum a conscientia habemus, putemus repudiandam, nulli unquam perspicuitati nostrae quidquam deferamus, est necesse.

§. 89.

Veram in homine dari libertatem a necessitate, leges, praemia ac poenae evincunt. Si enim hac homo careret, leges, proemia ac poenae, quibus tamen omnis

humana respublica continetur, finem adaequatum, quem legislatores intendunt, ac unanimis subditorum consensio adprobat, non consequerentur. Finis enim adaequatus, quem legislatores in constituendis legibus, distribuendisque praemiis ac poenis sibi praefigunt, non in eo solum consistit, ut homines ad actus bonos impellantur, aut a malis efficacius arceantur, sed etiam, ut illi ob actiones praeteritas condigno praemio, vel poena afficiantur; atqui finis hic sine libertate a necessitate obtineri nequit; ut enim quis ob actum praeteritum praemium, vel poenam mereatur, ex communi naturae sensu necesse est, ut actus ille in genere morum imputari possit, quod fieri nequit, nisi actum illum ita in sua habeat potestate, ut eundem pro arbitratu suo ponere, vel non ponere possit, quemadmodum id patet ex actione hominis amentis, aut bestiae nobis damnosae, quae in poenam non imputatur, igitur sine libertate a necessitate adaequatus legum, praemiorum, ac poenarum finis non obtineretur; sed quod pro tali fine statuitur, qui obtineri nequit, superfluum esse censetur, leges ergo, praemia et poenae pro superfluis habenda forent, quod cum nemo seria mente affirmaverit, omnis quoque confiteri debet, animam hac libertate omnino praeditam esse.

Scholion 1. Profecto sensus ille, quem quisque in se ipso experitur, dum animum ad recte, aut perperam a se facta advertit, luculenter evincit, nullum homini actum ad laudem, vel vituperationem, ad praemium vel poenam imputari posse, nisi qui cum perfecta libertate ponitur; unde enim fit, ut in aliis, quae quis cum plena rationis advertentia, ac libere egit, sibi complaceat, laudeque ac praemio dignum se tacite pronunciet, in aliis contra se ipsum damnet, ac poenitentia ducatur? eodem vero sensu nequaquam afficiatur, cum easdem actiones ex ignorantia quadam antecedente, vehemente animi perturbatione, amentia, aut ex quacunque alia necessitate, licet quam maxi-

me spontanee, ac voluntarie efficit! Sane sine libertate poenae forent injustae, ea sublata omnis humana vita subverteretur, frustra leges darentur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhiberentur, neque ulla justitia bonis praemia, et malis supplicia constituta essent. Ut horologium, ob bonam vel malam horarum designationem, nec praemiamus, nec punimus, quod omnia in eo necessario, tametsi cum spontaneitate late sumta perficiantur; ut amentem, aut furiosum nullo praemio, aut poena dignum censemus, quidquid agat, quod rationis ac libertatis usu careat, licet cum spontaneitate stricte sumta operetur: ita neminem prudenter, aut sine risu laudare, aut vituperare, praemiare aut punire possemus, si ad omnes nostras actiones, aut earum omissiones ineluctabili quadam necessitate, seu physicam, seu moralem eam voces, adigeremur. At non minus ex natura, tam divinarum, quam humanarum legum, ex communi rerum publicarum constitutione, ex ipso denique sensu communi certum est, exstare inter homines debere justitiam, non solum correctivam, quae videlicet in futurum prospicit, curatque ne malae actiones committantur, sed etiam vindicativam, quae ob actus duntaxat praeteritos, iis praemia, vel poenas decernendo, aequissime exercetur.

Schol. 2. *Objiciunt.* 1. Tametsi omnia necessario a nobis agerentur, justa tamen foret, nec inutilis legum constitutio, praemiorumque ac poenarum repraesentatio; fingamus enim primo exstare fatalem quampiam causarum connexionem, poterunt utique praemia et poenae in ea serie ita connecti, ut tam necessariarum causarum, quam effectuum vices obeant. Fingamus deinde hominem a repraesentatione boni vel mali, ad volitionem vel nolitionem moraliter necessitari, conducent rursus praemia et poenae ad id, ut objectum magis bonum, vel magis malum repraesentetur. R. ad primum. Posita tali necessitate fatali locus non foret justitiae correctivae, minime autem vindicativae; vindicare enim factum, cum absoluta necessitate perpetratum, injustissimum est; finis igitur adaequatus, ad quem praemia et poenae nunc saltem omnium hominum consensione diriguntur, nequaquam obtineretur. Quid quod correctio abstracte et separatim a vindicta considerata, nec vero et proprio sensu actus justitiae dici possit; nemo profecto judicat actum justitiae esse occisionem belluae furiosae, aut hominis amentis in me violente irruentis, et verberationem canis ob carnes furto ablatas. Ad alterum plura sunt, quae reponi possunt 1. Quaevis bonitas in objecto repraesentata jam est ratio sufficiens volitionis, cur igitur ea per appositionem praemiorum augeatur? 2. In compluribus actibus honestas vel inhonestas ipso rationis lumine tam clare homini tantillam attentionem adhibenti proponitur, ut ea claritas nulla praemii, vel poenae adjectione augeri posse videatur; cur igitur legislatores etiam hos actus maximis praemiis, vel gravissimis poenis adjectis

praecipiunt, aut vetant? 3. In hac rursus opinione excluditur omnis justitia vindicativa, quam tamen Leibnitziani ducis sui exemplo (*Essai de Theod. p.* 1.) tueri omnino deberent. 4. Hunc unum finem per praemia et poenas, nec a legislatoribus, nec a subditis intendi ex eo clarissime patet, quod quisque in se experiatur, posse se etiam stante cognitione praemii, et poenae, objectum perceptum velle, vel non velle, hocque vel illud velle. *Obj.* 2. Bruta, etsi libertate a necessitate destituantur, puniri tamen, et praemiari solent; licet item occidere bestias noxias, et hominem furiosum in nos irruentem, cum aliud medium non superest, igitur ex praemiis et poenis homines libere agere nequaquam colligitur. R. Quemadmodum damnum a bellua nobis forte illatum in loco injuriae non habemus, ita neque vero ac proprio sensu ipsae puniri, aut praemiari dici possunt; cum brutis fere, sicut cum amentibus, quibuscum optime comparari possunt, agimus. Occidimus deinde justo hominem amentem, aut bestiam noxiam; sed caedes ea non habet rationem poenae, verum medium solum est nosmet ipsos defendendi, et gravius damnum nobis inferendum impediendi. Poena proprio et vero sensu talis ex ipsa sui notione, et universali hominum opinione solum infligitur propter actionem, quae in genere morum agenti imputari queat, quod non fit, nisi et illa, et ejus omissio ex aequo in potestate operantis constituatur. Profecto nemo sanus bruto mortem infert in poenam, et vindictam; omnes, quae belluis infligi videntur poenae in futurum duntaxat tendunt, ut deinceps vel ipsae, vel aliae eam poenam intuentes phantasiae ope ab ejusmodi actionibus absterreantur. Universim igitur comparate ad bruta nihil veram rationem habens praemii, aut poenae, laudis, aut vituperationis obtinet, sed horum ope in ipsorum cerebro motiones certas, ac respondentes deinde in anima ideas excitamus, a quibus ea ad omnes suas actiones, aut omissiones determinantur. Aliter se res habet in nobis hominibus, nos ab ideis praesentibus minime ad actiones determinamur, utpote quas ponere, vel non ponere etiam praesentibus hisce ideis, et oriundis inde appetitionibus in nostra situm est potestate. Caeterum, qui argumento huic amplius insistit, videat, ne hominem, quem cum brutis comparat, ipsa ratione exspoliet. Quare nec plus efficiunt, qui ajunt brutis quandoque aliquem amorem benevolentiae, aut concupiscentiae a nobis exhiberi; bruta enim solum laudamus, aut amamus ob aliquas perfectiones physicas, non vero ob morales; ejusque generis amor, qui in aestimatione utilitatis ex rei usu consequendae consistit, saepe rebus quoque inanimatis impenditur, ut cum horologium proprii commodi causa amamus. At vero homini leges, praemia, poenae proponuntur, ut his incitamentis allectus ipse se se libere ad actionem ponendam, vel omittendam determinet; homini praemia conferuntur in compensationem actionum praeteritarum, non autem eo solum fine, ut motiones in cerebro, ac ideae in animo ex-

citentur, quae, quoties per phantasiam reproductae fuerint, ipsum ad agendum determinent.

§. 90.

Sapientia, Justitia et Sanctitas Dei, libertatem animae humanae a necessitate comprobant. Si enim liberi libertate indifferentiae non essemus, sed potius determinati necessitate naturali antecedente, vel ad bonum, vel ad malum, Deus foret causa principalis determinans voluntatem humanam instar meri instrumenti se habentem; foretque insuper ratio ultima, adaequata simul et unice libera: ex adverso, voluntas humana foret solum ratio proxima, non libera, nec ullo pacto ultima, verum mota a Deo, et a priori plene determinata ad hoc, ut sit talis ratio proxima; obligatio autem gravi lege imposita foret insufficiens et ineptum medium ad impediendum malum, quod aliunde plena et completa determinatione a priori, nec per vim legis amplius impedienda, jam est ab ipso Deo determinatum. Deus ergo, sublata indifferentiae libertate, insipienter legem aliquam decerneret ad absterrendum hominem a malo, et injuste cum ejus violatione poenam aliquam connecteret. Cum porro imputatio non sit aliud, quam judicium, quo quis judicatur esse, vel fuisse principium liberum certae determinationis, Deus, pro veritate infallibilis suae scientiae, judicare aliter non posset, nisi quod ipse solus sicuti bonum, ita et malum libere, ceu ratio ultima adaequata, aut praedeterminaverit, ut principium liberum et caussa principalis, aut saltem, solus liber libertate indifferentiae, malum permiserit; quodve posita ea Dei, seu praedeterminatione, seu per-

missione soli Deo libera, homo ejusdem boni, vel mali solum caussa mere physice efficiens, proxima, instrumentalis et necessaria fuerit, perinde, ut animalia, vel res corporeae mutationum suarum caussae liberae non sunt; ergo nec imputare homini, sed sibi posset, deberetque Deus, seu bonum, seu malum, quod in dicta hypothesi quocunque casu absque vera libertate indifferentiae eveniret. Sententiam itaque: animam humanam libertate gaudere, indissolubili nexu cum praelaudatis Divinis perfectionibus, copulatam esse, ita, ut illa negata, hae quoque negari debeant, expendenti patet.

§. 91.

Discrimen actionum hominis, ab illis aliorum hujus mundi entium, libertatem indifferentiae animae humanae convenire demonstrat. Exploratum enim est, caussas necessarias agere semper secundum totas suas vires; lapides totis viribus decidunt, elateres totis viribus obstacula repellunt: ignis, aqua, caeterae naturales ac necessariae caussae totis viribus suis semper agunt. At vero nisi vim manifestam conscientiae facere velimus, ex intima experientia quilibet persentiscit, posse se parte virium agere. Ut ecce quum abacum hunc primum parva vi digitis premo, mox majori, deinde paulo etiam majori, postremo quantum queo, nemo dixerit me non potuisse premere totis viribus, cum parte premebam, nam alias, ne postremo quidem id potuissem. Qui ergo parte virium agere possum, ac majori, vel minori, prout lubitum fuerit, imo insuper distincta hujus, a meo libero arbitrio pendentis potestatis cognitione, ut intima

mea id testatur conscientia, praeditus sum, fateri cogor, me non necessario, nec spontaneo saltem, ut bruta, quae citra ullam deliberationem electionemque sola duntaxat adpetitionum contentione, vel perceptionum, aut phantasmatum claritate ad similes actiones determinantur, verum libere, et quidem, non a coactione solum, sed et ab omni necessitate agere. Homo porro non est ens in serie caussarum et effectuum existens, suisque cum repraesentationibus resultatum duntaxat diversarum ab objectis externis in illum factarum impressionum, seu opus solummodo et effectus mechanismi; tunc enim vero mechanismus e se ipso egredi, sibique quaestionem hanc ponere nequiret: qua ratione mechanismus iste oriri potuit? quae est ratio possibilitatis ejus, et hujus universi? atqui vero homo quaestionem hanc sibi ponere potest, hacque ratione se neutiquam ens ad rerum mechanismum pertinens, ac proinde necessitati obnoxium, sed liberum esse cognoscit. Bruta singularium duntaxat objectorum intuitiones formare, communes eorum notas ad characterem unitatis elevare, et sub hoc conceptu multa sibi repraesentare non valent, homo id pro lubitu facere aut omittere potest. Entia mere sensualia hujus mundi, impressioni momenti, effectui intuitivi motivi subjacent, eorum desideria praesentis duntaxat violentiae metus mitigat, donec hic in consuetudinem abeat, et qua talis eadem ad hoc vel illud agendum, aut omittendum determinet. Hominem abstractae repraesentationes independenter a praesenti tempore determinant; hinc mature deliberata plana effectui mancipat, agit secundum principia, quin ad circumstantias, et contingentes momenti impres-

siones respiciat; aequo proin animo e. g. congruos propriis funeralibus adparatus ordinare, sensa sua secreta, aut aliis pandere, aut ad impenetrabilitatem usque celare, imo et tumulo inferre valet; gaudet potestate inter plura motiva selectum faciendi, quod nulli caussae necessariae, seu naturali, nulli bruto convenire, notum est; haec per gestus tantum et tonos sua patefaciunt sensa, homo liberrime suas cogitationes alteri aperit et celat per sermonem, ejusque ope maximi momenti facinora, consentientem e. g. plurium individuorum agendi rationem, civilisationem, scientias ad effectum deducit. Facta itaque comparatione actionum humanarum, cum iis aliorum entium mundi hujus corporei, luce clarius cognoscitur, eas nequaquam necessarias, aut spontaneas saltem, verum altiori libertate, nempe illa a necessitate, seu indifferentiae dotatas esse.

Scholion. KANT in Critice de libertate agens, aliud, inquit, est arbitrium brutum, quod non aliter nisi stimulis sensuum, id est, pathologice determinari potest; aliud arbitrium liberum, quod independenter a stimulis sensuum, proindeque per causas moventes sola ratione repraesentatas potest ad agendum determinari. Quidquid cum istiusmodi arbitrio connexum est, tamquam principium, aut consecutio, id nuncupatur practicum. (*Critica rationis purae Editio anni* 1791. *pag.* 830). At quis furiosis, infantibus, ipsis bestiis arbitrium unquam attribuit? aut quid designat arbitrium, quando de libertate fit sermo? Arbitrium brutum, et arbitrium liberum, quid aliud sunt, nisi libertas non libera, et libertas libera? Dein „libertas, inquit, alia est metaphysica, transcendentalis, sive in sensu cosmologico; alia practica, sive practica significatione. Libertas metaphysica est facultas statum inchoandi ex se, qui nempe a statu priore secundum certam regulam non determinatur. Libertas practica sita est in independentia a necessaria determinatione secundum stimulos sensuum." (*Ibidem pag.* 561) Mens Kantii haec est, quando de causis necessariis naturae, et causis liberis mentium ratione praeditarum disserit: causalitas naturalis et necessaria consistit in connexione necessaria cujuspiam status cum alio praecedente statu rerum, ex quo ille secundum certam regulam sequitur.

In qua definitione continetur notio status prioris, et status posterioris, proinde notio temporis. Ex priore autem statu, si idem exstitisset semper, non sequeretur posterior. Igitur prior etiam status et ortum habuit, et causalitatem praecedentem. At causalitas libera, seu libertas metaphysica facultatem indicat inchoandi ex se statum, qui proin a statu praecedente, seu a causa secundum tempus se determinante non pendet. Atque haec ad libertatem sensu cosmologico pertinent. In practico sensu libertas id denotat, quod homo stimulis sensuum obnoxius non semper et necessario iis determinetur, sed rationis imperium sequi possit, et sequatur saepenumero. Sine dubio libertas vera sensu priore continetur, qui una ad pugnam sensuum et rationis referri debet; ut proin divisio in regulas Logices peccet, quae vetant sic dividere, ut alterum membrum in altero contineatur, alterumve contineat. Si illicia et stimuli sensuum actionem, qua iis pareatur, non efficiunt necessariam, sed facultate praeditus est homo se ipsum determinandi, quin ab iis pendeat, tum is quidem vi libertatis practicae ex se ipso statum inchoat a praecedente illiciorum ac stimulorum statu haudquaquam pendentem; unde consequitur, ut libertas haec practica in metaphysica contineatur libertate. Sed quia anceps est practicae libertatis significatio, totum id penitius dispiciendum erit. Experimur sane, hominem neque semper rationi, neque perpetuo sensibus obsequi; unde sequitur manifesto, eundem natura et stabili lege ad neutram partem esse adstrictum. Sed illud maxime videndum est, utrumne homo eo tempore ac statu, quo appetitum sensuum sequitur, in potestate habeat non sequi eundem, sed obtemperare rationi, illo represso: aut contra, cum rationi obtemperat, utrum etiam tum cedere stimulis sensuum possit. Atque id omnino tenendum est, quando vera aliqua libertas humanis actibus tribuitur. Neutro autem casu vis externa, aut coactio ponitur, sed de interna necessitate, aut libertate disputatio est. Adversarii enim libertatis et ipsi hoc tenent, homines alio tempore virtutem, alio vitium amplecti, at sic nempe, ut eo tempore statuque, quo bene honesteque agunt, non possint non bene agere, honesteque: aut si oblectamenta sensuum sequuntur, in potestate non habeant proxime iisdem rejectis virtutem amplecti. Kantius quidem hoc loco, ut alias saepe, sibi non constat, aliquando enim veluti adactus veritatis vi ac luce, recta incedit via; sed paulo post ab ea deflectit, velut pertaesus veritatem, si eadem jam recepta vulgo et aliorum communis est. In fundatione sua (*pag.* 112) ait, etiam pessimos quosque suisque cupiditatibus maxime irretitos probare et admirari virtutem, quae cupiditatibus superior est: velle eos esse, quales non sunt, et dum in legem peccant, legis autoritatem agnoscere. In Critice vero sua illud saepius ingerit; leges morales praecipiunt absolute, quid fieri, aut non fieri oporteat; igitur possibile omnino esse debet, ut id fiat, aut non fiat reipsa (*Crit. rationis purae pag.* 835). Sed quod expendi debet summopere,

illud est, quod libertatem practicam in metaphysica libertate quodammodo fundari et contineri doceat, sic, ut sublata hac posteriore, illam quoque tolli necesse sit (*Critic. pag.* 561). Nam vi libertatis metaphysicae quisque statum ex se inchoat, non pendentem a statu praecedente illiciorum, et cupiditatum, ad sensus, seu, ut ait, ad phaenomena pertinentium. Si ergo in hominis potestate non est, ita inchoare ex semet statum quemdam, tum cupiditatum sensuumque stimulos non libere sequetur, sed necessario, uti contingit in naturalibus eventibus naturae. Haec quidem praeclara sunt, et veritati omnino consentanea, satisque ostendunt, Kantium non id tantum asserere, homines alio tempore sensibus obsequi, alio rationi, sed aut obsequi sensibus ita, ut eodem tempore, iis neglectis, in potestate habeant, obsequi rationi, aut quando huic obsequuntur reipsa, in potestate habere, obsequi sensibus, spretaque ratione, cupiditatibus se dedere. Verum, ut dixi, non diu recta via procedit Kantius, sed mox, postquam docuerat, in metaphysica libertate fundari contineriique practicam, eandem ipsam in medio relinquit, et instar problematis esse ait, cujus nec veritas satis demonstrari, nec falsitas possit, satisque esse, solam practicam habere prae oculis, omissa metaphysica, seu transcendentali libertate, quae ad speculativas quaestiones pertinet. (*Critica pag.* 831). Cogor adhuc hic velut praetereundo insignem, in quem impegit, contradictionem Kantii notare. Ait enim pag. 835 Crit. rationis purae „in principiis morum contineri rationem, cur actiones virtuti consentaneas cognoscere per experientiam possimus.“ At in fundatione Metaphysices pag. 26, et 27. negat de ulla honesta actione experientiam haberi posse.

§. 92.

Ratio in homine praesupponit adesse libertatem a necessitate, quam adversarii inviti factis suis comprobant. Ratio enim respectu voluntatis humanae hanc legem fert: sis moraliter bonus, ergo praesupponit, in potestate hominis esse, eandem etiam spernere, et cupiditatibus potius, sensuumque stimulis indulgere, secus lex haec supervacanea prorsus ac ridicula foret; atqui potestas semet pro lubitu ad obsequendum rationi, vel ad sensualitatis duntaxat decretis parendum determinandi, immunitatem prorsus voluntatis humanae ab omni necessitate arguit; ergo Ratio, in homine libertatem hanc adesse, praesuppo-

nit, intimoque cum eadem nexu copulata existit. Universim porro in omnibus libertatis humanae hostibus nullo non tempore observatum est, ipsos ad eandem sententiam, quam ore negant, vitae suae rationem accommodare, quod propensionis naturalis, quam inviti sentiunt, neque ullo modo, aut conatu prorsus delere possunt, clarissimum est signum. Etenim hortantur et ipsi suas proles, uxorem, domesticosque, ut honestatem colant, puniunt eos, si quid deliquerunt; cavent sollicite, ne a se, aut suis tale quid committatur, quod ipsis ignominiam, aut damnum quoddam inferre posset. At quorsum haec cura et sollicitudo tendit, si omnia, quae ab hominibus fiunt, necessario fiant? Dein, cur aegre adeo ferunt injurias sibi illatas? unde tantum vindictae studium? Nisi enim in aliorum potestate situm fuisset, talia nocumenta non inferre, nulla foret ratio injuriae, nulla irae justae, aut vindictae; nemo unquam ab homine amente, aut bestia furiosa injuriam sibi illatam fuisse conquestus est. Cum ergo illi ipsi, qui verbis libertatem tollunt, in periculis admodum solliciti, in rebus dubiis admodum cauti, in ulciscendis injuriis valde feroces sint, neque aequaliter perfidiam ac fidelitatem, parricidium ac Parentum observantiam aestimare queant, nonne hac ratione agendi sibi manifeste contradicunt, occultaque animi sui sensa, quod ore nolunt, operibus produnt? Profecto si omnia necessario agerentur, possemus quidem amare virtutem et probitatem, tamquam rem nobis commodam, sed aestimatione seria eam dignam esse censere omnino non possemus. Certum adeoque est, ipsos adversarios de animae humanae vera libertate plene convictos esse, nec proinde nisi

ex pathemate, seu singularitatis affectatione, ne cum vulgo sapere videantur, contrarium verbis, non animo, propugnare.

Scholion. 1. Lichtenberg, Professor Philosophiae in Lyceo Oenipontano, recte omnino asserit: „Ratio et libertas, qua hominis facultates, a se invicem separari nequeunt. Illa enim est supersensualis receptivitas, haec autem supersensualis hominis spontaneitas; quodsi itaque hominem, vel sine una (ratione) vel sine altera (libertate) cogitaremus, eundem, vel qua ens, supersensualis excitationis (Aufregung) haud indigum, vel ut supersensualis propriae actuositatis (Selbstthätigkeit) incapacem declarare deberemus; in primo autem casu negaremus ejus limitationem, seu finitudinem (Endlichkeit); in altero tolleremus ipsam ejus essentiam (Wesenheit). In homine itaque Ratio et Libertas sunt, ut facultates, originarie et inseparabiliter conjunctae, et in hac ipsa originaria conjunctione in unum totum, fundatur ejus humanitas (Menschheit), in proprio hanc vocem sumendo sensu: originaria autem conjunctio certarum facultatum in respectu per easdem conditionatae activitatis, generatim dispositio entis vocatur (Anlage). Ratio itaque et libertas in sua originaria conjunctione suprasensualem dispositionem (Anlage) hominis constituunt, et cum in hac hominis essentia fundetur, dispositionis etiam pure humanae (rein menschliche) — purae, universalis, (vel secundum Salat) objectivae humanitatis nomine venit (Grundriß der Psychologie als Einleitung in die Philosophie pag. 168. 169 — §. 115.) De rationis a libertate inseparabilitate legi meretur: F. H. Jacobi. W. Bd. II. S. 311—322.

Schol. 2 *Objiciunt*: 1. Voluntas humana nihil potest velle, nisi sub ratione boni, nihil nolle, nisi sub ratione mali; ergo natura sua in quibuslibet rerum adjunctis determinatur ad definitum libertatis extremum, eo ipso autem libertate indifferentiae caret. C. A. n. C. Positum argumentum evincit quidem, non posse nos bonum, ut bonum, aspernari, malum autem, ut malum, amplecti, libertatem tamen indifferentiae non evertit. Si enim finitum quoddam bonum sub ratione boni percipiamus, sentiemus quidem, inclinari voluntatem nostram ad illud amplectendum, non tamen ita, ut ante ultimam ejusmodi determinationem nullus deliberationi, examinandoque bono illi relinquatur locus; quodsi autem finitum bonum dispiciat mens nostra, in eo non volitionis modo, sed nolitionis etiam motivum, et objectum deprehendet. Idem valet de bono infinito abstracte cognito; nobis enim in hac miseriarum valle degentibus bonum infinitum obscure saltem abstracteque, non autem clare et intuitive cognoscere licet; hinc illud non modo non amari, sed etiam odio haberi potest. Cum enim ejus actiones e. g. de sceleribus vindictam sumentis, aut fluxa hujus mundi bona non omnibus aequaliter dispensantis

etc. ob oculos ponit impius, neque videt, has ipsas actiones summo quodam adorandoque consilio niti, bonum infinitum sub ratione mali sui attingit, excoecataque ejus voluntas in ipso bonitatis omnis fonte quoddam aversandi motivum et objectum deprehendit. *Obj.* 2. E duobus objectis animae propositis, semper id duntaxat amplecti potest voluntas, quod sub ratione majoris boni repraesentatur ab intellectu, ergo ea est voluntatis ab intellectu dependentia, quae cum libertate indifferentiae cohaerere non possit. Prob. A. Non potest voluntas e duobus objectis, quae ipsi aeque bona videntur, alterum prae altero, aut ex inaequalibus bonis minus bonum prae majori amplecti, ergo e duobus objectis etc. Prob. a. Nihil potest amplecti voluntas sine ratione sufficiente: atqui, si e duobus aequalibus bonis alterum prae altero, aut minus bonum prae majori amplecteretur, id faceret absque ratione sufficiente, ergo non potest voluntas e duobus objectis etc. E. N. A. ad prob. N. rursus. A. ad hujus prob. D. maj. nihil potest amplecti voluntas sine ratione sufficiente, quae in sola motivi firmitate consistat, ac proinde voluntati extranea sit. N. maj. quae habito motivo in ipso voluntatis arbitrio sita eidemque interna sit C. maj. sic dist. m. N. C. Sine omni motivo voluntas quidpiam amplecti omnino non potest; at si motiva opposita ipsi proponantur, non ita in eam dominatur ratio sufficiens externa, ut bilancis instar nonnisi in eam partem inflecti possit, in quam firmioris motivi pondere impellitur. Certe, si cui proponantur duo numi aurei prorsus simillimi, quorum unum, si velit, tollere possit, risu dignus censebitur, si dicat: non esse in sua potestate electionem, quia pro uno majus motivum non habet quam pro altero, ac proinde, ut ab utroque abstineat, sibi necessarium esse. Falsum igitur est, e duobus aequalibus bonis alterum prae altero eligi non posse. At neque id verum est, nos ita esse natura comparatos, ut minus bonum prae majori nequeamus amplecti. Quis enim, nisi temere, negare potest, in in sua esse potestate, ut e duobus e. g. equis sibi oblatis, eum, qui deterior est, eligat, tametsi electionem hanc sibi damnosam, vitioque vertendam videat? Saepe ergo juxta tritum adagium, stat nobis pro ratione voluntas. *Urg.* Sufficiens illa volitionis ratio, quae nobis interna esset, vel consisteret in ipsa volendi potentia, prout haec in actu primo proximo consideratur, vel consisteret in eadem volendi potentia, jam in ipso actu secundo, seu in actuali exercitio considerata: atqui neutrum dici potest; ergo si voluntas e duobus bonis aequalibus alterum prae altero, aut minus bonum prae majori amplecteretur, id faceret absque ratione sufficiente etiam interna sibi. *Phant. minorem.* Primum dici non posse inde patet, quia secus, quoniam posita ratione sufficiente ponitur id quoque, cujus est ratio sufficiens, posito solo primo actu proximo volendi, determinate volitionem poni necesse esset: cum tamen voluntas nequeat esse libera libertate indifferentiae,

nisi totus actus primus proximus ipsius sit indifferens ad volitionem, vel ejusdem omissionem Atqui neque potest dici alterum, quod prob. Ratio sufficiens universe natura prior est eo, cujus est ratio sufficiens: atqui voluntas in actu secundo suae volitionis considerata, nequit esse natura prior ipsa volitione, ergo dicta ratio sufficiens non potest consistere in volendi potentia, prout haec in ipso actu secundo consideratur. Z. Ratio sufficiens, cur volitio libera existat, neque consistit in solo actu primo proximo, uti rite probatum est, neque in solo actu secundo, sed in utroque simul. Nempe si intelligam imprimis totum voluntatis actum primum proximum esse indifferentem, tam ad volitionem, quam etiam nolitionem, intelligo voluntatem esse potentiam liberam, quae pro arbitrio immediate elicere possit, sive volitionem, sive nolitionem; quodsi ergo praeterea intelligam ab ea elici volitionem prae nolitione, intelligo existere volitionem eamque liberam, ut adeo recte Cicero de fato c. 11. asserat. „Motus voluntarius eam naturam in se ipso continet, ut sit in nostra potestate nobisque pareat; nec id sine caussa; ejus enim rei caussa ipsa natura est.“ Ad ultim. prob. ajo: discrimen esse faciendum inter duas has enunciationes: „nihil est sine ratione sufficiente, qua intellecta intelligatur ipsum esse potius, quam non esse“ et: „nihil est sine ratione sufficiente sibi externa, quae sit ipso natura prior.“ Prioris enunciationis veritas profluit ex principii rationis sufficientis veritate, et ea locum habet etiam in volitionibus uti diximus; at enunciationem alteram non esse universe veram facile ostendi potest. Nam e. g. quod Deus plene sibi sufficiat ad existendum, utique non est sine ratione sufficiente, quis tamen propterea dicat, rationem hanc sufficientem in Deo natura priorem esse debere, plena ad existendum sufficientia? *Urg.* Si volitiones nostrae carerent ratione sufficiente voluntati externa: tunc quaerenti, cur hoc, vel illud velis? respondere cogereris: volo, quia volo; atqui hujusmodi responsio videtur esse ridicula: qui enim ait, volo, quia volo, idem per idem resolvit; nisi forte per verba: quia volo, intelligat praeviam volitionis volitionem, quod absurdum sane est, processumque in infinitum in volitionibus inducit. Z. d. M. respondere cogereris: volo quia volo, per verba: quia volo, non plus designando, quam quod volitionem eliciam N. M. per verba: quia volo, indicando, sufficientem volitionis rationem non consistere in repraesentatione boni, sed in voluntate, postquam ejus totus actus primus proximus completus est, libere volitionem prae nolitione eligente. C. M. sic dist. m. n. C. Ceterum, quamvis certum sit, ad hoc, ut voluntas libere se determinet ad volitionem prae nolitione, non esse necessariam praeviam volitionis volitionem, cum secus progressus in infinitum admittendus esset in volitionibus; nihilominus quid sit libere se se ad volendum determinare, melius sensu intimo percipimus, quam verbis explicare valeamus. Sufficiat adversariis hanc in anima nostra potesta-

tem, scilicet sine externa sibi ratione sufficiente se se ad volendum, vel nolendum determinandi, invictis argumentis a nobis probari. *Urg.* Voluntas semper id eligit, quod ipsi magis placet; ergo semper externa sibi ratione sufficiente determinatur ad quidpiam volendum. R. D. A. Voluntas etc. hoc est: semper id eligit, ad quod amplectendum mavult se se determinare C. A. hoc est: semper id eligit, quod ipsi sub ratione majoris boni proponit intellectus. N. A. et C. Verbum placet dupliciter sumi potest: primo pro inclinatione voluntatis necessaria, quae repraesentationem boni in nobis necessario consequitur, soletque adpetitus nominari; deinde sumi potest pro ultima voluntatis determinatione. Jam si voluntas semper id eligeret, quod ipsi magis placet, illud placet priore sensu accipiendo, triumpharent omnino Leibnitziani: at voluntas eatenus duntaxat eligit semper id, quod ipsi magis placet, quatenus semper eligit id, ad quod eligendum mavult se determinare; id quod cum libertate indifferentiae bene utique cohaeret. *Obj.* Natura universa legi dependentiae subjacet, ergo etiam anima nostra, consequenter libera non est. N. C. Anima nostra libera est, et manet; leges enim mundi empirici, seu naturae sensibilis nullo modo ad mundum, seu naturam intelligibilem, in qua anima nostra domestica est, spectant, et si huc referuntur, contra regulas Logicae vehementer peccatur; alius mundus, aliae leges. *Obj.* Idea libertatis est transcendentalis et rationis theoreticae limites excedit, igitur probari nunquam potest R. N. A. Unicuique homini, ut primum natura humana se insinuat, et ratio nonnihil evolvitur, superque actionibus suis reflexione uti incipit, sine difficili ratiocinio libertas animae humanae ultro innotescit. Deinde si libertas animae humanae sit idea transcendentalis, tunc omnes caeterae quoque notiones, quae per sensum internum nobis suppeditantur, transcendentales, et hoc ipso minime cognoscibiles erunt, uti: notio existentiae nostrae, facultatum nostrarum, quas tamen se noscere Kantius ipse contendit, earumque formas nativas assertorie determinat. *Obj.* Deus omnes actiones hominum praevidet ab aeterno; igitur secundum ejus praescientiam, et non voluntatem nostram evenire debent, consequenter non sunt liberae. R. C. A. n. C. Praescientia Dei libertati actionum nostrarum minime officit. Nam licet necesse quidem sit, ut homo id agat, quod Deus ipsum facturum esse praescivit, necessitas tamen hujusmodi consequens tantum est, et hypothetica, ex ipsa nimirum profluens hominis voluntate, quae ad unum potius, quam ad aliud objectum se ipsam est determinatura; non est vero necessitas absoluta et antecedens, quae nempe vim inferat voluntati, ipsiusque liberos actus antevertat. Etenim sub divina praescientia remanet homini potestas non eliciendi actum praevisum, licet certo eliciendum. Non enim, quia Deus aliquid videt futurum, hoc ipsum futurum est, sed quia futurum est, Deus novit. Hinc optime divina futurorum praescientia visioni rei praesen-

tis comparatur, quae quidem visio nullam infert antecedentem necessitatem. „Si video, inquit Boethius, jacentem aliquem, necessitas ei non infertur, ut jaceat, sed potius a jacente necessitas mihi infertur, ut videam. Cum itaque libertas tantummodo cum necessitate absoluta et antecedente pugnet, quam divina praescientia, vel potius scientia non infert, conciliari vero plane queat cum necessitate subsequenti et hypothetica, quae solum ex Dei praescientia emanat, jam patet, a Dei praescientia minime affici, aut laedi posse humanae voluntatis libertatem. *Obj.* Libertas a necessitate etiam libertas indifferentiae vocari posse statuitur, sed libertas indifferentiae est indifferentia aequilibrii, aut indifferentia passiva, cum ergo haec defendi non possit, nec illa subsistere potest. R. N. m. Per libertatem indifferentiae non intelligimus indifferentiam aequilibrii ad motiva, quasi anima immota manens perinde se haberet ad repraesentationem boni et mali, neque indifferentiam passivam, quam sine subsidio principii externi voluntas auferre non posset, sicut v. g. marmor est indifferens, ut ex ipso fiat, vel non fiat statua; talis enim indifferentia dedecet naturam voluntatis humanae: sed indifferentiam activam, qua oppositum manet physice possibile, et qua se voluntas sine principio externo determinare valet etiam tunc, cum bona, vel mala repraesentata sunt aequalia, imo et quando inaequalia; quia etiam in tali casu dum bonum, quod videtur optimum, eligimus prae minori, teste sensu intimo, possemus eligere et minus bonum, cum et hoc adhuc rationem boni retineat: an id faciendo prudenter agamus? an libertate abutamur? est quaestio huc non pertinens.

Schol. 3. Nostra libertatis theoria, nec dependentiam voluntatis ab intellectu, nec stimulorum, aut motivorum in animam influxum moralem negat; quia limitatam, non absolutam defendimus libertatem, quae, etsi voluntas ab intellectu dependeat, hujusque repraesentationes ad volitiones et nolitiones suas praerequirat, cum tamen e pluribus repraesentationibus, juxta hanc, vel illam ipsa se determinet, bene subsistit. Homo enim, qua finitum et suprasensuale ens, sicut finitum rationale, ita etiam finite seu limitate liberum esse potest, ut adeo dici possit, hominem esse limitatam libertatem, limitatam rationem (ambos conceptus in sensu substantivo h. e. qua principium sumendo). *Vide Lichtenfels Lineamenta Psychologiae Empiricae, quam introd. in Phil.* §. 110. *p.* 160. 161.

MEMBRUM IV.

De commercio animae cum corpore.

§. 93.

Nomine commercii animae cum corpore venit arcta illa inter animam et corpus conne-

xio, ac unio, qua fit, ut non tantum mutationibus, quae in organis sensuum fiunt, certae respondeant in anima adfectiones, sed etiam certas animae adfectiones, certi in corpore motus illico consequantur; ut: quum vehementior animi concitatio in corpus ipsum redundat, quum membra nostra pro arbitrio movemus etc. Conjunctionem hanc, seu commercium, etiam substantiale vocare solent, quia est duarum substantiarum, corporis videlicet et animae in unam eandemque naturam, nempe humanam, copulatio, et distinguendum est a commercio, seu conjunctione physica, qualis est intet duo corpora, quae se se imediate contingunt, nec non a conjunctione, seu commercio morali, quam generat morum et propensionum similitudo, qualis inter amicos intercedit; in animae enim et corporis conjunctione, cujus sibi quisque conscius est, agnoscendum est aliquid magis intimum. In quo sita sit mirabilis illa animae et corporis societas, et quibus nitatur legibus mutuum illud utriusque substantiae adeo disparis commercium, ut explicarent Philosophi, varias excogitarunt opiniones, seu systemata, quorum praecipua sunt: influxus physici, divinae assistentiae, seu caussarum occasionalium, harmoniae praestabilitae, systema Philosophiae Kantianae et Fichtei. Has varias Philosophorum, circa naturam conjunctionis animae cum corpore, opiniones exponemus, et quid de his sentiendum sit? aperiemus.

Scholion. Nervi, velut totidem ramuli, in omnes corporis partes expanduntur. Cum musculis communicant, quorum contractione perficiuntur variae membrorum nostrorum flexiones. A musculis, sicut a quavis corporis extremitate, nervorum fibrae confluunt ad cerebrum. In puncto coitus, quod sensorium appellari solet, suam veluti sedem habet anima.

Inde famulantibus nervorum motibus toti suo corpori dominatur. Quemadmodum aranea, in telae suae centro constituta, filorum successione admonetur, et sentit, ubinam praeda filorum velut laqueis irretita teneatur: sic anima in praefata cerebri parte excubans, ex nervorum commotione agnoscit, quae corporis sui pars laesa fuerit, indeque suo corpori prospicit. Verum duplici modo fieri potest haec nervorum agitatio. 1. Si moveantur per tensionem et succussionem, sicut funis cannabinus tendi succutique non potest in aliqua extremitate, quin ad aliam usque actio haec propagetur. Qua in hypothesi anima erit instar aurigae, quadrigas suas per variam habenarum tensionem et flexionem dirigentis. 2. Vel moveri possunt nervi ope spirituum animalium, qui sanguinis pars sunt tenuissima et nobilissima, quique a centro ad extremas corporis partes, et vicissim discurrunt. Nervorum scilicet fibrae sunt quasi totidem tubuli concavi. Quo quidem posito, si anima pedem v. g. movere velit, spiritus animales a sensorio ad musculum movendo pedi destinatum immittit per nervorum canaliculos. Ii vero spiritus animae imperio dociles, musculum subeunt, eumque tumefaciunt ut spongiam aqua. Musculus intumescendo, quantum latitudinis accipit, tantum longitudinis deperdit, proinde contrahitur, et pedem sibi annexum movet ac inflectit. In ea hypothesi erit anima quasi regina potens, quae ministros suos ad imperii sui extrema modo mittit, modo reduces excipit. MALEBRANCHIUS (*de inquisitione veritatis lib.* 2. *cap.* 5.) confitetur, non esse probe demonstratum, utra hypothesis in corpore humano locum habeat. Attamen spirituum animalium ministerium simplici tensioni anteponit. 1. Quia si quis ab alimentis diu abstinuerit, vix potest sua movere membra, erectusque pedibus consistere. Si vero liquorem quempiam spiritibus abundantem, vinum v. g. hauriat, jam mobilitatem et obsequium recuperat corpus; atqui hujus discriminis ratio est, quod in priori casu deficiant spiritus animales, in posteriori autem affluant. 2. Intumescere musculos, cum nostra agitantur membra, vel ipse oculus testis est, ergo sicut non inflatur folliculus, nisi propter intromissum aërem, ita probabile est, musculos intumescere propter materiae cujuspiam alienae accessionem, nempe spirituum animalium. Notari quoque debet, quod, quando motus alicui corporis parti exteriori impressus ita fuit levis et remissus, ut non potuerit ad cerebrum usque transmitti, tunc nulla in mente excitetur cogitatio, vel sensatio; contra vero, si pars nervi cerebro respondens, eodem impellatur modo, ac si partes corporis externae fuissent motae, tunc mens eandem experiatur sensationem, ac si revera partes illae corporis fuissent agitatae.

Schol. 2. Omnes veterum hac in re excogitatas fabellas recensere operae pretium non foret, nonnullas duntaxat attingam. Fuerunt nonnulli nempe, qui conjunctionem cor-

poris et animae humanae fieri volebant ope subtilissimi cujusdam ac aetherei corpusculi (ochma, id est retinaculum vocabant) natura sua rotundi, quod corpori humano infusum ejus figuram recipiat, animamque cum illo conjungat, paullatim vero se iterum ab illo separet, ac in morte tandem hominis nativam rotunditatem recipiat, sed hae quantae nugae! Alii, e Platonicis plerique, triplici vinculo animam cum corpore colligari volebant, uno aethereo, eoque immateriali, altero aëreo, quo spiramus; tertio ex quatuor elementis constituto: quid haec sibi velint, magnus divinet Apollo. Explicare ea conatur Marsil. Ficinus. Theolog. Platon. lib. 18. c. 4.: Alii, in quibus praesertim Stoici ac postea Chymici fuerunt, hominem ex corpore, anima et spiritu constare, animamque, utpote substantiam mediam, esse volebant ipsum vinculum, quo spiritus cum corpore conjungatur. Sed quid juvat tres in homine substantias comminisci, cum duarum duntaxat phaenomena observentur, et istarum conjunctionis modus inquirendus sit.

§. 94.

Aristoteles cum suis asseclis eam assumsit hypothesim, vi cujus anima et corpus reciproce in se invicem agant, ita, ut quaelibet pars determinationes alterius in ea factas propriis suis determinationibus correspondentes immediate per se producat. Hypothesis haec Systema influxus physici nominatur. Vi hujus proin anima, capto secundum suas repraesentationes corpus movendi consilio, proxime adjacentes nervos commovet, qui secundum mechanicas leges in caeteros nervos vim suam exerentes, motum repraesentationi animae respondentem producunt; et vice versa, factis in organa sensoria impressionibus, nervorumque per omnes corporis partes diffusorum ope ad cerebrum usque propagatis, anima ad efformandas objectorum repraesentationes determinatur. Nonnulli hujus systematis asseclae subtiliorem quamdam materiam confinxere, quae animam, velut invisibile quodpiam integumentum, proxime circumdat (quod tamen in morte semet sub-

ducit) quove influxus corporis et animae mutuus durante vita, quemadmodum post mortem commercium animarum inter se, aut etiam cum viventibus efficitur, ut eae quidem haud immediate, mediate tamen reciproce se determinent. Systema hoc rejiciendum est: nam 1-mo pugnat cum demonstrata animae simplicitate; anima quippe, utpote simplex et partium omnino expers, nec tangere potest, nec tangi, juxta illud Lucretii effatum: „tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res:“ influxus autem physicus sine utriusque substantiae contactu fieri non potest; etenim vel voces illae influxus physicus, sunt omni sensu vacuae, vel designant actionem, quae fit motus communicatione, qualis concipitur inter duo corpora, quorum unum in aliud incurrit, quaeve utriusque substantiae contactum postulat, ergo sine eo stare non potest influxus physicus animae in corpus, et corporis in animam. 2. Cum systema hoc statuat, in anima ab impressionibus, seu affectionibus externis repraesentationes produci, necessario sequeretur animam non esse repraesentationum suarum causam absolutam, eam quid determinabile, ergo non ens absolute spontaneum, consequenter nec absolute liberam esse, quod tamen admitti non potest. 3. Vi hujus hypotheseos reale inter animam et corpus intercedens commercium simpliciter ponitur, sed non explicatur, scopo proin suo haud respondet. 4. Subtilis illa, commercii hujus facilius explicandi causa, asssumta materia, est mera fictio, influxusque physicus, ea assumta, nihilo plane cogitabilior redditur; cum materia, quantumcunque ea subtilis sit, semper materia maneat. Num ergo anima, ut immateria-

lis cogitata, cum subtiliori, an cum crassiori quadam materia immediate conjungatur? perinde est.

Scholion. E veteribus pluriml, inter quos ARISTOTELES, cum non possent omnia naturae phaenomena per motuum propagationem explicare, confugerunt ad principium quoddam plasticum, cui vitam vimque activam, sed omni sensu et ratione destitutam attribuerunt. Ab ipso, tamquam caussa dirigente, repetebant plantarum vegetationem, animalium dispositionem organicam, similesque effectus naturales. Hanc opinionem instaurare saeculo elapso studuit CUDWORT Doctor Anglus in libro, quem juris publici fecit an. 1668 sub hocce titulo: Le véritable systéme Intellectuelle de l'univers. Juvat hoc systema plasticum exponere: JOANNES DE CLERC in opere cui titulus: Bibliotheque choisie *Tom.* 2. *pag.* 114. fingit in nobis residere principium aliquod medium animum inter et corpus, cujus illud est ministerium, ut ad mentis imperium moveat corpus, et occasione commotionum, quae in corpore excitantur, animam de corporis statu admoneat, ipsi sensus gratos, vel ingratos imprimendo. Sic ipse mentem suam explicat: „Ne se pourroit il pas faire, qu'il y eût un être vivant dans nostre corps, outre notre ame, qui lui fût subordonné, sans que notre ame le fût. et dont la puissance fût bornée, en sorte, qu'il ne pourroit obéir que par le moyen des organes disposés d'une certaine maniére? on ne sauroit nier la possibilite de cet être, et par consequent il n'est pas besoin de recourir a Dieu, pour rendre raison de l'execution de nos volontés. Ce même être ebranlé par les mouvemens du corps, pourroit avertir les ames de ce qui se passe, afin qu'elles ordonassent, ce qui seroit nécessaire pour sa conservation, et qu'il fit ce qui est en son pouvoir, pour leur obéir. Comme on suppose cet être sans connoissance refléchie . . . il ne feroit qu' avertir l'ame, recevoir ces commandemens, pour les exécuter autant qu'il le pourroit. L'ame serait selon cette supposition semblable a un maitre incapable de se servir lui même, et qui n'auroit d'autre pouvoir que ce-lui de commander; et le principe plastique ressembleroit à un esclave, qui ne saurait rien des desseins de son maitre et ne feroit, qu'exécuter ses ordres et l'avertir de ce qui concerne ses intéréts. Conjicit ergo Le Clerc nobis inesse aliquod principium medium, quod animae sit instar famuli, quo suum corpus moveat, et corpori instar instrumenti, quo possit sensationes animae imprimere. Si vero quaesieris quaenam sit hujus principii natura? sic respondet LE CLERC. „Je réponds a ceux, qui me demandent une definition nette de ce principe mitoyen, qui lie l'ame et le corps, que je n'en peux donner aucune exacte, parce que c'est une substance, qui n'est connue, que par les effets. Tout ce que j'en puis dire, c'est, que c'est un être, qui a en lui même un

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

principe d'activité, et qui peut agir également par lui-même sur l'ame et sur le corps; un être qui avertit l'ame de ce qui se passe dans son corps par les sensations qu'il y cause, et qui remue le corps aux ordres de l'ame, sans savoir néanmoins le fin de son action." Hoc Mediatoris Plastici systema rejiciendum esse *probo*: Mediator ille, vel materialis est, vel spiritualis; atqui in utraque hypothesi rejiciendus est. 1. Quidem si materialis sit. Ideo quippe inventus fuit, ut explicaretur, quomodo anima in corpus, et corpus in animam agat: atqui admisso mediatore plastico, qui sit materialis, recurrit eadem difficultas. Explicandum enim supererit, quomodo in eum anima et ipse in animam agat. 2. Si fingatur spiritualis, propter eandem rationem erit respuendus. Quo modo enim poterit in corpore agere, ipsique motus imprimere, qui animae desideriis ex imperio congruant? Quo pacto in anima sensationes excitabit, quae motibus corporis sint accomodatae? illud ergo systema in eas difficultates incurrit, propter quas solvendas excogitatum fuerat.

Schol. 2. Defensores systematis influxus physici ad experientiam confugiunt, et ex constanti omnium hominum conscientia sensu et consensu constare et patescere putant, animam esse causam et principium motuum voluntariorum in corpore, corpus vicissim, vel spiritus animales et fluidum nerveum in corpore afficere animam, eidemque ideas materiales imprimere. Alii vero monent, quidvis potius, quam influxum physicum constare ex experientia. Quamvis enim suus quemque sensus et experientia condoceat, ad certa animae decreta et volitiones sequi motus hos, nec alios in corpore, item ad certos motus in organis sensoriis, sequi has, nec alias repraesentationes in anima, negant tamen ac pernegant vel ullum unquam experiundo sensisse, vel etiam num sentire quempiam, quod anima revera moveat corpus, et quod per motum fluidi nervei animae imprimatur idea. Atque adeo eos, qui influxum physicum ex experientia probare recte sibi videntur, ajunt, aliquid pro experientia habere, quod tamen nunquam experti sunt, nunquam senserunt, et quod potius ratiocinando ex experientia collegerunt. Quare non posse non ipsos vitii subreptionis incusari, pertendunt. *Conf. Wolf. in Psych. Rat.* Ipsi saniores influxus physici patroni fatentur, minus recte argumentum pro influxu physico ab experientia desumi. Cel. Hollmannus, qui defendit influxum physicum *in diss. II. de harm. praest. p.* 5. ita ait: „Ambabus amplector illam Wolfii sententiam, qua experientia nihil aliud evinci asserit, quam motus corporis et actiones animae simul fieri, nequaquam autem eadem confirmari concedit, quod vel motus corporis producantur ab anima, vel sensationes et perceptiones animae producantur organis corporis." Systematis hujus defensores hoc quoque argumento illud corroborare adlaborant. „Nisi talem, in-

quiunt, animae et corporis unionem statuamus, ut mutuam in se invicem operationem habeant, actiones corporis jure non possunt imputari animae, nulla remanet virtutum ac vitiorum forma et norma." Observat ad hoc argumentum BULFINGERUS sequentia: Verum est, inquit, si physice anima influit in corpus, possunt illi operationes suae imputari. Sed conversa non sequitur propositio: Ergo si non physice influit, sed moraliter tantum suum confert (ita tamen, ut eo posito et propter id positum ponatur, eo negato et propter id negatum, tollatur operatio) non potest illi imputari. Notum est in moralibus, recte effectus imputari caussae physicae, sed non ideo absolvi caussam moralem, propter cujus voluntatem egit physica." *Conf. dilucid.* §. 321. Contra influxum hunc physicum monet WOLFIUS. (*Conf. Wolf. Psych. Rat.* §. 570). „Vox influxus est vox a rebus materialibus desumta. Quae si transfertur ad animam, oppido omnis conceptus evanescit, nullamque cum ea ideam combinare possumus. Advertat, pergit, qui sibi notionem cum voce influxus conjungere videtur, animum ad se ipsum, et intelliget nihil omnino esse, quod vocabulis istis influxus, transfusionis et transformationis virium respondeat, ubi ad animam transferuntur." BULFINGERUS inter alia hoc usus est argumento contra influxum physicum. Putat inter vires animae appetitumque fortissimum, et motus corporis saepius nullam esse proportionem. Vires, inquit, animi et corporis motus sunt quoad proportionem incomparabiles, i. e. non possunt secum invicem comparari. Ergo actus, quales in corpore movendo experimur, non procedunt a virium animae influxu. Ergo anima non effective movet corpus suum. *Conf. dilucid.* §. 327.

Schol. 3. Systema influxus physici dicitur alias quoque Systema Aristotelico-Scholasticum. Aristotelici scilicet et scholastici hanc hypothesim quovis modo defendebant, et quamdiu stetit Philosophia Aristotelico-Scholastica, tamdiu quoque haec opinio philosophantibus arrisit. Primus in hanc hypothesim insurrexit CARTESIUS, idque hac potissimum de caussa, quod nimis obscuram relinqueret ideam et corporis et animae, ac generatim verba potissimum genuinis ac veris ideis destituta adferat, quare aliud systema excogitavit, quod nunc exhibebimus.

§. 95.

Systema Cartesianum, seu caussarum occasionalium, supponit animam et corpus hominis substantias esse adeo diversas, ut altera in alteram agere per se non possit; hinc Deum, hominis opificem, perpetuo illi as-

sistere, et occasione singularum idearum animae, singulos motus illis ideis convenientes corpori imprimere, et contra, occasione singulorum motuum corporis, singulas sensationum ideas in anima excitare. Solet etiam nominari systema adsistentiae divinae, quod juxta illud corporis et animae commercium in solius Dei utrique constanter adsistentis actionibus consistat. Caeterum idem hoc systema clariorem paullo, ac distinctiorem corporis pariter et animae ideam exhibet, sed nodum dissecat, non solvit; imo si verum est, quod Cartesius supponere videtur, se ipsum evertit. Si enim essentiae animae repugnat, agere in corpus, et essentiae corporis, agere in animam, nulla Dei lege, vel operatione id perfectum dari poterit. Porro juxta hoc systema anima careret vi ideas rerum ac perceptiones vere efficiendi, item movendi corpus; at inprimis volitiones nolitionesque in nobis ipsa profecto anima vi sibi congenita efficit, secus enim minime gauderemus libertate, nec essemus digni laude, vel vituperio, ut nemo non videt: non est ergo, cur eidem vim ideas rerum efformandi adimamus. Nulla enim ratio evincet, vim ideas efformandi esse superiorem iis facultatibus, quae humanae menti convenire possunt, non item vim volitiones nolitionesque libere eliciendi. Deinde, si a solo Deo efficiuntur in nobis ideae rerum, nulli usui esset in corpore nostro tantus organorum adparatus, tam exquisita oculorum, aurium etc. ipsius denique cerebri structura. Imo censendum foret, Deum eo duntaxat fine tam artificiose construxisse corpus nostrum, ut nos, mirifica ejusdem coagmentatione nosmet in rebus cognoscendis uti, falso existi-

memus. Eodem modo omni solido fundamento destituti Cartesiani, vim movendi corpus animae adimunt. Inter corpus porro et animam ejusmodi unio intercedit, vi cujus ex iis oritur compositum humanum, quod communi omnium consensione est una natura humana, unaque persona; unde etiam vulgo actiones nostras, nec soli animae, nec soli corpori attribuimus denominative, sed homini ex utroque coalescenti: sic enim loqui solemus: homo sentit, homo loquitur etc. Ergo inter corpus et animam vera unio physica, et non aliqua duntaxat moralis intercedit. Denique in hoc systemate intelligi non potest, cui usui sit anima in corpore, adfectiones enim mentis perinde possent esse occasio motionum a Deo in corpore excitandarum, et vicissim, etiamsi anima a corpore sejuncta existeret. Neque potest intelligi, qua ratione verum sit, corpus nostrum a mente, et non potius a solo Deo animari. Ex his jam abunde, etiamsi alia, quae opponi possent, silentio presserimus, patet, systema hoc nullatenus sustineri posse, harmoniamque inter corpus et animam non explicare.

Scholion. Contra hoc systema, de quo hodie vix, vel ne vix quidem disceptatur, id quoque urgetur, quod, stante hac hypothesi, miracula sine necessitate multiplicentur. Cum enim vi opinionis Cartesianae, Deus immediate ad motus in organis sensoriis factos, in anima sensationes, sive ideas producta, et ad decretum animae motus in corpore ipse ad existentiam deducta, effectus autem a Deo immediate productus vocetur miraculum, consequens est, ut, stante systemate Cartesiano, omnis sensatio animae, et omnis motus corporis voluntarius pro miraculo sit habendus. Cum vero non facile miraculum patrare censendus sit Deus, si eventus via naturali impetrari queat, perspicuum est, quod, si naturaliter potest peti, ut et cogitationes animae, et motus in corpore producantur, systema caussarum occasionalium cadat. Leibnitzius dein recte contra hoc systema ratiocinatur, dum statuit talem saltem unionem inter corpus et animam per illud statui, qualis intercedit

inter duo horologia, quae nonnisi propterea consonarent, quod utrique constanter adplicata sit artificis manus, qua utriusque rotulae eodem prorsus modo sine intermissione urgeantur; quam unionem quis realem connexionem, aut a se mutuo vere dependentem esse asseverabit? Quid quod hoc systemate occasio suppeditetur absurdissimo, moderna praefertim aetate vigenti, Fanatismo; si enim omnes repraesentationes animae pro immediatis Dei actionibus habentur, quam pronum erit, se in omnibus etiam pessimis inspiratum credere, cogitationesque suas quantumvis absurdas instinctuum divinorum loco habere, quod fonaticorum proprium esse, tristis et quotidiana fere discimus experientia. Verbo: hoc systemate assumto, negari non potest, omnia, quae fieri videmus, supernaturalia et immediatas Dei actiones esse, a quo facilis est ad pantheismum declinatio, corpora plane nulli usui esse, a quo proximus est mentis ad idealismum transitus, ideas denique in hominibus vi divina progigni, a quo, ut dixi, pronus est ad superstitiosum fanatismum accessus.

§. 96.

Systema Leibnitzii, a Wolffio adoptatum, quod vulgo systema harmoniae praestabilitae audit, his tribus potissimum capitibus continetur: 1-mo Opinione Leibnitzii, anima hominis ingenita sibi efficacitate omnes suas actiones peragit, quin ullo modo dependeat ab impulsionibus, in organa sensuum factis, aut a motionibus cerebri. Hinc juxta eandem omnes eas sensationes, adpetitiones etc. quae in nobis enascuntur, haberemus, tametsi ab objectis externis nulla unquam in membris nostris commotio excitaretur, imo tametsi corpore prorsus careremus: seu ut Wolffius, alter hujus systematis parens, docet (Psych. rat. 614). „perceptiones et adpetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret.“ Nempe vult Leibnitzius, perceptiones omnes continua serie produci ab anima ita, ut sequens animi status semper in antecedente habeat sufficientem sui rationem: unde etiam animam automaton in-

corporeum et spirituale nominat. 2-do Corpus humanum pro automato materiali habet Leibnitzius, cujus motiones omnes ex sola mechanica corporis structura proveniant, quin ad eas quidquam conferat anima. Hinc Wolfius Psych. rat. 637. „Archimedes, inquit, tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo scripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima.“ Porro ut explicent hi Philosophi, qua tamen ratione possit evenire, ut diversa haec automata, spirituale videlicet et corporeum, quorum alterum ab altero prorsus non dependeat, usque adeo conspirent in suis actionibus, ut e. g. eadem commotione recurrente in corporeis sensuum organis, constanter eadem perceptio in anima quoque enascatur, quae primum ei commotioni respondit: docent 3-tio id peculiari Dei providentiae tribuendum esse; Deus, inquiunt, antequam dissimiles has naturas conjunxisset, praenovit seriem mutationum adfectionumque, tam in anima, quam in corpore futurarum: cuivis ergo animae conveniens corpus conjungere potuit, et revera, ut providus mundi Gubernator, conjunxit etiam; in quo videlicet series motionum accurate semper congruat cum serie actionum illius, unde etiam hanc, quam inter corpus et animam ponunt, harmoniam dicunt esse praestabilitam.

Scholion. Leibnitzius putavit, influxum physicum consistere non posse cum animae immaterialitate; systema vero assistentiae multiplicare miracula, et turbare naturae ordinem sine necessitate, unde decem plane annis hanc suam de harmonia praestabilita hypothesim parturivit, eamque primum edidit in Diario eruditorum anno 1695 mensibus junio et julio, sub hocce titulo: „Nouveau système sur la communication de substances, et l'union de l'ame et du corps.“ In lucem edita multos quidem, praesertim

inter protestantes, nacta est patronos, ex eo vel maxime, quod novum esset inventum, quodque divinam sapientiam (sed ad speciem tantum) mirifice videretur extollere, ast multis etiam adversariis non caruit, imo a cordatioribus, ut olim, ita hodie penitus negligitur et repudiatur.

§. 97.

Rejicienda est Leibnitzii sententia mox exposita. *Prob.* Ex variis incommodis et absurditatibus, quibus laborat praefatum systema. 1-mo Si Deus cognitis motibus, quos propriae constitutionis virtute corpus erat executurum, animam formaverit, quae analogas mutationes constanter subiret, de libertate humana conclamatum est. Tunc enim anima non posset pro suo arbitrio hoc, vel illud velle, sed teneretur suam voluntatem corporis dispositioni accommodare, quod libertatem omnino perimit. Illud sensit Jacquelot. Idcirco respondet: Deum, praevisis animarum a se conditarum actibus liberis, corpora nostra formasse tamquam machinas, quarum motus voluntatis determinationibus attemperavit. (Vide librum cui titulus: „*Accords de la foi avec la raison*“ *pag.* 387.) Atqui illud posterius dici non potest. Si enim res se ita haberet, quoties anima expeteret, ut corpus moveatur, toties huic desiderio responderet corporis motus, rem autem aliter saepius contingere experientia testatur. In paralyticis v. g. nonne vehemens inest corporis movendi desiderium? atqui tamen votum illud suo fraudatur effectu. 2. In systemate hoc hominum vita ludibrium esset perpetuum, Deusque nos ita constituisset, ut in errore necessario et constanti versaremur. Nullus enim est, qui ineluctabili propensione non impellatur ad judicandum, quosdam corporis sui motus a voluntatis

arbitrio pendere, et quasdam animi affectiones et sensationes, famis v. g. et sitis ex corporis motibus sequi; atqui tamen in opinione Leibnitzii haec judicia essent penitus falsa. 3. Supponit Leibnitzius animas humanas ita fuisse a Deo conformatas, ut praesentes earum affectiones ex praecedentibus necessario deducantur. Ponamus te in lexico quopiam oculis percurrere haec vocabula: fulcrum, fuligo, fulix, fulmen etc. in systemate hoc ratio sufficiens, cur eo casu ideam fulcri proxime consequatur in mente tua idea fuliginis, hanc idea fulicis, fulminis, non potest inde repeti, quod post vocem fulcrum, vocem fuligo exhibeat oculis tuis Lexicon, tum voces fulix, fulmen; sed ex ipsa animae natura deberet proficisci, ut hae ideae etiam non inspecto, imo ne existente quidem Lexico nunc in te hoc eodem ordine enascantur, atqui praeterquam quod istud enorme commentum sit, annon experientia testatur, in plurimis vitae circumstantiis ita variari mentis cogitationes et voluntatis determinationes, ut subsequentes praecedentibus opponi videantur, nedum cum iis aliquam habeant connexionem. Hinc Horatius ad humanam inconstantiam alludens,

> Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit;
> Aestuat, et vitae disconvenit ordine toto;
> Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis.
>
> (*Ep. I. Lib.* 1.)

4. Ex omnium consensu talis est animae et corporis conjunctio, ut ex utraque illa substantia unicum exurgat suppositum, sive persona, atqui id stare non potest cum harmonia, quae fingitur a Leibnitzio. Quis enim, nisi plane desipiat, existimet, ex luna et horologio confiari

unicum quoddam suppositum, si horologium omnes lunae motus, varietates, conversiones accurate exprimat, et imitetur? Aut ut ipsius Leibnitzii argumento, quo is Cartesium impetit, paululum immutato utamur: duo horologia, quae nonnisi propterea consonarent, quod ea accuratione sint ab artifice efformata, ut utrumque easdem leges ad amussim suis in motibus sequatur, profecto hoc ex capite unita dici non possent, ergo neque animam inter et corpus vera intercedet unio, si citra ullam connexionem mutuam series motionum adfectionumque in utroque congruant. 5. Juxta hoc systema Archimedes egregia illa inventa sua, quibus Geometriam illustravit, in suis libris eo prorsus modo et ordine posteritati transcripsisset, quo reipsa transcripsit, tametsi nulla ipsi fuisset anima. Cl. Fortunatus a Brixia tam nervose prolixeque refutasset hoc ipsum harmoniae praestabilitae systema ac reipsa refutavit, Met. part. 2. sect. 3. tametsi de systemate hoc nihil unquam audivisset, cogitavissetque; quin tametsi istud, nec unquam a Leibnitzio, aut ullo alio excogitatum fuisset; atqui haec et id genus alia prorsus absurda temereque conficta esse, nemo non videt. Denique 6. hoc systemate admisso, nullum relinquitur argumentum, quo mundi objectivi realitas probari et idealismus refelli possit; omnes enim repraesentationes, adeoque omnis conscientia secundum hoc systema absque ullo objectorum adminiculo immediate ex anima prodeunt, omneque certum causalitatis criterium suffertur, cum unum non vi alterius fiat, sed tantum propter divinam praestabilitionem alteri respondeat.

Scholion. Leibnitzius talem inter mentis et corporis affectiones dicit intercedere harmoniam, qualis esset inter duo horologia, quae eosdem motus iisdem temporibus perficerent. Comparationem hanc Leibnitzius ipse sic adhibet in historia operum eruditorum an. 1696. pag. 225: „Figurez vous deux horloges, ou deux montres, qui s' accordent parfaitement . . . . et qui seroient fabriquées avec tant d' art et de justesse, qú on se puisse affúrer de leur accord dans la suite. Mettez maintenant l' ame et le corps à la place de ces deux pendules . . . . . Dieu a fait dés le commencemena chacune de ces deux substances de telle nature, qu' en ne suivant, que les propres loix qu' elles a recues avec son être, elle s' accorde pourtant avec l' autre, tout comme s' il y avoit une influence mutuelle, ou comme si Dieu y mettoit toujours la main . . . . Aprés cela je n' ai pas besoin de rien prouver, à moins qu' on ne veuille exiger, que je prouve, que Dieu est assez habille pour se servir de cet artifice prévenant: or, supposé qu' il le puisse, , vous voyez bien, que cette voie est la plus belle et la plus digne de lui. „Et alibi dicit:" L' ame de Virgile produisoit l' Enéide, et sa main écrivoit le meme poëme; sans que sa main obéit en ancune facon à l' intention de l' auteur; mais Dieu avoit réglé de tout temps, que l' ame de Virgile ferait des vers, et qu' une main attachée au corps de Virgile les mettroit par écrit. (*Versio coram*).

§. 98.

Philosophia Kantiana alia, et apriori-bus toto coelo diversa via, commercium corporis et animae explicare nititur. Cum nimirum, statuit illa, entia extra nos non sint entia in se, sed phaenomena, sequitur, propositionis: animam inter et corpus datur harmonia, sequentem sensum non esse: duae sibi oppositae substantiae, materialis nimirum, et spiritualis in se invicem agunt; sed hunc potius: repraesentationes sensus interni cum repraesentationibus sensus externi congruunt, et cum haec repraesentationum utriusque sensus congruentia in uno eodemque subjecto, quod nostrum Ego dicitur, fiat, corporis et animae commercium nullis ultro difficultatibus obnoxium videtur. Sed quis non videt, sumto hoc systemate realem entium

extra nos existentiam probari non posse, si ignotum illud ens, quod substratum repraesentationum sensus externi est, seu rationem earundem continere dicitur, nullum realem in animam influxum habet. Si vero conceditur ignoti illius entis = x, quod phoenomenorum ratio est, in animam esse realem influxum, quaestio solvenda restat: in quonam influxus ille situs est, et quomodo fiat?

Scholion. Hypothesis haec realis mundi objectivi extra nos existentiam negat, et idealismum introducit, qui tamen, sive sit ille problematicus, sive dogmaticus, rejiciendus est. Contra idealismum problematicum sequentibus utuntur argumentis I. Existentiae meae sum mihi, utpote existentiae in tempore determinatae, conscius i. e. habeo experientiam internam me docentem, quod sim. Sed experientia interna tantum sub conditione experientiae externae possibilis est, debent ergo entia extra me existere. *Min prob.* Quaevis determinatio temporis, prout quaevis mutatio, supponit quid perdurabile i. e. aliquid, quod in tempore existit et mutatur, et per quod tempus et mutatio concipiuntur. Conscientia itaque existentiae meae in tempore determinatae aliquid perdurabile supponere debet. Perdurabile autem hoc, per quod mihi existentiae meae, utpote in tempore determinatae, conscius sum, in me non est, ergo est extra me, consequenter existit extra me aliquid realiter. prob. m. Rationes existentiam meam determinantes, quae in me reperiri possunt, sunt tantum rationes in sensu interno obvenientes. Omne vero, quod in sensu interno obvenit, sub conditione temporis positum est, consequenter vicissitudini subjacet; quod autem vicissitudini subjacet, perdurabile dici nequit, ergo illud perdurabile, per quod mihi existentiae meae, utpote existentiae in tempore determinatae, conscius sum, non in me, sed extra me esse debet i. e. ratio conscientiae existentiae meae in objectis extra me existentibus quaerenda est. Existunt ergo objecta extra me, existit mundus objectivus, quem in dubium vocandi nullam rationem sufficientem habeo. 2. Ego meum, seu anima mea, intuitiones habet. Intuitiones tantum per affectionem possibiles sunt; i. e. Ego meum debet affici. Quod autem Ego meum afficit ab ipso diversum esse debet i. e. debet esse Non-Ego; ergo objectum extra Ego meum existens. Valet itaque ex perceptione nostra interna consequentia ad objectorum extra nos existentiam. Contra idealismum dogmaticum sequens pugnat argumentum: Defendit idealismus dogmaticus, quod nonexistentia objectorum extra nos demonstrari possit, quia ens per se

tantum ens rationis, nihil ergo objectivi est. Sed respondemus ei, demonstrationem non existentiae objectorum plane impossibilem esse. Si enim demonstratio haec possibilis esset, deberet posse ostendi impossibilitas objectorum realium, atqui id fieri nequit, ergo. probo min. Impossibilitas entium realium, vel esset realis, vel logica, sed de ente, quod non existit, nec impossibilitas realis, nec logica ostendi potest; non realis: nam de entibus, quae non existunt, cognitionem nullam habemus, ergo etiam de iis, eorumque possibilitate et impossibilitate reali sermo nullus esse potest. Non possibilitas logica; haec enim consisteret, vel in contradictione conceptus entis a repraesentatione diversi, vel in contradictione certarum nostrarum repraesentationum cum objectis iis convenientibus, quae tamquam existentia a nobis suponerentur. Si primum, tunc contradictio opus nostrum esset, et sequeretur tantum, conceptum nostrum de objecto vacuum i. e. conceptum sine comprehensione, esse; et si alterum, tunc contradictio tantum versaretur inter conceptus et propositiones et solummodo sequeretur, conceptum meum de objecto falsum esse, non autem objectum non existere. Impossibilitas ergo non existentiae objectorum realium de monstrari non potest; hinc etiam Idealismus dogmaticus disparet. Caeterum haec ideo saltem proponenda esse duximus, non quasi supponeremus, aliquem seria mente existentiam objectorum extra nos positorum negare, vel addubitare posset, talem enim nulla demonstratione ad contrariam sententiam perduci posse §. 5. Scholio indicavimus, sed ut Idealismi toties recurrentis absurditas, etiam in systemate hoc Kantii de commercio animae cum corpore contenti, magis elucescat.

§. 99.

Fichte harmoniam corpus inter et animam ita explicare conatur: „Ego nostrum, quatenus Ego purum spectatum, nonnisi actio tendens in infinitum est; agendo offendit ad non Ego, seu mundum objectivum, qua offensione ad se ipsum reflectit, sicque sibi sui ipsius et objectorum extra se conscium fit, se et non Ego, seu objecta ponit, se tamquam aliquid activi, objecta tamquam aliquid passivi. „In hac theoria organisatio et mundus objectivus, nec minimum in animam habent influxum; organisatio et mundus objectivus respectu animae tantummodo resistentia i. e. absolutus omnis activitatis defe-

ctus sunt; agens est solummodo anima, quae tamen resistentia opus habet, quam in organisatione et in objectis reperit, et quae resistentia conditio est, sub qua spontaneitas animae se manifestare potest. Juxta FICHTEUM itaque quaestio: quomodo anima in corpus, et corpus in animam agat, plane nullum sensum habet. Ego nostrum, velut substantia spontanea et determinans se ipsam, a caussis externis independenter, agit tantum in se; et etiam materia, velut quid determinabile tantum et spontaneitate carens, agit pariter in se; anima ergo non in corpus, corpus non in animam. At hac Fichtei explicatione quaestionis: quomodo corpus in animam influat? difficultas reapse sublata non est; non enim explicat Fichte, quonam modo Ego nostrum ideale et pure spectatum in objecta impingat, seu offendat, quonam modo phaenomena in corpore suo determinet, qui fiat, quod anima corpus sibi subjectum reddere, ipso qua instrumento uti possit?

Scholion. Ingenuus ex dictis colliget lector, intellectum humanum, necdum circa commercium animae et corporis occurrentes tenebras penitus dispulisse, conatusque eruditorum aliqua dilucidasse quidem, verum non omnia. Sperandum est, et optandum, ut ii, qui post nos venturi sunt, hiatus illos impleant, quos nos reliquimus. Cave eum, qui in hoc puncto abs te dissentit, vel atheum esse putes, vel Religionis verae irrisorem. Non enim de salute Graeciae, aut Reipublicae, sed de hypothesi philosophica et problemate disputatio instituitur. Sopiantur tandem superfluae illae controversiae, quae de his systematibus obortae maximorum Theologorum animos distraxerunt, et sparsis discordiae seminibus multa in Rempublicam litterariam mala invexerunt!!

MEMBRUM V.

De origine animae, idearumque humanarum.

§. 100.

Circa animae originem variae prodierunt opiniones. Platonici fingebant animas, ab ipso mundi exordio fuisse simul creatas, deinde lapsu temporum in corpora fuisse immissas, propter delicta, quae commiserant; ad eam opinionem accedunt multi, qui creatas ab initio animas pro Dei libitu et citra praevium peccatum in corpora successive detrudi arbitrantur. Pythagorici censent animas ab initio factas fuisse, totidemque in corpora immissas; cum vero corpora alia intereant, dum alia nascuntur, animas ex aliis in alia commeare, et conditionem, vel meliorem, vel deteriorem obtinere, prout in corpore, ex quo solvuntur, bene, vel male vixerint. Haec animarum e corporibus migratio, vocatur Metempsychosis. Leibnitzius cum aliis nonnullis existimat omnes hominum animas jam a mundi constitutione creatas fuisse, et corporis proprii germinibus conjunctas. Ubi lapsu temporum evolvitur cujusvis corporis germen, varias incipit anima affectiones experiri, dum antea sopore altissimo veluti constricta erat. Juxta Leibnitzium et germen corporum omnium, et singulorum animae in Adamo continebantur. Stoici humanas animas esse partes Dei existimabant, seu substantiae illius universalis, a qua cuncta erant animata, quamque Deum vocabant. Ii tamen Metempsychosim minime admittebant, sed animas post interitum corporis

iterum Deo uniri ac conjungi autumabant. Euripides animas considerabat veluti partes illius aetheris subtilissimi per totum orbem diffusi, quem Deum vocabat, ipsique Deo animas post corporis mortem iterum uniri adserebat. Xenophanes qui unum esse omnia dixit, teste Tullio, aliique Pantheistae animas hominum nihil aliud esse, quam particulas, attributa, aut modos ipsius Dei, seu unicae substantiae in hoc universo diffusae, censebant. Sententiam hanc, nova quadam methodo nostris temporibus audacter non minus quam inepte renovare conati sunt Tolandus et Benedictus Spinoza. Priscillianistae atque Manichaei animas hominum considerabant, non ut Dei partes, sed ut Deum ipsum omnibus praesentem; quod quidem Arabicis etiam Peripateticis placuit, qui duplicem intellectum distinguentes, agentem nempe et passivum, intellectum agentem Deum ipsum esse asserebant. Docuerunt nonnulli animam humanam oriri ex traduce, id est, animam filiorum traduci ab animabus parentum, eodem fere modo, quo filiorum corpora a parentum corporibus propagantur. Quod illustrabant exemplo facis, cujus lumine lumen aliud accenditur sine ullo prioris detrimento. Defensores hujus hypotheseos Traduciani eapropter dicuntur. Caeteri omnes consentiunt, animas humanas a Deo creari, et singulis corporibus infundi, statim atque suis organis instructa sunt, quod juxta communem sententiam contingit 40 post conceptum foetum diebus, et hi Creatiani vocantur.

Scholion. Origenes putavit omnes animas simul cum Angelis ante mundi hujus creationem conditas fuisse, atque ipsas alicubi custodiri, usque dum tempus adveniret eas

in aliqua corpora immittendi. Tertullianus Apollinaris aliique pro hypothesi Traducianorum pugnabant. Leibnitzius (*Theod. Part.* I). Tertulliani et Origenis sententias veluti conjungens, hominum animas ab exordio mundi fuisse creatas, omnesque in Adamo, ut diximus, inclusas fuisse, ex quo in caeteros homines subinde propagarentur, ratus est. Ast ipse fatetur, se hanc opinionem jocandi gratia saltem proposuisse, ut id ex ipsius litteris colligi manifeste potest juxta Gerdilium Introduz. allo studio della Religione pag. 98. Et revera quot milliones animarum in adamo sitae esse debuissent!! Cum autem is propriae saltem animae conscius esset, quid aliae fere numero infinitae interea agebant, quidve modo in aliis agunt hominibus eae, quae propragari ab ipsis debent in alios, qui nascuntur, et eos qui nascentur ab illis usque ad mundi dissolutionem?

§. 101.

Anima humana, nec divinae substantiae, nec animae cujusdam mundanae particula est. *Probo* 1. Substantiam divinam omnino simplicem esse in Theologia naturali demonstrabimus, atqui talis non foret in hypothesi, quam refellimus; tot enim constaret partibus distinctis et dividuis, quot sunt, vel esse possunt animae creatae. Praeterea quomodo tot tenebris obsita, tot mutationibus obnoxia, tot maculis contaminata mens esse potest, quae coelestis est ac divina? quomodo tot malis conflictatur, quae ab ipso felicitatis fonte decerpta est? quomodo inanibus votis toties deluditur, quae portio est Entis supremi, cui soli gloria et potestas? Dei notionem profecto evertunt, qui talia fingunt. 2. Ridiculum est figmentum anima illa generalis, qua mundus dicitur informatus, ex qua distractae et avulsae dicuntur animae humanae. Num corporea, num spiritualis foret ea mens universalis per totum orbem diffusa? Si corporea, ejusdem naturae erit mens humana, quod supra refutavimus. Si vero spiritualis, quomodo dividi-

tur, discerpitur, dilaceratur? Ergo anima haec mundana vox inanis est, quam excogitarunt veteres Philosophi, ut suam obtegerent ignorantiam. Anima humana non oritur ex traduce. Propagatio enim ex traduce plures exigit partes, quarum aliae traducuntur, aliis remanentibus: atqui animam humanam partium omnino expertem esse, ex superius dictis constat. Et certe, quo pacto ex substantia animae parentum propagari anima humana potuisset? si tota parentum anima in filios transiisset, anima penitus orbarentur parentes, nec plures generarent filios mente informatos; si pars animae parentum in filos permeasset, anima humana dividi posset, et distrahi, ac proinde foret corporea, quod absurdissimum esse ostendimus.

Scholion. Sunt, qui probabile esse dicunt, animas parentum in proles, non quidem quoad substantiam, sed quoad vim saltem traduci, seu propagari, licet modus hujus propagationis prorsus ignotus sit. Suamque opinionem cum ordine totius naturae consentire asserunt, in qua alterum ex altero evolvitur, alterum per alterum propagatur, certumque esse, substantias substantiis vires suas communicare.

§. 102.

Animae humanae ante corpora non exstiterunt. Nulla enim idonea ratione nititur haec hypothesis, talem autem indignum est Philosopho defendere. Ea enim admissa, dicendum foret, animas humanas jam a longo tempore creatas, aut torpore quodam et inertia fuisse constrictas, aut plurimas exercuisse functiones et operationes, quarum nulla deinde supresset recordatio; ad quid ergo exstitisset anima mea ante corpus meum natum, si vita ejus praeterita nullo prorsus modo ad praesentem vitam respiceret? Existentia prior

in alia sphaera, animam pro existentia in hocce planeta praeparare aliquatenus debuisset; certum enim est, vitam praesentem esse vitae futurae praeparationem. Et ubi extitissent animae, antequam corpora humana subintrassent, ubi extitissent ante mundum creatum? Quaestiones has resolvere aliquatenus posse putas statuendo animarum migrationem seu Metempsychosim? at haec defendi nullatenus potest, eo quod aperte sanae rationi adversetur. Si enim anima humana migraret ex uno corpore in aliud, tunc migraret, vel in corpus jam animatum, vel in inanimatum; si primum: tunc pures et millenae etiam animae existerent, vel saltem existere possent in eodem corpore, per consequens illud unicum corpus tot animabus refertum, denotabit simul et hominem et canem, et eis ratione praeditum et ens ratione destitutum, quod quis sana mente tueatur? Si alterum: tunc vel sufficit ejus operationibus excipiendis quaelibet corporis dispositio, vel non sufficit si primum: tunc corpus leonis, canis, catti, non secus ac gliris, aptum erit instrumentum animae ideis, judiciis, et ratiociniis efformandis, quod tam absurdum est dicere, ac si quis diceret, instrumenta vitrea apta esse ad exercendan artem fabrilem; si secundum: tunc anima Platonis, Aristotelis, aliorumque celeberrimorum virorum debebit mille et mille annis expectare, donec corpus quoad dispositiones suas priori perquam simile generetur. Ubi ergo interim has vagari sines? Metempsychosi itaque, utpote sanae rationi adversante, proindeque pariter non subsistente, animas humanas ante corpora nullatenus extitisse, patet.

Scholion 1. Eodem argumento contra Praeexistentianos, quo nos, usus est et LUCRETIUS, qui de rerum nat. L. 3. sic canit:

Praeterea si immortalis natura animai
Constat, et in corpus nascentibus insinuatur;
Cur super anteactam aetatem meminisse nequimus,
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere est animi mutata potestas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum,
Non, ut opinor, id ab laeto jam longiter errat.

Verum est, vis hujus argumenti non est tanta quanta illius, cum haec sententia adversetur communi philosophandi legi: nihil esse sine ratione sufficiente; quia etiam earum cogitationum non recordamur, quas in prima infantia habuimus.

Schol. 2. Metempsychoseos, inventores teste, HERODOTO, Aegyptii fuerunt. Docebant corpore mortuo animam in aliud migrare animal, quod eo nascitur momento, et cum animalium omnia corpora, quaecunque in aëre, aquis, et terra dantur, transmigrasset, iterum in corpus humanum neonatum redire, migrationemque hanc 3000 annorum spatio absolvere. Ab Aegyptiis ad Graecos tandem doctrina haec pervenit, inter quos eam Pythagoras praecipne amplexus est, et propagare studuit. Quidam dicunt; Pythagoram Metempsychosim sensu allegorico sumsisse, et ea tamquam symbolo usum fuisse ad deterrendos discipulos suos a libidine et aliis sceleribus. Alii vero defendunt, a Pythagora doctrinam hanc in sensu litterario intellectam fuisse. Differentia inter Metempsychosim Aegyptiorum et Pythagorae erat haec: Aegyptii credebant, animas hominum proborum migrare in animalia pura, animas autem improborum in impura. Pythagoras vero docebat, animas quorumdam hominum occupare corpora humana, et quorumdam corpora brutorum (*vid. Buddei hist. phil p.* 103). BRACHMANES credebant in specie, animas hominum pacificorum evadere animas ovium, columbarum, gallinarum; animas sapientum et Philosophorum migrare in vulpes; animas saltatricum et histrionum in corpora simiarum, avium; animas hominum sordidorum et crudelium in leones, tygrides, leopardos, sues, et angues. Hinc etiam Brachmanes et Gymnosophistae nec puiicem occidere ausi sunt. De PLATONE affirmant multi, quod Metempsychosim defenderit; sed probabilius est, Platonem saltem allegorice de statu animarum post mortem corporis loqui, et cum refert, Orpheum vitae conditionem cygni, Thamarim philomelae, Ajacem leonis, et Agamemnonem aquilae elegisse, certe nonnisi symbola haec sunt, quibus indicare volebat, homini ita vivendum esse, ut post mortem praemiis virtutum suarum fruatur. (*Plato de republ. L. X. pag.* 335. *Ed. Bipont*).

§. 103.

Maxime vulgata hodie, verisimillimaque est sententia, singulas animas creari ac corpusculo organico infundi tunc, cum istud in utero materno, ad vitae functiones proxime aptum efficitur. Etenim creari illam consectarium est ex ejus natura, cum sit ens simplex, quod autem dicto tempore creetur, argumenta sunt 1. Anima ex lege naturae ordinatur ad constituendum hominem, ergo ex eadem lege non prius producitur, quam detur corpus habile ad compositum humanum cum ipsa efficiendum, sed hujusmodi corpus non datur, nisi dato corpore organico proxime apto ad vitae functiones; ergo. 2. Anima humana ante corpus non exstitit, ut ostendimus, ergo cum corpore tantum existere incepit, sed hoc vero sensu existere dici nequit, nisi aptum sit ad peragendas functiones ejusdem, ergo. 3. Experientia teste, dum pars quaepiam corporis destruitur, ita, ut actiones vitales in ea peragi nequeant, anima ab illa recedit, ergo etiam ad corpus non prius cum probabilitate accedere supponenda est, ac illud rite organisatum sit. Denique 4. Corpus est instrumentum quoddam animae ab auctore naturae nobis concessum, ut eo ad percipiendas res sensibiles utamur, sed huic usui, nisi vivum riteque organisatum sit, servire nequit, ergo.

Scholion. Sunt nonnulli, quibus videtur hac in controversia nihil certi statui posse, nec ex revelatione Divina, nec naturae ratione. Quod paucis ostendit inde Clericus in Pneumatologia: scilicet nulla nobis suppetunt principia, neque conscientia, neque conjectura ulla, quibus quidpiam certi pronunciare possimus: et in scripturis altum de ea re silentium: Hebraei vero veteres, ac Chri-

stiani Theologi in varias partes iverunt. (*Vide Calmet Diction. Bibl. artic. Ame*). Sed mittamus tandem hypotheses, et materiam supra intellectus nostri horizontem positam, et, uti videtur, consulto a sapientissimo mundi Creatore pro homine tectam. Sufficit nobis, cum scimus, animam, utpote substantiam simplicem et immaterialem, nonnisi ex nihilo, seu per creationem oriri potuisse. Interim tamen voluntas in occulta naturae penetrandi omni laude digna est; id enim saepius tentando, deducimur ad limites intellectus nostri, et edocemur, non esse humanae sortis omnia clare et distincte perspicere. Ignorantia autem haec nequaquam dedecori nobis cedit.

§. 104.

Inter antiquissimos Philosophos Pythagoras, et post illum Plato existentiam idearum innatarum propugnavit. In nexu eorundem systematis de praeexistentia animarum, ideae innatae illis erant reminisentiae aeternarum et immutabilium substantiarum, quas anima, antequam corpori jungeretur, in praecedenti aliquo vitae statu cognovit, et quasi in speculo quodam intuita est. Hi itaque distinguunt hoc genus cogitationis ab eo, quod anima ministerio sensuum, ab hac vita, et a rebus, cum corporeo hoc mundo relatione quadam connexis, consequitur. Horum circa ideas innatas sententiam revocare conati sunt Cartesius, ejusque asseclae. Cum enim animae essentiam in cogitatione sitam esse voluerint, neque anima sine ideis ullo modo cogitare possit, necesse omnino ipsis videbatur, aliquas ingenitas ideas supponere, non e propria ejus natura erumpentes, uti Plato et Pythagoras censuerant, sed a Deo humanis mentibus primum impressas. Hanc suam opinionem verisimilem reddituri, observarunt, ideas Dei, virtutis, veritatis, aliasque, quae res materiales non respiciunt, a sensibus directe hauriri non posse, atque hinc intulerunt ex alio fonte oriri debere, proindeque a Deo ipso hu-

manis insculptas esse mentibus. Plura itidem principia practica et speculativa animis hominum innata esse asseruerunt, uti: standum pactis et conventionibus, suum cuique jus tribuendum, impossibile esse, idem simul esse, et non esse. Caeterum Cartesius nunquam se judicasse testatur (Epist. 66.) animam ideis innatis indigere, quae aliquid essent a facultate cogitandi diversum, verum cum animadvertisset aliquas se habere cogitationes, quae neque ab objectis externis, neque a determinatione voluntatis, sed a sola facultate cogitandi penderent, ut distingueret ideas et notiones, quae harum cogitationum sunt formae, ab aliis adventitiis, aut factitiis, innatas illas nuncupavit. Quidquid vero intellexerit ipse, non aliter tamen ejus asseclae, ac supra exposuimus, intellexerunt. Neque mirandum, eum ipsis suis asseclis obscurum fuisse, revera enim vocabulis adeo obscuris in hoc puncto utitur, ut nec sagacissima mens, quidnam proprie intellectum habere velit, conjecturare queat. MALEBRANCHIUS, opinione Cartesii ultra justos limites provecta, in fanatismum incidit, quo abreptus, omnia nos in Deo videre docuit. Idearum innatarum sententia arrisit quoque LEIBNITZIO, uti ex vi mundum repraesentandi monadibus ab ipso attributa colligitur; praecipuae enim hominis monadi, nempe animae, attribuit potestatem totum hoc universum sibi absque omnium sensuum auxilio repraesentandi. CVMBERLANDUS, SCHAFTESBURY, HUTCHESON, HUME, ROBINET, aliique, quibus accenseri potest auctor operis de natura, qui D'ALEMBERT esse creditur, non asseruerunt praecise dari ideas innatas, sed in vicem earum supposuerunt sextum quemdam sensum, quem mora-

lem dixerunt, quo actionum honestatem, vel turpitudinem percipere valeamus. „Quemadmodum enim, ait iste, (*auctor operis de naturâ pag.* 162.) objecto oculis corpore lucido et colorato, in nobis excitatur sensatio lucis et coloris; ita visa actione aliqua, ejus moralitatis idea statim in nobis excitatur. Igitur si admittendum est sensorium visionis, non erit negandum sensorium moralitatis actionis. HUTCHESONIUS ulterius adhuc progressus, duplicem statuit sensum, unum quo bonum a malo, honestum a turpi in humanis actionibus secernimus; alterum vero, quo pulchrum a deformi distinguimus, exclusione facta, tam in primo, quam in altero casu omnis reflexionis et rationis, ita ut soli sensationi tribui id omne debeat.

Scholion. Peripatetici, seu Scholastici ARISTOTELEM secuti, a sensibus repetunt originem omnium idearum; at modum, quo id fiat, ridiculum ab illis statui, multisque ambagibus et inanibus verborum involucris in explicatione eosdem uti, expendenti patebit. Anima, inquiunt, est veluti tabula rasa, in qua nihil depictum caelatumve fuit, idonea tamen ad excipiendas, quae a sensibus oriuntur, impressiones. Deinde ab objectis sensibilibus emittuntur imagines quaedam ipsis similes, quae per oculos, tamquam fenestras, intromissae, in cerebrum delatae, in eo imprimuntur. Ideo species illas appellant impressas. Hujusmodi simulacra se se conspicienda offerunt intellectui, qui agens vocatur; ipse vero pictoris instar ad ea se se convertens, alias species iis consimiles cudit, fabricat, spiritualesque efficit. Tandem hujusmodi species, sic ab omni materia segregatae, recipiuntur in intellectu, qui patiens dicitur, quique hoc pacto cognitionibus et ideis informatur. Ultimas illas species vocant expressas, quia intellectus agens eas ex prioribus velut exprimit. At quis non irrideat fabrilem illam officinam, in qua, tamquam e fornace eductae imagines corporeae ab intellectu agente excuduntur, inque formas spirituales convertuntur, ut possint in animam admitti? quis non percipiat, aut inutilem esse, aut impossibilem intellectus, ut vocant, agentis laborem? inutilem, si mens jam cognoscat objectum, cujus fingenda est species; impossibilem, si nondum cognoscat; neque enim pictor, hominis v. g. sibi penitus ignoti, tabellam delineare potest.

§. 105.

Nullae dantur ideae innatae. *Probo* 1. Omnes ideae, quarum sibi quisque conscius est, revocantur ad ideas rerum sensibilium, et ad ideas rerum mere intelligibilium, quae nulla imagine sensibili exhibentur: atqui priores a sensibus proxime, sive immediate, posteriores autem remote, sive mediate oriuntur; ergo nullae dantur innatae, verum omnes, aut per sensualitatem, aut per intellectum producuntur. **Primam partem satis demonstrat experientia**; ex impressionibus enim factis in organa visus, auditus, olfactus, nascuntur ideae colorum, sonorum, odorum. Idem judicium ferendum est de ceteris qualitatibus sensibilibus v. g. duritiei, mollitiei, dulcedinis, amaritudinis, quarum ideae quibusdam sensuum organis, tactui scilicet et gustui ita illigatae sunt, ut alia quacumque ratione comparari non possint. Experientia enim constat, eos qui nonnullis sensuum instrumentis orbati sunt, iis ideis plane destitutos esse, quibus excitandis destinata fuerunt praedicta sensuum organa. Rerum igitur sensibilium ideae a sensibus proxime oriuntur. **Secunda pars sic probatur**: illae ideae a sensibus remote derivantur, quae efflorescunt ex attentione mentis, in ideas objectorum externorum, jam sensuum interventu acquisitas, se se replicantis; atqui ita se habent notiones, aut spiritualium v. g. Dei et animae humanae, aut mere intelligibilium, quales sunt ideae justi et injusti, virtutum et vitiorum. 2. Eadem experientia discimus, eum, qui magis utitur saepiusque sensibus suis, majori, qui minus, seu rarius, minori, seu singularium, seu uni-

versalium idearum numero potiri, ut adeo jure inferre liceat, eum, qui nunquam sensibus suis uteretur, aut plane iis destitueretur, nullas prorsus ideas habiturum esse. 3. Sensus nostri eum in finem ab auctore naturae nobis concessi sunt, ut eorum ope anima, quamdiu in hac vita corpori immersa est, res objectas percipiat; sed si ideae innatae essent, finis hic etiam sine sensibus obtineri posset, hi proinde prorsus superflui forent, quod tamen legi Parsimoniae adversari patet, ergo. 4. Quaevis repraesentatio materiam suam habere debet. Si itaque repraesentationes menti innatae darentur, materia quoque earumdem innata dici deberet: quod tamen nullatenus defendi potest; secus enim repraesentationem, quam nunc primum acquisivimus, jam semper et quidem cum conscientia habere debuissemus; facultatem quippe repraesentandi habuissemus, et etiam materiam ex hypothesi innatam, ex quibus tamquam partibus constitutivis omnem repraesentationem coalescere notum est. Nulla itaque datur materia repraesentationis nobis innata, consequenter omnis repraesentatio, vel ex sensualitate, vel ex intellectu provenit, producta proinde est, et non innata. 5. Ponamus nobis quasdam repraesentationes innatas, materiam earumdem a natura nobis insitam esse, tunc quaeri omnino potest, cur quarundam duntaxat, et non omnium? Fuit hoc respectu quarundam possibile, cur non respectu omnium? Sed respectu omnium ipsis adversariis confitentibus id non obtinuit, ergo nulla ratio sufficiens habetur, id respectu quarundam affirmandi. Non dantur itaque repraesentationes, seu, ut dici solitum est, ideae innatae. Denique 6. Si aliquarum rerum ideae nobis es-

sent innatae, tunc hae prius nobis innotescere deberent, quam illae, quas anima cum tempore efformat, quasve eapropter adventitias, vel factitias vocant, quod tamen non obtinet; longe enim citius nobis hae, quam illae innotescunt; igitur neque aliquarum, neque omnium rerum ideae innatae dici possunt, consequenter nullae dantur ideae innatae. Denique 7. nulla nobis inest idea rei etiam a sensibus remotissimae, quae non posset ex ideis rerum sensibilium ope abstractionis, reflexionis ratiocinii etc. efformari; si enim aliquae innatae essent, tunc certe Dei, virtutis, veritatis, justi et injusti etc. ideae pro talibus habendae forent; atqui hae quoque praefato modo oriuntur, ut reipsa viri doctissimi LOKKE, GASSENDUS etc. ostenderunt, nullae proinde dantur repraesentationes, aut ideae innatae.

Scholion I. Ut ab ideis innatis contra Cartesianos exordiamur, si Dei, virtutis, veritatis notiones nobis innatae forent, eae procul dubio in nobis a primis unguiculis se se proderent, neque solum in omnibus uniformes, verum clarae etiam et perspicuae forent, utpote ab eodem principio, nempe Deo promanantes, et veluti menti nostrae insculptae. At ecquis hujusmodi notiones, aut se habuisse ab incunabulis, aut in aliis pueris detegere se potuisse affirmabit? Quodsi hujusmodi notiones in hominibus adultis examinare velimus, quanta et disparitas et obscuritas, et imperfectio non reperitur? Absonum autem est a veritate, Deum hujusmodi notiones imperfectas, dispares, confusas hominibus impertivisse. Idem dici aeque potest de principiis; nam si congenitae non sunt ideae, quomodo congenita esse possunt principia, quae ideas praesupponunt? Axioma: idem non potest simul esse et non esse, quomodo innatum dici potest, si innatae non sunt notiones identitatis, existentiae, temporis, affirmationis et negationis, quibus adagium concluditur? Quodsi de principiis practicis sermo sit, hujus sententiae falsitas clarius etiam apparebit. Si aliquod est practicum principium, quod omnium hominum cordibus insculptum esse deberet, illud profecto est, a parentibus filios amari et conservari debere. At quomodo innatum dici potest principium, quod integrae nationes publice et palam absque horrore, et communi quadam consuetudine identidem violarunt? Nonne apud Graecos et Romanos,

qui ceteros populos barbaros appellabant, in more fuit, proprios filios exponere, et mortis faucibus tradere, quoties libuit; quae consuetudo viget adhuc apud Sinenses, aliosque finitimos populos, qui filios suos, si ipsorum matres ob partum ex hac vita decesserunt, aut futili alia de caussa vivos sepeliunt. Quomodo innata moralitatis principia dici queunt, si quidam efferi populi etiam hac, qua vivimus aetate, in Africa praesertim existant, qui antropophagi dicuntur, quia homo hominem vorat, et hostium praecipue, et peregrinorum carnibus vescuntur? Plura alia harum immanitatum exempla ex viatorum historiis colligere licet. Quae cum ita sint, recte concludi potest, nullas in anima ab exordio suae existentiae ideas adesse, nec principia ulla, vel moralem sensum, aut ullam aliam repraesentationem.

Schol. 2. Ideas in mente, abstractissimas licet, a sensibus tamen remote oriri, et attentione, reflexione, ratiocinio etc. produci, pluribus exemplis ostendi potest. Sic ideam animae et operationum ejus a sensibus dicto modo oriri negari non potest. Mens enim in ideas, quae per sensus turmatim irruunt, attentionem suam retorquet, nunc has, nunc illas expendit, nunc alias cum aliis confert. Ubi inter eas nexum et societatem deprehendit, eas secum invicem jungit, sicque affirmationis ideam acquirit. Cum aliquas a se invicem dissidere percipit, tunc aliam ab alia disjungit et removet, sicque negationis ideam comparat. Interdum vero, quae sit duarum idearum inter se ratio, non satis deprehendit, tunc circa eas, vel jungendas, vel separandas incerta et anceps fluctuat, sicque ideam dubitationis obtinet: ergo anima in ideas objectorum sensibilium se se replicando, et sui ipsius, et suarum operationum notiones sibi efformat. (*Condillac. Essai sur l' origine du connaissances humaines* I. *part. sect.* 1. *ch.* 1. *parag.* 4). Non aliam habent originem justi et injusti, virtutis vitiorumque notiones. Enimvero cum omnes homines non iisdem viribus, non iisdem facultatibus polleant, cum insuper unusquisque in societate communi privatam utilitatem inquirat, remque suam amplificandi cupiditate laboret, saepe contingit, ut debiliores a potentioribus opprimantur. Ex illa autem oppressione, quam eo gravius sustinemus, quo violentior videtur, quamque sine ulla causa nobis incumbere sensu quodam intimo percipimus, nascitur idea injusti, et consequenter idea justi, quae priori opponitur. Hinc derivatur lex naturalis, legum omnium, quae inter homines constitui debuerunt, fons et principium. Hinc reflexae justi et injusti, virtutis et vitii notiones, non tantum ex ipsis naturae documentis, sed etiam ex mutuis hominum inter se relationibus oriuntur. At juvat alias quoque ideas exempli caussa attingere, et modum breviter indicare, quo infantes eas primum adquirant. Ita si infans parva suâ manu

corpusculum regat, et postea aliud pertractet, quod circumire digitis et sustinere non possit, aliquam magnitudinis ideam sibi confinget. Si vas lacte plenum inspiciat, et subinde, postquam biberit, nil reliqui inesse cernat, aliquam vacui notionem sibi efformabit. Si ad corpus aliquod manu arripiendum magis vel minus brachiola extendere debebit, aut pluries gressus iterare, nonne aliqua distantiarum idea in ipso orietur? Ita si aliquas actiones parvulorum blanditiis distingui, aut praemio aliquo donari a parentibus videat, alias vero severiori vultu et poena affici videat, aliquod inter actiones ipsas discrimen agnoscet, et virtutis quoddam semen internoscet, quod ex habitibus postmodum crescente aetate efformatis evolvetur. Consulatur hac de re CONDILLACUS (*Oeuvres Metaphysiques. Tom. III.*) qui locupletem idearum seriem consectatur, easque paullatim diversorum sensuum adjumento emergere certa quadam ratione fuse commonstrat.

Schol. 3. Ex dictis ad extremum collige, quo sensu sit accipiendum vulgare illud in scholis axioma: nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: non eo scilicet, quasi nullius alterius rei idea, atque cognitio a nobis obtineri possit, quam quae organa sensoria afficit: verum, quod quarumvis rerum ideae obtineantur dependenter a sensibus, vel proxime, vel remote; proxime scilicet illarum, quae ad sui ideas efformandas determinant mentem per impressiones in sensus factas, indeque in cerebrum propagatas: remote vero illarum, quarum ideas mens, vel dependenter a renovatis in cerebro impressionibus, quas antea objecta sensu percepta fecerunt, producit vel ex ideis sensu obtentis conjectura, ratiocinio etc. colligit. Id quoque in praesenti materia monere haud puto superfluum esse, animam in existentiae suae cognitione non necessario pendere a sensibus; nam quamquam anima nostra per reflexam cogitationem ex praevia rerum externarum cognitione sui existentiam intelligere possit, eandem tamen intelligit etiam intimo sensu ex conscientia, qua se sentit immediate, nec ob aliud, ut habet D. AUGUSTINUS (*Lib.* 10. *de Trinit. num* 12. *alias cap.* 9.) quam eo, quod sibi praesens est. Sicut ergo in existentiae suae cognitione non pendet necessario a sensibus, ita nec pendet necessario, in omnibus suis ideis et cogitationibus, ac consequenter nec in omnium suarum proprietatum cognitione, quia fieri potest, ut ex sola illa cognitione, qua per intimum sensum suam existentiam cognoscit, quasdam ideas sibi eruat, cogitationesque formet, tuncque ex his aliquas suas proprietates colligat. Quare etiam supra eum dicebam, videri eo processu in nobis gigni ideas, ut primae a sensu, harum deinde ope reliquae obtineantur, non exclusimus possibilitatem etiam alterius, quo ideae oriri possunt modi. Ipsi meliorís notae LOCKIANI sententiae nostrae auctores certas sibi

conditiones ponunt in eadem tuenda. Inquiunt nempe 1. non esse habendos sensus, ut idearum caussas efficientes, quasi ex iis, velut rami ex trunco cogitationes nostrae pullularent; cui assertioni Materialismi notam merito inussit Sacra facultas PARISINA anno 1759: sed impressiones, quibus objecta corporea sensus nostros commovent, merae sunt occasiones, quibus positis, certae ideae ab ipsa mente efficiuntur. 2 Id intelligi debet de statu naturae lapsae, minime vero de statu naturae innocentis, nec denique propositionem ideas a sensibus oriri ad animam a corpore separatam pertinere (*Condillac Essai sur l' origine des connaissances humaines sect. 1. Cap. 1*).

Schol. 4. *Objiciunt.* Idea Dei non potest efformari ex ideis rerum creatarum; ergo innata sit, est necesse. *Prob. A.* Idea Dei in nobis est perfectior omnibus rerum creatarum ideis; ergo non potest efformari ex ideis rerum creatarum R. N. A. ad prob. D. A. Idea Dei objective, ut ajunt, considera a, perfectior est in nobis omnibus rerum creatarum ideis C. A. subjective spectata. N. A. et C. Objectum dictae ideae est ipse Deus; adeoque si idea illa consideretur objective, omnino perfectior est omnibus rerum creatarum ideis; at non item, si spectetur in se ipsa, seu subjective: nam sicut haec, ita etiam illa, non aliud est, quam modificatio quaedam animae nostrae. Imo hae eo ex capite illi etiam praestant, quod objecta sua longe clarius, perfectiusque exprimant, quam illa Deum. Unde prorsus non est, cur a mente nostra nequeat imperfecta illa, quam habemus, idea Dei efformari. Et eam revera a nobis ex mundi hujus admirabilis contemplatione obtineri, pulchre exhibet LOCKE. Cum enim, ait, unusquisque clare percipiat, ex nihilo, tamquam ex caussa efficiente, quidquam originem mutuare non posse, primo velut intuitu detegit, ens aliquod aeternum et independens in rerum natura agnoscendum esse. Deinde primariam hanc Dei notionem ope reflexionis evolvens, ceteras ipsius perfectiones v. g. summam intelligentiam, potentiam, ab omni prorsus materia distinctionem, non minus facile deprehendit. Denique perfectiones omnes, quas in se ipso caeterisque creaturis agnoscit, quantum potest, imaginatione amplificans, easdem enti supremo, in gradu infinito, et sine ulla imperfectionis mistura tribuit, atque ita sibi efformat Entis infinite perfecti, idearum omnium maxime complexam. (*Essai sur l' entendement humain liv. 2. chap. 23. n. 33. liv. 4. chap. 10. n. 3*). *Obj.* Innata est nobis propensio ad vitam tuendam, amor famae et honoris etc. ergo etiam ideae eorum objectorum, in quae hujusmodi adpetitionibus ferimur, innatae nobis sint, oportet. R. N. A. Nam ejusmodi inclinationes adpetitionesque non alio sensu possunt innatae dici, quam quod natura sic comparati simus, ut adprehensa bonitate, quae in ideis vitae, honoris, famae etc. relucet, ad haec adpetenda facillime impellamur *Obj.* Catuli bestiarum, ut primum editi sunt, ubera materna adprehen-

dere, et ex iis lac sugere solent; ergo iis ingenitae sunt ideae uberum maternorum, lactis, modique sugendi; ac proinde non est, cur non credamus, infantibus quoque ideas quasdam esse congenitas. Ex. C. A. n. C. Illae enim catulorum actiones proficisci possunt ab internis motibus, quibus fames et sitis conciliari solet: ut ut modum, quo id fiat, clare et distincte nequeamus comprehendere. Nihil enim vetat dicere, animalcula illa sic esse comparata providentissimi Numinis dispositione, ut, ubi fauces eorum molestis id genus motibus vexantur, oriantur in ipsis eae ipsae ideae, quas adversarii eisdem innatas esse volunt. Ceterum quomodocunque istud se habeat in bestiarum catulis; profecto infantes nulla id genus indicia praebent, e quibus vel leviter conjici posset, eosdem innatis quibusdam ideis instructos in lucem edi. Hi enim fame prius peribunt, quam ubera materna arripiant; ut adeo eadem illis vel invitis in os ingeri debeant, lacque instillari, dum aliquam harum rerum ideam consequantur. Unde catulorum exemplum nos, de humanis ideis agentes, prorsus non premit. *Obj.* Prima principia, seu axiomata ipso lumine naturae nobis nota sunt, quod tantandem videtur significare, ac eorundem notiones nobis esse ingenitas. Ex. Phrasi huic: axiomata lumine naturae nota sunt, non alter subest sensus, quam eorum veritatem tam esse apertam, ut solis terminis rite adprehensis modicaque attentione adhibita, ab omni, qui rationis usu praeditus est, intelligi queat, quin ratiocinationum, quae aliis magis notis principiis innituntur, ambages in subsidium vocare sit necesse. Unde patet, ne axiomatum quidem notiones esse nobis innatas, verum attentione comparari.

APPENDIX.

De animabus brutorum.

§. 106.

Prima circa bruta sententia a DIOGENE cynico juxta PLUTARCHUM (de placitis Philosophorum Lib. V. cap. X.) evulgata, quamque complures Stoici amplexi sunt, statuit: bruta mera esse automata, seu eximias quasdam machinas, a sapientissimo Conditore constructas, quae mechanicos tantum motus exercere valeant, omnique penitus cogitandi, volendi, reminiscendi facultate, seu anima, absolute careant.

Saeculo 16. Gomez Pereira, Medicus hispanus, qua hostis animarum in brutis comparuit, eaque in opere suo, intra spatium 30 annorum conscripto, intitulatoque: „Antoniana Margarita, opus Physicis Medicis ac Theologis utile et necessarium“ machinis pariter adnumeravit. Hos secutus Cartesius, ejusque asseclae, acerrime contendebant, omnes brutorum actiones ex sola mechanica corporis eorunden. structura, absque ulla id genus anima, quae cognitionis cujuspiam capax sit, peragi. Qua in re Spinozae, ac ceteris postea Materialistis, inviti quidem ac inscii, ansam praebuerunt, id ipsum etiam de homine affirmandi, atque adeo animam ipsam rationalem, et cum ea Dei existentiam, negandi. Alii cum Pythagoricis et Epicureis non animam tantum sensitivam, sed rationalem etiam brutis concedendam esse defendunt, quam tamen ob imperfectiorem corporis structuram imperfectius quoque ac in homine, se se exserere, contendunt. Quid de his aliisque diversis in hac re opinionibus sentiendum sit? ex sequentibus colligetur.

Scholion. Peripatetici, duce Aristotele, sensum quidem brutis concedunt, sed rationem et intellectum denegant. Cujusmodi vero speciatim substantia sit anima eorundem, vario admodum et ambiguo sensu explicant, ita ut nec mentem ipsorum assequi liceat. Leibnitzio animae brutorum sunt illae species monadum, quae vi saltem confusa perceptionis praeditae sunt. Wolfius, quem plurimi sequuntur, dicit animas brutorum esse substantias simplices, mediae cujusdam naturae, inter spirituales et materiales. Gassendus ejusque sectatores, quamvis, vi sentiendi et percipiendi instructas, nihil tamen aliud animas easdem esse opinantur, quam subtilissimam sanguinis portionem, sive spiritus animales. Unzer non omnia bruta animata esse contendit. (*in Physiol. et op. period.* der Arzt). Denique P. Bougeau, non quidem serio, sed quasi ludibundus, quemadmodum ipse testatur in suis literis ann. 1739 ad Abbatem Savalette datis, ponit, bestias a daemonibus anima-

ri (*Amusement philosophiques sur le langage de bêtes*). Sententia haec a Pythagoricis potius mutuata, quam noviter excogitata videtur. In Metempsychosi enim animarum, quam Pythagoras defendebat, hominum animae, non tantum ab uno in aliud humanum corpus transmeant, sed ab hominum corporibus, si in iis male se se gessissent, in brutorum corpora, quasi ob promeritam poenam, detruduntur.

§. 107.

Bestiae facultate cognoscendi praeditae sunt. Habent enim imprimis cerebri fabricam, omnemque nervorum, ac sensuum apparatum, corporis humani conformationi simillimum; atqui haec in homine ad informandas rerum perceptiones constituta esse dubitari non potest; propter eundem itaque finem etiam bestiis collata sunt. 2. Actiones bestiarum eam habent cum illis actionibus nostris, quas a cognoscendi facultate pendere sensu intimo novimus, analogiam, ut, si quidquam deferamus celebratissimo illi axiomati: „effectuum naturalium ejusdem generis, eaedem assignandae sunt caussae quatenus fieri potest „in bestiis facultatem cognoscendi omnino agnoscere debeamus. Ad nonnullas earum actiones lubeat animum tantisper advertere. Canis herum suum a peregrino discernit, illi blanditur, obtemperat; peregrinum contra neglĭgit, aut, in furorem actus, dentibus impetit etiam; si tamen ab hero minas sibi intentari videat, imo saepe, si vel contrarium hujus nutum observet, a nocendo desistit. Viso fuste fugit, conspecta carne accurrit: in ipsa fuga non impingit in obstacula, in quae prima motus directione fertur, uti muros, sepes etc. verum ea caute declinat. Si pulli vocem milvi audiunt, mox se sub gallinae alas recipiunt. Sexcentae sunt aliae, tam harum, quam aliarum bestiarum actio-

nes, quae actionibus humanis, ab anima cum praevia cognitione proficisci solitis, admodum similes sunt. Optime non secus ac homines discriminant utilia, noxia, amica, infesta, plurima internoscunt ex voce, sibilo, odore, imo ipsis adeo hominibus hac in re praestare videntur, juxta illud Poëtae:

Nos aper auditu praecellit, aranea tactu;
Vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.

Ergo praelaudatae regulae conformiter, recte concludimus, dictas bestiarum actiones ab anima, quae cognoscendi facultate polleat, proficisci. Pollent facultate imaginandi. Si enim sensiones plures conjunctim aliquando habuerint, una illarum recurrente, continuo excitantur caeterae. Sic cani, flagellum in heri manu conspicienti, refricantur ideae verberum, idque fuga et lamentatione testatur satis; atqui haec phantasiae indicia sunt, facultate ergo imaginandi gaudent bestiae. Nec memoria in iis desideratur; cum enim res internoscant, solerti et pertinaci hominum institutione plurima condiscunt, et longissimo tempore retinent. Sic longius etiam abductus domo canis, redire novit, sic hirundines, ciconiae, apes, quae ex alvearibus et nidis suis etiam diutius emanserunt, eosdem iterum fideliter repetunt. Obnoxiae sunt appetitionibus et aversationibus sensitivis, quod ipsum earundem actiones palam faciunt. Unde TULLIUS quoque L. 2. *de natura Deorum c.* 47. *ait:* „Dedit autem natura belluis et sensum et adpetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Affectibus aguntur, suntque

ideo voluptati et dolori obnoxiae.“ Eadem namque signa, eosdem effectus, easdem denique causas affectuum deprehendimus in brutis, quas in hominibus. Excandescunt in hominibus ira commotis vultus oculique; arriguntur pili; gestiunt artus. Eadem observamus in brutis. Homines ira inflammati violente assurgunt in eos, a quibus laesi sunt, quo possunt modo, injuriam ulciscuntur; memoriam ejusdem pertinaciter fovent. Similiter et bruta. Denique laesione et injuria homines provocantur ad iram. Etiam bruta. Certe canes et simiae non ex malo tantum illato corpori, sed ex gesticulationibus quibusdam, sonisque inconditis et injuriosis iram concipiunt. Peraeque caeteri brutorum, hominumque affectus concordant; peraeque igitur illa, ac hos veris affectibus agitari agnoscendum est. Hinc necessario consequitur eadem voluptati et dolori obnoxia esse; etenim affectus sine voluptate ac dolore esse nequeunt, ut in Psychologia nostra empirica declaravimus, si ergo sui sunt affectus brutis, necesse est, suos etiam esse dolores ac voluptates. Argumentum rursus est ab analogia; eadem siquidem, ut inter omnes constat, voluptatum aeque ac dolorum indicia in brutis, quae in hominibus. Tristitiam, qua pullis orbatam philomelam turbari videmus, eleganter Virgilius Georg. L. IV. v. 111 depingit sequentibus versibus:

— — Populea moerens philomela sub umbra,
Amissos queritur foetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et moestis late loca questibus implet.

Spontanei quoque motus agnoscendi sunt in bestiis. Se ipsas enim ad agendum determinant, adpetunt, quod sensibus ipsorum arridet, aversantur et fugiunt, quod iisdem adversatur; multa porro passim in earum motionibus occurrunt, quae tam parum in iis, quam parum in nobis ipsis ex legibus mechanicis explicari possunt. Inest ergo in bestiis anima, eaque incorporea. Illud ex effectibus hactenus percensitis, qui ex alio, ac anima, principio provenire nequeunt, manifestum redditur; istud iisdem plane rationibus efficitur, quibus pro anima hominis in superioribus pugnavimus; cognitio enim, phantasia, memoria, appetitus, affectus, sponte susceptae motiones ab indole corporis et materiae prorsus alienа sunt. Bestias itaque nequaquam automata, sed entia, anima incorporea gaudentia esse, liquet.

Scholion. Experientia teste bruta in ipso motus velocissimi impetu, repente motum sistunt, vel ejus directionem mutant, si, aut viderint aliquid, aut audiverint, aut olfecerint. Jam si motibus spontaneis carerent, necesse foret existere extra illa tantam vim, quae eorum velocissimos motus sisteret, aut flecteret; neque enim motus in ullo corpore extinguitur, aut directio ejus mutatur, nisi vis aliqua extrinsecus eidem opponatur; atqui bruta nulla vi extrinseca, verum vi propria sponteque motus suos actionesque perficere, non unum sed complura comprobant exempla. Nobis aliqua ex his seligere placet. Generosus equus ad angustiorem fossam transiliendam sola virgae umbra, aut levi sibilo incitatur; si autem fossa nonnihil latior sit, ne verberibus quidem ullis efficies, ut se se in periculum conjiciat. Item, si famelicus equus foenum eminus conspiciat, concitato cursu feretur versus illud, ubi tamen ad fossam profundiorem, quae forte viam intercipiat, pervenerit, gressum sistet, potiusque fossam declinaturus longiorem viam arripiet, quam ut cum periculo priorem motus sui directionem retineat. Denique si canem in fenestra altae domus existentem tu in platea consistens ostensa carne ad te allicias, non se dabit per fenestram praecipitem, sed per tortuosos graduum anfractus, quin impingat in obstacula, descendet, ut oblatam escam adipiscatur. Jam vero dic, obsecro, an non vel ille sensus, quem tibi rationalis natura indidit, reclamet, si actiones

has a solis iis necessariis motuum legibus, quas in mundo corporeo obtinere novimus, ope structurae mechanicae derivare contendas? Quid virgae umbra, quae nonnisi absentia lucis est, conferet ad hoc, ut equina machina ad fossam angustiorem transiliendam determinetur, si ea ad crepidinem fossae nonnihil latioris adducta, ne verberibus quidem ullis ad saltum adigi possit? Quid item fossae praesentia conferet ad hoc, ut equus versus foenum celerrime currens repente consitat, aut fossam declinaturus aliam viam priore longiorem arripiat? an forte odorem foeni fossa intercipit, ut jam eo trahi equus priori directione non possit? Denique an carnis odor impellit caninam machinam, ut per dictos graduum anfractus tam dextre descendat, et non potius per fenestram praeceps ruat? His unam adhuc observationem addemus, ex qua sola, ut putamus, satis elucet, bestias pro merisautomatis haberi omnino non posse. Nimirum ostende cani jacenti corpus, quod pani simile sit; adsurget, accedetque: ubi olfactu deprehenderit non esse escam, quod ipsi porrigitur, recumbet iterum. Porrige rursus idem ei corpus, forsitan secundo, ac tertio quoque accedet: at fraude saepius repetita non adducetur amplius ut assurgat. Quodsi autem canis ille merum automaton est, cur toties non adsurgit, quoties fictum ei panem porrigis? nonne machinae omnes, quas mere materiatas esse novimus, ut molae, horologia etc. in iisdem rerum adjunctis eo certius constantem in agendo modum retinent, quo perfectiores sunt? aut forte putas, bis terve adsurgendo vitiata fuisse organa quaedam in canina illa machina, ut jam amplius commoveri non possit, tametsi iisdem, atque prius, viribus ad motum solicitetur?

§. 108.

Bruta animata esse, sequenti quoque argumento probari potest. Mundus hic debet repraesentari a substantiis viventibus; cum enim Deo, enti in se beatissimo, per mundum creatum nihil omnino accesserit, si nullae exstiterint substantiae repraesentantes, mundus iste non ferret ullum notabilem fructum; tolle namque tales creaturas, nulla in mundo pulchritudo, nullus colorum nitor, nulla verbo remanebit elegantia; frustra tunc florescent prata, frustra canent philomelae, frustra spirabunt aromata odorem, frustra edet terra suos fructus, frustra sol et stellae emittent radios etc. ergo substantiae quaepiam repraesen-

tantes, bonaque hujus mundi in usum convertentes necessario adesse debent. Jam vero certum est, solum hominem vel in tellure nostra, omne quod pulchrum utileque est, non posse sibi repraesentare et in usum convertere; missis aliis exemplis, quam multae dantur plantae, quarum melleum succum non noscimus, gustu non percipimus, diligens autem apis sedule exsugit e plantulis sibi notis: abundantia scilicet copiosorum naturae donorum vires nostras longe superat, non omnibus frui potest homo. Igitur, cum probabile non sit, ut tanti thesauri naturae universae pro solo homine, qui eos omnes nec repraesentare sibi valet, existant, et natura propter legem parsimoniae non possit dilapidationis accusari, necesse est, ut praeter hominem aliae adhuc etiam existant in tellure nostra creaturae, mundum sibi repraesentantes et divitiis ejus perfruentes, ac proin creaturae animatae, et ad hunc finem organis necessariis instructae. Tales autem creaturas observamus in brutis, bruta itaque animata esse, negari nequit.

Scholion. Quid clarius et illustrius unquam esse potest, quam bruta vivere, sentire, res et objecta corporea percipere, variis affectibus impelli, plurimas denique operationes efficere, quae sola partium textura, fibrarum ordine fieri, vel explicari certe non possunt. Quis in admirabili prorsus industria, et arte, qua cibos formicae aestatis tempore inquirunt, in horrea congerunt, ubi frumenti grana humiditate marcescere viderint, ex cryptis illa in apertum aërem siccanda educunt, aut si fortasse germen ex ipsis oriri conspiciant, germen ipsum dentibus corrodunt, aliisque innumeris actibus incredibilem brutorum cognitionem, providentiam, solertiam manifestissime non intuetur? Quis in ipsis volucrum nidis eorumque structura eximiam prorsus artem non admiratur? qua primum alas proximi fontis aquis madefaciunt, tum ad parietem volantes, in quo nidum construere volunt, alas ita agitant, atque concutiunt, ut paries ipse madefiat, ideoque terrae, vel luti particulae, quas volucres ore translatas sensim admovent, ipsi tenacius adhaereant; paleis etiam ac plerumque plumis mirifice intextis interiorem nidi partem vesti-

unt, deinde vero maxima et incredibili sollicitudine, providentia, solertia, ova, natosque pullos fovent, nutriunt: ab exterioribus hominum volucrumque injuriis tuentur, atque alia plurima efficiunt, quae sine cognitione, vel sensu fieri, vel explicari non possunt. Certe qui miras adeo et incredibiles operationes sola partium textura, automatorum instar, fieri posse arbitratur, parum abest, ut hominem ipsum automato comparet, nulla cognitionis vi praeditum velit, illiusque operationes, quae subinde a brutis propemodum superantur, a solo nobiliori, puriorique partium ordine, vel corporis textura oriri posse arbitretur. Epicurei sane, qui singula rerum genera ex atomis composita existimarunt, quemadmodum brutorum operationes ex sola partium textura, celeri vividoque spirituum motu ac figura repetendas esse putabant, ita quoque animas humanas ex levibus, rotundis celerique motu agitatis atomis componebant, quae flammae, seu lucis instar singulas corporis partes pervaderent, atque ad varios hominum motus exercendos impellerent. Quo vero humanae mentis non dixerim immortalitas, qua nihil certius et illustrius haberi unquam poterit, sed ipsa quoque cognitio abiret, quam nobis inesse intimo quodam vividoque conscientiae sensu nos ipsi experimur, quamque a nullo certe, vel subtilissimo, vel igneo corpore oriri posse intelligimus?

§. 109.

Bestiae carent intellectu. Intellectus enim est ea entis facultas, qua illud distinctas rerum notiones efformat, ita, ut easdem res comparativo quodam judicio a ceteris discernat; atqui bestiae tali facultate carent; ergo carent intellectu. *Prob. min.* Si bestiae distinctas rerum notiones obtinerent, ita, ut rem unam ab altera comparativo quodam judicio discernant, profecto similitudinem rerum, genera, differentias perviderent, abstractasque rerum notiones efformare possent; ergo non esset inprimis ratio, cur vocabulis, arbitratu suo instituendis, uti, atque ita sermocinari, aut saltem aliis signis, non mere naturalibus, sed arbitrariis intimos suos sensus explicare non possent: non esset deinde ratio, cur saltem eae bestiae, quae inter homines constanter versantur, vocabulorum, quibus utimur, significationem non asse-

quantur. Atqui bestiae vocabulis, aliisque aequivalentibus arbitrariis signis profecto destituuntur, ut ut cum certis suis internis adfectionibus certos externos sonos, ceu naturalia quaedam signa, conjungere soleant: item bestiae, etiam quae inter homines versantur constanter, ut canes, vocabulorum, quibus utimur, significationem non assequuntur, ut adeo iis praesentibus secreta tua tuto pandere possis, tametsi necem ipsis inferendam contineant. Nec ratione gaudent. Ratio enim est ea mentis facultas, qua nexum veritatum universalium pervidemus, ita, ut ex quibusdam veritatibus alias, quae cum ipsis connexae sunt, deducere queamus; quodsi ergo bestiae ratione praeditae essent, abstractas veritatum universalium notiones animo efformare, earumque nexus intelligere possent; atqui istud de bestiis dici non potest, secus enim distinctis rerum notionibus et intellectu gauderent, rursusque fieri non posset, ut vocabulis, aut aliis arbitrariis internorum suorum sensuum signis destituantur. Porro, si quae ratio bestiis inesset, ea sensim magis magisque perfici posset, ejusque ope jam artes aliquae ab ipsis excogitatae fuissent, prius ignotae; at nullam sane videmus apud bestias peculiarem inventionem, nullam in artibus varietatem, incrementa nulla; nihil observamus ab hodiernis bestiis ratiocinando detegi, quod veteribus ignotum fuit. Opera artificiosa brutorum e. g. aedificia castorum, plexus araneārum, cellulae apum, avium nidi etc. semper sibi sunt aequalia. Eodem modo, quo castorum unus aedificat, aedificant omni tempore omnes. Nidus hirundinis, quae nunc vivit, eodem modo, ac hirundinis ante saecula viventis, constructus est.

Nullibi varietas, nullibi inventio, nullibi vel minimum rationis vestigium, ubivis tantum coecus naturae instinctus, naturaeque necessitas observatur. Ratio ergo bestiis omnino tribuenda non est. Exhinc necessario consequitur: 1. Bestias nonnisi corporum singularium, quae nempe in earundem sensus occurrere possunt, repraesentationes habere; abstractas et universales rerum notiones, ut sunt generum, specierum, efformare non posse; nulla proinde in illis est notio Dei, juris, honesti et inhonesti. 2. Eas libertate indifferentiae carere; libertas siquidem indifferentiae intellectum poscit in agente. Ut enim inprimis actio quaepiam poni, aut omitti possit, omissionis hujus notio adesse, in eaque quidpiam boni relucere debet, quod tamen absque intellectu fieri nequit. Pariter, ut e duobus singularibus bonis alterum prae altero libere queat eligi, ejusmodi cognitio debet adesse boni utriusque, vi cujus alterum ab altero comparativo quodam judicio discerni possit, quaeve utrumque repraesentet ex eorum esse genere, quae quamdam rationem boni continent, ac proinde debet adesse boni utriusque intellectio; cum ergo bestiae intellectu destitutae sint, libertate quoque indifferentiae careant, est necesse. Si quid proinde libere efficere videantur, ut: cum jam huc, jam illuc corpus flectunt, jam lentius, jam celerius progrediuntur etc. ad totum id diversa duntaxat adpetitionum contentione, vel perceptionum, aut phantasmatum claritate determinantur; ita ut vehementior adpetitus, vel cognitio clarior citra deliberationem, electionemve ad agendum eas impellat. Personalitate quoque carent. Omnis bruti activitas ad bonum corporis dirigitur, sensu-

um tantum voluptatem quaerit, et taedium eorum removere conatur; passive itaque se habet, sensationi voluptuosae acquiescit, dolore cessante quietum redditur, nova impressione denuo excitatur, igitur sub omni respectu est substantia mere sensitiva, et qua talis distinctam repraesentationem sui Ego efformare non potest, quod cum ad personalitatem, seu sub logico, seu sub aesthetico, seu demum sub morali respectu consideratam, prorsus necessarium sit, bestias personis nequaquam accensendas esse liquet; altiori tamen loco, ac res inanimatas, habendas, nec proinde ac has tractandas esse, ex eo, quod anima, facultate cognoscendi praedita, aliisque, prae his, proprietatibus instructae sint, me non monente intelliges.

Scholion. Observatu dignum est, inquit ipse CARTESIUS (*dissert. de methodo. n.* 5.) „nullos reperiri homines adeo hebetes et stupidos, ne amentibus quidem exceptis, ut non possint diversas voces apte construere, atque ex iis orationem componere, qua cogitationes suas patefaciant; contra vero nullum esse aliud animal, quantumvis perfectum, aut felici sidere natum, quod simile quidquam faciat. Hocque ex organorum defectu non contingit; videmus enim picas et psittacos easdem, quas nos, voces proferre, nec tamen sicut nos loqui posse, hoc est ita, ut ostendant se intelligere, quod dicunt. Cum nihilominus homines a nativitate surdi et muti, sicque non minus, sed potius magis quam bruta destituti organis, quibus alii in loquendo utuntur, soleant propria industria quaepiam signa invenire, quibus mentem suam aperiunt iis, quibuscum versantur, et quibus vacat, linguam ipsorum addiscere. Istud autem non tantum indicat, bruta minore rationis vi pollere, quam homines, sed illa plane rationis esse expertia."

§. 110.

Pro iis bestiarum actionibus, quae cum aliqua ratiocinatione connexae esse videntur, explicandis, duo hoc loco notanda sunt; quorum alterum instinctus naturae, alterum exspectatio casuum similium nuncupari

solet. Instinctus naturae non est aliud, quam ea organorum communisque sensorii constitutio, animalibus congenita, vi cujus in certis rerum adjunctis certae in ipsis repraesentationes, ac proinde etiam certae adpetitiones, aut aversationes excitantur, quibus anima sine ulla praevia deliberatione, ratiociniove ad quasdam actiones externas determinatur. Hujusmodi admonitiones naturae nobis quoque indulsit providentissimum Numen, ut ut intellectu rationeque instructis. Sic, ut alia taceamus, in periculo lapsus dexterrime libramus corpus, manumque in partem oppositam ad omnes aequilibritatis leges solius naturae ductu protendimus. Atque id genus instinctui naturae, qui in diversis bestiarum generibus diversus utique est, jure attribuuntur eae ipsarum actiones, quae uniformes dici solent, seu quae ab omnibus ejusdem generis animantibus aequaliter exercentur, pertinentque potissimum ad procurationem victus, propagationem generis, et sui ipsius conservationem. Tales sunt: constructio nidorum in avibus, insidiae in belluis rapacibus. etc. Exspectatio casuum similium adest, quum recurrentibus iis rerum adjunctis, quae cum certis eventibus ante connexa erant, iidem rursus eventus exspectantur. e. g. Canis in culina cibum adgreditur: meminit vero, se nuper, dum idem pertentaret, ab hera superveniente insigniter fuste verberatum fuisse: quodsi ergo nunc quoque videat heram cum fuste adpropinquantem, similem priori casum, id est, verbera expectat, adeoque fuga sibi consulit. Jam casuum similium exspectatio etiam absque genuina ratiocinatione haberi potest: si nempe inferior cognoscendi facultas duos singulares casus, quoad

quaepiam adjuncta similes, repraesentet, alterum praesentem, praeteritum alterum, vis autem fingendi, eventum casus praeteriti adjungat casui praesenti. Tunc enim casus praesentis perceptionem iidem affectus consequi poterunt in anima, qui consequebantur eventum casus praeteriti e. g. in adsumpto casu, adest in cane duplicis casus cognitio; pristini, dum ab hera superveniente in similibus rerum adjunctis verberatus erat, et praesentis, dum heram simili rursus modo adpropinguantem videt. Jam quoniam fingendi vis, juxta statutas ab autore naturae leges, eventum pristinum, seu verberationem praesenti casui adjungit, vel forte ob solum intellectus, rationisque defectum pristinum casum cum praesente confundit, aversatio quaedam praesentis casus enascitur in cane, qua is ad vitandum eum, capiendamque fugam determinatur.

Scholion. Casuum similium exspectatio haberi potest absque genuina ratiocinatione; genuina enim ratiocinatio semper generali cuidam principio innititur, neque potest absque omni axiomatum notitia institui: cum tamen nunc explicata casuum similium exspectatio absque ullius generalis principii notione stet. Profecto, si quis sola natura duce, vere tamen ratiocinetur, iisdem reapse argumentationum principiis utitur, quae in Logica explicari solent, quamvis ea diserte nequeat explicare. Pura igitur casuum similium exspectatio, umbra potius ratiocinationis, quam genuina ratiocinatio est.

§. 111.

Animae brutorum, nec spirituales sunt, nec immortales. Non primum: vocabulo enim spiritus designatur substantia incorporea, quae intelligendi vi, et voluntate praedita sit; animae vero brutorum vi intelligendi carent, ac proinde etiam voluntate, cum haec sine illa stare non possit; brutorum ergo ani-

mas, ut ut incorporeae sint, spiritus nuncupare non possumus. Non secundum: nam ad immortalitatem requiritur, ut ens, nec a creatis caussis possit destrui, aut vita exui, nec etiam a Deo, ut naturae autore, ac proinde requiritur etiam autoris naturae lex de entis illius existentia et vita in perpetuum conservanda, qualem exstare legem pro anima humana ex ejusdem proprietatibus constat. Jam vero quis ex eo, quod brutorum anima sit substantia simplex, inferiore cognoscendi facultate praedita, inferat, ab autore naturae latam esse legem de ejusdem vita in omnem aeternitatem conservanda? Imo cum animae brutorum ob defectum intellectus et rationis, nec actuum moraliter bonorum, aut malorum, nec praemii, aut poenae capaces sint, eas nequaquam ad immortalitatem determinatas, sed hoc duntaxat fine creatas esse, censeri debet, ut corpora rite organisata informent, ac proinde his destructis fine existendi destituantur, sicque ab auctore naturae juxta universalem quamdam ab eodem statutam legem annihilentur, quemadmodum juxta aliam naturae legem rite organisato corpore creatae fuerunt. Animas itaque bestiarum spirituales, aut immortales esse ne censueris.

Scholion. I. Cognoscere objecta extra se posita, eadem appetere, sunt modi immateriales, imo materiae repugnantes, ut contra Spinozam aliosque materialistas constanter tenendum: cognoscere autem et appetere dependenter ab organis corporis, sunt modi non omnino perfecte spirituales, ut possint aequari intellectioni, et liberae volitioni; atqui anima bestiarum cognoscit et appetit objecta extra se posita, nec nisi dependenter ob organis corporeis cognoscit, ergo earum anima non est forma materialis, nec etiam perfecte spiritualis, sed eam censent nonnulli, vel esse mediam inter corpus et spiritum, vel certe spiritualem in gradu quodam et genere longe inferiore, ac sit anima humana. „Ceterum non interest scire, inquit Ant. Genuensis, quid contingat his substantiis, postquam ab unione

aliarum discessere; constet id autori suo, ut perfecte pronunciat Augustinus Calmetus. Ad rerum, ut alias dixi, extremos fines humana mens non pertingit.“ Sufficiat nobis, e proprietatibus animae humanae rite deduci naturalem immortalitatem, non item e proprietatibus animae brutorum; ut adeo neque ex immortalitate animae humanae liceat inferre immortalitatem animae bestiarum, neque e mortalitate hujus, mortalitatem illius.

Schol. 2. *Objiciunt.* A certis clarissimisque scriptoribus eruditur, machinas plures ab hominibus effectas esse, in quibus sola partium structura, organorumque varietate plurimi efficiebantur motus iis propemodum similes, quos in brutis ipsis conspicimus. Sic Architas columbam ligneam finxise fertur, quae in aëre volaret; Regiomontanus aquilam ligneam, quae Carolum 5. Norimbergam ingressum exciperet, atque ad palatium deduceret; alius statuam, quae ad Principis thronum supplex accederet, atque in genua provoluta supplicem libellum offerret, quo artifici veniam exoraret, eaque concessa iterum ad carcerem rediret; aurei quoque famuli alibi mensae adstabant, qui statis temporibus dapes apponerent vacuasque pateras amoverent; quid enim aut volucres variis concentibus modulatas, aut homines obsessam arcem defendentes, aut Tritones variis aptisque motibus colludentes, aut Galleatae, Samaritanae mulieris, Adonidis, Panis, Famae, aliasque sexcentas historias vel statuas commemorem, quae non sine maxima et incredibili jucunditate in regio Etruscorum Ducum delicio, aliisque regiis hortis conspiciuntur, non exmissa apud nos etiam inventa celebratissima machina Kempeleniana, quae dexterrime in tabula latrunculornm, Schach dicta, lusitabat? Ergo si tenuis et imperfecta hominum sapientia machinas aliquas efformavit, in quibus aliqua operatio motusque fieret illi propemodum similis, qui in bruto conspicitur, quis aperte non videat, divinam sapientiam, quae infinito discrimine humanam superat, machinas aliquas efficere potuisse, quae sola partium textura, omnes motus et operationes illas efficerent, quae in brutis non infinitae certe, neque perfectissimae deprehenduntur? R. Actiones brutorum cum legibus mechanicis, quibus substantiarum corporearum motus exigi novimus, haud cohaerere alibi ostendimus. Porro mirae illae machinae, quae humana industria constructae quasdam animalium actiones expressisse feruntur, communibus motuum legibus omnino fuerunt adstrictae. Profecto si e. g. Regiomantani aquilae volanti expansum velum objecisses, non dubito futurum fuisse, ut illa in istud impingat: si Daedali venus ad crepidinem fossae adducta fuisset, ut ibi suas motiones peragat, facile in fossam ruisset praeceps. Aliter sentiendum esse de bestiis ex supra dictis patet. *Obj.* Similitudo organorum inter me et alium hominem probat, eum non tantum cognoscere, sed etiam ratiocinari, quemadmodum id

mihi de me sensu intimo constat; igitur etiamsi similitudo organorum in hoc argumento aliquid probaret, probaret ea simul bestias ratiocinari; atqui hoc nimium est, et qui nimium probat, nihil probat. R. Ex sola organorum similitudine nihil aliud directe colligitur, quam existentia alicujus entis, quod iis organis ad percipienda objecta sensibilia utatur: cujus deinde naturae ens illud sit, aliis ex rationibus determinari debet. Si itaque videantur ab eo ente tales quoque actiones effici, quae ratiocinium certo postulant, legitime concluditur, illud intellectu et ratione instructum esse. Atque istud in hominibus evenit; non ex sola organorum similitudine, sed ex sermocinatione aliisque actionibus adaequate illis similibus, quas a me sine ratiocinatione poni non posse experior, colligo in altero quoque animam rationalem esse; nihil contra horum in brutis obtinet. Neque obest, quod ejusmodi actiones in infantibus, aut amentibus non deprehendamus, quibus tamen animam quoque rationalem tribuimus; nam experientia satis edocti scimus, infantes adolescere, amentes ante hunc morbi statum ratiocinatos fuisse, quin saepe quoque medicamentorum ope iterum rationis usum adipisci, quo fit, ut sine dubitatione pronunciemus in infantibus, aut adultis amentibus animam rationalem nostrae similem inesse, siquidem nullam veri speciem habet, idem corpus a pluribus successive animabus incoli. *Obj.* Si bestiis anima inesset, eae quoque doloris et voluptatis capaces essent; at hoc non est verisimile: nam cum divina bonitate non congruit, ut sine propria culpa miserae sint, essent autem certe, praesertim cum Deus hominibus plenum in ipsarum vitam dominium concesserit. R. Vera miseria, verumque gaudium absque reflexione distincta super ea, quae quis patitur, et sine aliqua in futurum providentia subsistere non potest. Certe nos homines, non tam iis, quibus affligimur malis, cruciamur, quam reflexa eorum apprehensione et cogitatione in futurum porrecta, qua eadem, vel diu duratura, vel augenda etiam praevidemus: quare cum his facultatibus bestiae careant, veram quoque tristitiam, aut gaudium persentiscere nequeunt. Et si dein bestiae doloribus absque demerito subjectae sint, et hominum usibus destinatae, prorsus nulla in divinam bonitatem imperfectio redundare potest. Nam inprimis bestiae sunt natura sua obnoxiae doloribus, non est autem inconveniens, si Deus producat ens quodcunque, illudque modo naturae ipsius conveniente conservet. Porro Deus absolutus omnium creaturarum Dominus est: cur ergo nequeat bestias usui nostro destinare, ut nobis tamquam nobilioribus creaturis singularem benevolentiam exhibeat? Si non pugnat cum naturali justitia, ut homo homini serviat, cur deberet justitiae divinae adversari, ut bestiae hominum usibus destinentur. Denique compensantur etiam dolores hi temporalibus voluptatibus, quibus absque omni suo merito bestiae perfruuntur, ut adeo ipsis divina providentia non desit. *Obj.* Si bruta vere cognoscunt et appetunt, ruit validissi-

ma demonstratio de animae immortalitate, quia haec ex eo colligitur, et demonstratur incorruptibilis, quod cognoscat, et appetat ergo. N. seq. Quae in supposito etiam peccat, dum immortalitatem confundit cum in corruptibilitate; nam omne immortale est incorruptibile, non autem omne incorruptibile est immortale; immortale enim dicitur id, quod cognitionem claram et distinctam ac in se reflexam habet, qualis non est cognitio brutorum; deinde ex meliore fundamento, quam sit istud de incorruptibilitate, probatur animae humanae immortalitas, ut alibi dictum est. *Obj.* Operationes brutorum commode explicari possunt per solam mechanicam structuram corporis, ergo frustra recurritur ad formam aliquam immaterialem, seu animam. R. Negamus. A n t. tamdiu, donec Cartesiani machinam aliquam perfecerint, vel perfici curarint, quae agnoscat et appetat. *Urg.* Nos ipsi saepe varia agimus citra ullam cognitionem et perceptionem, cum v. g. scribimus, loquimur etc. non utique singulorum musculorum motus percipimus; cum ex assuetudine fides sine attentione pulsamus; cum lunatici et noctambuli huc illuc nescii feruntur etc. etc. ergo necesse non est, ut brutorum motus ex perceptione ejusque principio, seu anima deriventur. R. D. A. agimus citra perceptionem actualem C. habitualem N. Motus indeliberati, quos aliquando edimus, licet cum actuali attentione non conjungantur, recte tamen ad principium cognoscitivum ultimo revocantur, quippe ex cujus habitu illi motus oriuntur: noctambuli speciatim ex operatione phantasiae. quae vis cognoscitiva est, ut omnes assentiuntur, motus suos edunt, quod ad rem nostram plurimum facit. *Obj.* Antonius le Grand: Si bruta animata essent, cognitionibus suis hominem superarent, id vero dici non potest, ergo animata non sunt. R. Non est absurdum dicere, bruta in quibusdam cognitionibus homine superiora esse, superant enim nos in cognitione multorum objectorum sensibilium teste quotidiana experientia; at etiamsi nos hinc inde cognitionibus suis singularibus superent, homo tamen quoad totum suarum cognitionum complexum bruto semper est perfectior. *Obj.* (*Ant d' Illy d' Ambrun in opusculo suo edito* 1676. *Traité de l' ame et de la connaissance des bêtes*). Deus magis glorificatur, si bruta machinae sint, quam si essent animata; magis enim laudamus et admiramur artificem, qui construeret navim, quae se ipsam dirigere posset, quam illum, qui navim construit, quae gubernatore indiget. R. argumentum hoc supponit possibilitatem solius mechanismi in bruto, quod ipsum negamus. Per impossibilia Deus glorificari non potest. Jam in regno vegetabili innumerae existunt machinae, quae gloriam Dei abunde manifestant, et cum praeter has machinas, alias adhuc omnipotens Deus creaverit, in quibus substantiae repraesentantes hospitantur, novus exsurgit inde divinae gloriae praeco. *Obj.* Arguit Urzerus: Necdum demonstratum est, bruta omnia animas habere debere. Definitio enim animalis, quod sit ens

compositum constans corpore et anima, propositio est precaria. R. Demonstratum sane est, omne animal animatum esse debere; omne enim animal sentit, sensatio autem absque anima adesse non potest. Ubi nulla sensatio, sed tantum organismus, ibi planta, sed nullum animal est. *Obj.* Plura ex brutis vires plane nullas animae praesentis manifestare videntur e. g. ostreae, pedunculi, polypi R. Inde tamen non sequitur, nullas adesse, nos tantum effectus harum virium non observamus. *Obj.* Plura caput a trunco separatum plane nullum habent, ergo nullum etiam cerebrum, nullam animae sedem, proinde solis nervorum viribus regi, supponenda sunt. R. Bruta capite a trunco separato carentia habere possunt nodum nerveum qui vices cerebri agat, et in quo anima hospitetur. Et alioquin quaestio est, an anima necessario in cerebro residere debeat, an in omni animali cerebrum sedes animae esse debeat. *Obj.* Si animae bestiarum essent incorporeae, essent substantiae simplices, ac proinde in partes discerpi non possent, atqui possunt, ergo non sunt incorporeae. *Prob. m.* Serpentes, viperae, lumbrici, si in duas secentur partes ambae non moventur solum, verum etiam, si acu pungantur, se se contrahunt, quasi dolorem sentirent. Item polypi dulcis aquae in plures partes secti teste Trembleyo in totidem novos polypos abeunt. Ipse S. Aug. (*lib. de quant. an.*) narrat millepedam a se, et studiorum sociis in multas partes concisam, cum una parte pungeretur, doloris signum edidisse, se contorquendo, immota parte altera; ex quibus et aliis id genus experientiis manifeste colligitur animas brutorum praesertim piscium et insectorum esse divisibiles, ac proinde materiales seu corporeas. R. C. M. n. m. C. A. N. C. Inprimis omnis ille motus, qui in recisis serpentum viperarum, lumbricorum partibus observatur, potest adscribi fluido cuidam tenuissimo per nervos adhuc commeanti, prioresque commotiones diu conservanti; ipse sanguis quoque putrescens ad id conferre aliquid potest: ac proinde minime dicendum est, animas earum bestiolarum in totidem partes, in quot corpus, discerpi. Sed neque sensus doloris potest inferri e subita contractione dum compunguntur; nam haec quoque contractio ab ipsa partium illarum conformatione, fluidoque intus aliquamdiu perdurante, ac commeante proficisci potest. Ista verisimilia redduntur etiam observationibus Cl. Nicolai Weis Med. Prof. Altorfii. „Saepius expertus sum, inquit ille, (*Diss. edita an.* 1752.) corda aeque ac frusta musculorum, certa cum encheiresi ex canibus modo strangulatis abscissa, magis vel minus convelli, prout plus aut minus afflatu aëris, punctura acus, vel sale, aut spiritu asperso afficiebantur.“ Quos quidem motus nemo parti animae, quae in his partibus remanserit, attribuet Quod ad polypos attinet: plerique censent per polypi corpus dispersa esse plurima ovula, quae accedente calore in novos polypos excrescant, ita ut tunc primum nova cuilibet condatur anima, dum jam matura redduntur organa ad praecipuas vitae fun-

ctiones peragendas. Argumento est ipsa naturalis propagatio polyporum; gigni enim solent e materno corpore ad eum fere modum, quo germina ex arboribus protenduntur, ita, ut posteriori parte matri aliquot dies quodammodo infixi sint. De millepeda idem est judicium, quod de aliis insectis; partes nimirum resectas non vivere, sed si pungantur, sale aspergantur etc. humorem in fibris latentem varie urgeri, ac solidas subinde partes agitare, quod vel ex eo confirmatur, quod ubi partes ejusmodi exaruerint, nullae amplius contorsiones quavis punctura etc. in iis excitentur. *Obj.* Bestiis tribuitur facultas cognoscendi; ergo iisdem etiam intellectus et ratio tribui potest, imo debet. *Probant C.* Ideo primum: quia bestiarum actiones multae similes sunt iis actionibus nostris, quas a cognoscendi facultate pendere sensu intimo novimus: atqui multae earum actiones similes quoque sunt iis actionibus nostris, quas ab intellectu, rationeque pendere sensu intimo novimus, ergo si bestiis etc. R. C. A. N. C. *ad prob.* D. M. Ideo primum duntaxat, quia etc. N. M. ideo praeterea, quia vis analogiae quoad primam hanc actionum classem positiva ratione non elidit ur, imo insuper solide probatur actiones bestiarum a machina pure corporea, communibus vis inertiae legibus subjecta, haud posse provenire. C. M. d. m. atqui multae earundem etc. positiva tamen ratio evincit, analogiam quoad alteram hanc actionum classem robore carere. C. min; secus N. m. et C. Adversarii nulla positiva ratione possunt elidere vim argumenti ab analogia ducti, quo cognoscendi facultatem in bestiis adesse probavimus; eo ipso autem argumento illi deferendum est plurimum; quemadmodum in omni vita humana argumentis ab analogia ductis, quorum vim ratio positiva non enervat, plurimum tribuere solemus. Ex adverso nullum esse robur analogiae, quoad vim intelligendi et ratiocinandi bestiis attribuendam positiva ratione ostendimus. Deinde pro bestiarum cognoscendi facultate, praeter analogiam, alia quoque argumenta attulimus, e quibus patet sane, actiones bestiarum a machina pure corporea, communibus vis inertiae legibus subjecta haud posse provenire. *Urg.* Si quae esset ratio positiva, quae evincat bestias carere intellectu et ratione ac proinde, quae vim analogiae quoad alteram illam actionum classem enervet, essent hae: 1. Quia si bestiae intellectu et ratione pollerent, non esset ratio cur vocabulis, aut saltem aliis signis arbitrariis intimos suos sensus explicare non possent; 2. quia saltem eae bestiae, quae inter homines constanter versantur, ut canes, vocabulorum, quibus utimur significationem tandem assequerentur. 3. Denique, quia si quae ratio inesset bestiis, ea semper magis et magis perficeretur, ejusque ope jam aliquae novae artes ab ipsis excogitatae fuissent; atqui rationes hae vim dictae analogiae non elidunt, quod *sic probant*: 1. Bestiis desunt organa ad loquendum necessaria; quod autem variis signis intimos suos sensus pandant, dubitare non possumus; nam e. g. gallina certo sono convocat pullos, canis alio latratu prodit fe-

rociam, alio laetitiam etc. 2. Pariter dubitari non potest, bestias e. g. canes significationem humanorum vocabulorum adsequi; nam et nomina sua optime norunt, et heris ipsis alloquentibus obtemperare solent. 3. Denique artes suas quoque perficiunt belluae. Nam e. g. canis venaticus longiore usu perficitur in arte sua, majorique dexteritate circumvenit leporem successu temporis, quam primis annis. Ergo rationes supra adlatae vim dictae analogiae non eliduut. R. C. M. n. m. ad prob. ajo I. Sunt bestiae, quae aptissima habeant ad loquendum organa, et longa exercitatione eo adducuntur etiam, ut plura vocabula articulate pronuncient, quin tamen ullo signo prodant, distinctam se habere vocum prolatarum significationem. Unde etiam, si quis non intelligat ea, quae de memoria recitat, vulgo Psittacus vocatur. Porro signa illa, quibus animalia internos affectus suos prodere solent, naturalia sunt, non mere arbitraria; ut vel inde patet, quod singula ejusdem speciei animalia in ejusmodi signis, e. g. gallinae in convocandis pullis conveniant, tametsi in diversis, maximeque dissitis regionibus absque ulla communicatione mutua degant. Denique possunt, ut expendenti facile patebit, omnes illae bestiarum actiones per instinctum naturae, et casuum similium expectationem explicari, ex quibus inferre nonnulli conantur, eas inter se vere ac proprie sermocinari. 2. Pariter potest expectationi casuum similium absque ullis intellectionibus adscribi, quod e. g. canis audito nomine suo accurrat, hero suo obtemperet; uti etiam 3. ea artis perfectio, quam e. g. in cane venatico post longum ipsius exercitium observamus. *Urg.* E plurimis bestiarum actionibus colligitur, eas ratiocinari, ergo positiva ratio evincit potius bestias intellectu et ratione gaudere. *Probant A.* 1. Si canis venaticus feram persequens ad trivium veniat, ubi olfactu deprehenderit, per neutram e duabus viis ivisse feram, tertiam viam ne indagat quidem, sed per eam illico fertur: ac proinde sic videtur ratiocinari: „aut hac, aut isthac, aut illac transiit fera; non autem hac, neque isthac; ergo illac. 2. Thraces etiamnum (inquit Plutarchus de industria animalium) flumen glaciatum transituri, non aliunde, quam a vulpe documentum capiunt prius. Leniter haec super glaciem incedens, auriculam admovet: ac, si strepitum subterlabentis aquae captando adsequi potest, non satis alte, sed tenuiter et invalide fixam colligens, sistit gradum: ac, nisi quid vehementer urgeat, nusquam promovet pedem: strepitum vero postquam nullum audire potest, sumptis animis trajicit" etc. R. N. A. ad probam ajo: has quoque bestiarum actiones partim per instinctum naturae, partim per exp. cas. sim. absque ulla genuina ipsarum ratiocinatione sat apte posse hoc et simili modo explicari: Inprimis canis venaticus cupiditate reperiendae ferae aestuans, ipso instinctu ad exploranda olfacta ejus vestigia incitatur: meminit vero se alias, dum feram prosequendo ad trivium devenisset, duasque vias frustra olfactu explorasset, in tertia ferae vestigia deprehendisse: quem eventum

dum fingendi vis moderno casui adjungit, enascitur in cane adpetitio, qua is ad tertiam illam viam tenendam determinatur. Profecto posita canis illius ratiocinatio, ut expendenti patet, supponeret rudem aliquam hujus generalis veritatis notitiam: „quandocunque per unam ex 3 viis transiit fera, si constet eandem per 2 quasdam earum non ivisse, inferre licet tertiam tenuisse viam:" quoniam vero haec veritas principio contradictionis innititur, hujus quoque aliqua cognitio in cane illo adesse debuisset. Quae tamen quis sustineat? Quod vero ad vulpem attinet: ex eo, quod haec leniter per glaciem incedens auriculam admoveat, minime consequitur, id eam ratiocinando agere, nimirum explorandi gratia, sitne firma glacies, aut non; potest enim hujus rei non alia esse causa, quam quod auditu acutissimo pollens vel eminus percipiat aquae motum, aut alium sonitum, hacque occasione ad applicandam glaciei aurem determinetur. Sic nos quoque ad sonitum subito enatum saepe solo instinctu aures arrigimus, inque partem illam convertimus, ex qua impressio facta videtur. At, inquis, tametsi nullum audiat aquae susurrum, aures tamen ad glaciem adplicat, non transitura, si aquae defluentis susurrum admotis auribus perceperit. Ita tu quidem interpretaris; at ego ajo, etiam tum, cum eminus nullum perciperet vulpes aquae susurrum, posse ipsam determinari, ut aurem glaciei admoveat, quin ullo ratiocinio habeat opus, si nempe recordetur susurri in hujusmodi rerum adjunctis alias observati tum posse terreri, si admotis auribus potentiorem susurrum percipiat. Quid, quod hujusmodi historiolae miris saepe rerum adjunctis dedita opera augeri soleant. *Obj.* Reperti fuerunt homines aliqui, inter feras educati, qui postquam capti hominumque convictu mansuefacti sermonem humanum tandem addidicerunt, fassi sunt, se prorsus non meminisse eorum, quae olim belluinam vitam degentes viderant fecerantque; ergo in belluis nequaquam memoria adesse videtur. N. C. Quodsi ea, quae dicuntur, etiam vera sint, ejus ratio inde videtur repetenda, quod homines ejusmodi inter bestias destituti fuerint praecipuo illo memoriae acquirendae conservandaeque remedio, quod vocabulorum usus per signa singulis idearum notis respondentia suppeditare solet; unde factum fuit, ut exiguam habuerint factorum suorum memoriam, quamdiu inter feras versati sunt; quae quidem memoria magis adhuc obliterata, penitusque deleta fuit, postquam homines illi usu loquelae vividas rerum ideas acquisiverunt, quibus priores illae debiles quodammodo obrutae, sepultaeque fuerunt. Exempla nota duorum luporum a P. Bougeaud (*l'Amusement phil. sur le langage de bêtes*) ovibus insidiantium, elephantis Plinii, item hypopotami, cervi, ursi etc. quibus Hieronymus Rorarius evincere conatur, animalia bruta ratione melius uti quam homines, aut fidem non merentur, aut ex instinctu, nec non exspectatione casuum similium pariter commode explicari possunt. Vide *Storchenau Metaphis.* §. 275. *pag.* 425. 426.

CAPUT III.

Theologia metaphysica

seu

Theologia rationalis.

Introductio.

§. 112.

Si coelestis illa, atque divina propemodum ingenii vis, qua mentes hominum praeditas et illustratas esse novimus, in corporum cognitione mirifice effulget, atque illius rei cognitio acrioribus animi viribus est inquirenda, in cujus adspectu incredibili atque humanissima voluptate perfundimur, nihil est certe, quod illustrius inquiri, aut magnificentius cognosci possit, quam supremi Numinis, optimi, sapientissimique Artificis, Dei nimirum, natura. Quemadmodum enim elegantissime ait Cicero: „illum, qui intelligentiae, sapientiaeque se amatorem profitetur, necesse est, intelligentis, sapientisque naturae primas caussas cognoscere." (*De Univers. cap.* 14). Itaque naturalium rerum cognitio, etsi pulcherrima ac jucundissima sit, rudis tamen, ac indecora propemodum videretur, nisi ad ipsius Dei cognitionem, contemplationemque nos deduceret? et, si levis illa, ac tenuissima Divini Artificis imago, quae corporeis rebus velut impressa conspicitur, nos vehementer adeo delectat, allicit ac extollit, quid futurum putabimus, si Deum ipsum puriori quadam luce et acriori mentis intuitu contemplemur? Admirabilem ergo, vividissima non minus charitate,

ac profundissima adoratione complectendi divini Numinis existentiam, attributa ejusque ad hunc mundum relationem praesenti Metaphysices parte, quantum exiguis naturae viribus licet, et Philosophum decet, breviter et accurate inquiremus; cetera, quae prorsus innumera ac infinita forent, Theologiae positivae cultoribus relicturi. Utinam Deus, qui sui contemplandi vires ac desiderium immortali munere nobis concessit, ita se nobis contemplandum exhibeat, ut inde perennis ardor in nobis excitetur!

Scholion. Quo pluris interest, ut litteraria Juventus, quam in spem Ecclesiae, Regis ac Patriae succrescere oportet, in primis disciplinarum moralium veritatibus rite ac solide instituatur: eo plus studii ac solertiae in id conferendum, ut solida et inconcussa rationalis, seu naturalis Theosophiae principia statuantur, sine quibus et Jus naturae, et Disciplina morum necessario claudicat, nec ulla Rebuspublicis salus ac prosperitas esse potest. Quisquis enim de Deo non recte sentit, solidam ac fundatam Juris naturae, atque rei moralis scientiam adquirere nequit; quod nonnisi summo et rei litterariae, et utriusque sacrae scilicet, ac civilis reipublicae detrimento esse potest. Quodsi enim Theosophia naturalis ita doceatur, ut aut nullo eam niti fundamento adpareat, aut corruptis modernarum sectarum accomodetur principiis, perversissimus saeculi nostri genius opinione latius dominabitur, scholasticam juventutem infestaturus, atque in ea, quae volet, praecipitia acturus. Quid enim non extimescendum est aetati, quae, dum in una Europae parte, summa provinciarum concussione ac hostili vastatione, horrescentibus circumquaque populis, respublicas agitari videret, in altera, eodem tempore, serpentina vafricia doceri audiret: „vel ipsam de Deo cogitationem esse impossibilem"; Nefandi scilicet homines hi, cum omnia verae religionis, divini cultus atque legitimi vestigia imperii sustulissent, funditusque delevissent, cogitationes etiam de Deo, rerum omnium auctore, ex ipsis mortalium mentibus eliminare conabantur. Hinc orta sophistarum turba, linguam novam, novam, non tantum omni retro antiquitati, sed toti generi humano peregrinam sophiam propugnans, in singulos vix non annos nova systemata procudens, novos certe scientificis terminis significatus annuatim subrogans, donec eam linguae induceret confusionem, quae a babelica parum distaret. Quaenam autem prodibant ex tanto confusarum vocum nimbo concreta meteori miranda idola? Absurda ista: nullam veritatem esse, nisi subjectivam, i. e. fictitiam; nullam dari justitiam, nisi ab

hominum arbitrio dependentem, atque oriundam; nullam denique religionem, quam non ipsi plebis inficetae ergo finxissent. Qui quidem omne Religionis ac moralitatis vinculum, quo solo societas humana salva subsistere potest, rumpentes, generis humani hostes existunt. Iidem, cum homines omni religione, recti justique sensu exutos non tantum in mores latronum, sed belluarum ritus degenerare ac praecipites ruere cernerent, simulque cuti suae timerent, precario tandem postulato, quin et edicto publico monuerunt: „Existere Deum.“ Contra quos argumentari sana ratio vetat, et jam superfluum est. In id ergo, in tanta corruptione temporis, quo jam nec vitia, nec remedia pati possumus, animum advertere, totumque studium conferre oportet, ut solida et severa disciplinarum, quae non ad culturam sensuum, sed ad rectam vivendi rationem faciunt, institutione subigatur juventus, atque in disciplina timoris Domini, „qui est initium sapientiae“ graviter exerceatur. Quodsi enim Graecorum fabulis, atque infinitis, quae Gallia et Teutonia peperit, inque dies parit, poëticis figmentis, comoediis, fictitiis historiolis, fabellis romanensibus juventutem innutritam babelici philosophiae campi excipiunt, vocum, ut plurimum mente cassarum, fumo pascendam: quo vanius sibi sapere, reliquosque mortales scientia supervolitare sibi videbitur, eo superbius atque insolentius intumescet, censoriam sibi virgam arrogatura, et quidquid genio suo non arriserit, superbo pede conculcatura. Unde igitur remedia petenda? Minime anceps respondeo: ab illa praecipue Philosophiae parte, in qua praestantissima et gravissima de Deo, rerum omnium principio, doctrina severa et mascula arguendi ratione exponitur, et contra superbientium Sophistarum cavillationes, versutasque atheorum calumnias viriliter propugnatur ac vindicatur; severitate enim duntaxat in arguendo, constantia in concludendo, quae saeculi nostri genius perhorrescit, veterum et modernorum sophistarum ficta falsaque principia, ut dudum, ita quoque hodiedum evertere licebit. Vix enim, aut ne vix quidem prudenter supponi potest, fuisse, esse, aut futuros fore, qui seria mente sibi persuasum haberent, non esse Deum. Pertinacia duntaxat, qua malitiosi homines falsissimae etiam opinioni mordicitus adhaerent; pathema, seu singularitatis affectatio, qua inter contribules sibi nomen quoddam parere, et reconditae cujusdam, ac sublimioris doctrinae famam captare amant; praesertim autem naturalis hominum in mendacium proclivitas in caussa esse videntur, quod aliqui tam apertam veritatem: Deum esse, quam tota rerum Universitas per omnes, qua protenditur, plagas singulis momentis miro quodam et irresistibili modo in aures intonat, impudenti praefractaque fronte inficiari praesumant. Hinc rectissime observat Baco de Verulamio: „Verum nec difficultas sola, laborque, quem homines subeunt in veritate invenienda: nec, quae ex ea inventa cogitationibus imponitur, captivitas, mendaciis favorem conciliat; sed ipsius mendacii naturalis — amor. E recentiori

Graecorum Schola quidam rem ad examen vocans, haeret attonitus, dum excogitare nequit, quorsum mortales amarent mendacium ipsius mendacii caussa; cum nec voluptati sit, ut mendacia poëtarum, nec utilitati, ut illa mercatorum. Sed nescio, quomodo veritas ista (utpote nuda et manifesta lux diurna) personatas hujus mundi fabulas, ineptiasque non tam magnifice et eleganter ostendit, quam taedae lucernaeque nocturnae; ad unionis forsan valorem pervenire poterit veritas, quae per diem speciosissima apparet: sed ad pretium adamantis, aut carbunculi, qui lumine vario splendent, nunquam adscendet. Mixtura mendacii voluptatem semper auget. Ecquis dubitat, si e mentibus hominum tollerentur opiniones vanae, spes blandae, aestimationes rerum falsae, imaginationes ad libitum, et id genus alia, quin multorum animi relinquerentur dejecti et marcidi, atrae bilis et languoris pleni, ac sibimet ipsis ingrati, et displicentes?" (de veritate.) Num non idem Seneca supponit, dum de hominibus Dei existentiam ore, non tamen animo negantibus pronunciat: „mentiuntur, inquit, dum dicunt, non esse Deos, nam etsi id interdiu affirment, noctu tamen, et soli, aliter sentiunt."

Schol. 2. Ex novatorum somniis hinc inde unus alterve aliquatenus evigilare coepit. Sic P. T. D. Jacobi fatetur. (Jacobi's Erklärung im ersten Briefe). Schellings Lehre etc. von Fr. Köppen. Hamb. 1800 S. 239. „Wo Wahrheit ist, da ist Ruhe; wo keine Ruhe ist, sondern lauter Ungestüm, da ist zuverlässig keine Wahrheit. Freudig mag ich diess bekräftigen. Mit dem ersten mir im Bewusstseyn gebliebenen Gedanken habe ich die Wahrheit gesuchet, und später ihr nachgetrachtet mit allen meinen Gedanken; aber wie damals nicht, so auch zu keiner Zeit aus nur eitler Begierde mich mit ihr als mit etwas von mir entdeckten, oder das aus mir selbst zuerst hervorgegangen wäre, bloss zu schmücken. — Ich bedurfte einer Wahrheit, die nicht mein Geschöpf, sondern deren Geschöpf ich wäre. Fülle soll sie geben meiner Leerheit, Licht bringen in die mich umgebende Nacht. — Jenes reinen Vorwitzes darf ich mich nicht rühmen, der, nach den Urtheilen der grossen Männer der Zeit, der allein wahre Geist der Philosophie, so wie seine jedesmahl nur täuschende, ins Unendliche hinaus sich verschiebende Befriedigung ihre ganze Absicht ist: sondern dessen allein, dass ich mich gegen meine eigenen Vorurtheile misstrauischer, und im Prüfen überall unbefangener, als die bloss vorwitzigen Philosophen bewiesen habe." Koppen (Schellings Lehre S. 202.) „Unser Zeitalter wollte sich vom Buchstaben befreien, und hat die Sache selbst verloren; man vertilgte den Aberglauben, durch Unglauben. — Die Vernunft unserer Tage wollte Sittlichkeit ohne Religion, und raubte so lange dem Recht und der Pflicht ihr Göttliches, und Heiliges, bis alles in Rauch sich auflöste."

Schol. 3. Doctrina de Deo metaphysica, Theologia, seu sermo naturalis de Deo dicta est; quae expressio ambigua esse videtur; nam Theologia naturalis, non tantum ut oppositum Theologiae positivae, (quemadmodum Jus naturae, Jusque positivum ab invicem discernimus) sed etiam ut oppositum Theologiae moralis, (quemadmodum Leges naturae, et morum distinguimus) intelligi potest. Rectius itaque Theologia rationalis dicitur, seu systema cognitionum ex ratione sola, aut ex experientia ope rationis abstractarum; sic enim distinguitur a Theologia positiva, quae cognitiones de Deo non ex ratione ipsa haustas, sed humano generi revelatas complectitur. Caeterum ne novorum terminorum receptione confusio enascatur, per decursum dissertationis termino civitate donato potius, quam rectiori illo, in titulo praesentis Metaphysices partis exhibito, utendum esse putamus.

Schol. 4. Gentiles, quibus revelationis lumen non affulsit, Theologiam distinguebant in fabulosam, naturalem, et civilem. Fabulosa complectebatur Poëtarum de Diis figmenta, scilicet Mythologiam. Naturalis Deum considerabat veluti causam primam rerum omnium contingentium, quae in hoc Universo conspiciuntur. Civilis tandem ex naturali et fabulosa composita a Civibus et Sacerdotibus colebatur. Postremam hanc a Politicis ad multitudinem facilius coërcendam fuisse inventam, tradit Aristoteles (*Polit. Lib.* 3. *Cap.* 10) qui Theologiam fabulosam et civilem tamquam spuriam rejicit, solamque naturalem probat. Revera autem naturalem cum civili impiissime confundunt Athei, dum Theologiam omnem pro figmento Politicorum habent. Naturalis Theologia non fictis hominum commentis, aut fabulis, nec principum, aut regum auctoritati innititur, sed e purissimo rationis et intelligentiae fonte depromitur, atque rectissimis ratiociniis, et perpetuo aetatum omniumque populorum consensu demonstratur, atque invicte adstruitur. Perperam hinc Petrus Pomponaccius, aliique Critiam Atheniensium tyrannum secuti, suadere conati sunt, Religionem et Theologiam a Politicis fuisse confictam. Stulte etiam Tolandus scribit, Numam Pompilium ad metum populo incutiendum, ipsumque in officio et servitute continendum, religionem primum invenisse. Praecipuum namque hujus scientiae, ut diximus, munus est, naturali ratione duce quamplurimas circa Deum, ipsius attributa et opera veritates evolvere, easque adversus homines perversissimos, qui philosophia ad errores et impietatem impudentissime propagandam pessime abutuntur, perspicuis argumentis stabilire. Nemo tamen sive impudentium, sive sophismatum genera spectes, Atheismum acrius professus est, quam auctor systematis naturae, qui Religionem et Divinitatem funditus evertere impiissimo hoc opere adnisus est. Nos, ut rem gravissimam eo, quo decet, ordine pertractemus, primo Dei existentiam distinctis propositionibus et invictis argumentis de-

monstrabimus, atque ab impiorum hominum probris et fallaciis vindicabimus; tum Dei attributa, quae necessario ipsi convenire apertum fiet, evolvemus; ac demum Ejus ad hunc mundum relationes expendemus; totamque de Deo dissertationem tribus distinctis capitibus accurate absolvere satagemus.

MEMBRUM I.

De existentia Dei.

§. 113.

Mirum sane videbitur, apud Philosophos etiam christianos disputari, an sit Deus? sed proponendae huic quaestioni locum, imo necessitatem dedit nefaria quorundam perversitas, qui spreto rationis lumine, excusso omnis religionis jugo, et cupiditatibus liberius indulgendi studio excoecati, dicunt: non est Deus: quin imo nihil non moliuntur, ut splendidam et undique collucentem hanc veritatem impiis sophismatibus in aliorum animis obscurent et labefactent. Homines hi, si tamen tales dicendi sunt, Athei, et error eorum Atheismus; qui vero Deum existere affirmant Theistae vel Deistae, sententia autem eorundem Theismus vel Deismus appellatur. Hanc igitur quaestionem non proponimus, quasi aliqua suboriri possit dubitatio, utrum existat Deus: sed ut clarius pateat, quam deploranda sit Atheorum coecitas, et secura Theistarum conditio, atque ut supremi Numinis cultores in agnitione hujus veritatis hac confirmentur, ad eamque magis ac magis animum intendant, quae totius Religionis est fundamentum. Quandoquidem Theistas inter et Atheos gravissima de Deo movetur controversia, statim in ipso limine quaerendum est, quid ab utrisque Dei nomine intelligatur? Sic enim fixa et determinata habebitur Dei no-

tio, et quaestionis inter illos ventillatae status probe innotescet, neque ullus ambiguitati locus relinquetur. Dei igitur nomine intelligimus Ens supremum, a quo pendeat, et regatur orbis universus. In ista enim Dei notione consentiunt Divinitatis et hostes et defensores: illi, quippe toti sunt, ut persuadeant, omnia fato, vel casui esse tribuenda, isti vero, ut demonstrarent, a Numine summe provido summeque potenti cuncta administrari, cujus decretis res omnes prius constitutae perpetuo decurrunt ordine. Vera igitur Dei notio, ubi cum Atheis disputatur, talis esse debet, ut supremum Dei in orbem universum dominium clare exprimat: seu Deus definiri debet: Ens supremum a quo pendeat, et regatur orbis universus. His praemissis primum hoc Membrum in duos dispescemur Articulos, quorum primus argumenta, quibus Deum existere demonstratur, exhibebit, alter execrandas et funestas Atheis mi sequelas ad contuitum depinget.

Scholion 1. Distinguere solent atheos alios practicos, qui in perpetua Dei oblivione vivunt, alios theoreticos, qui Deum non esse credunt, aut docent. Theoreticos iterum alios personales, qui privatim sibi persuadent non dari Deum, alios systematicos, qui id ipsum palam profitentur, appellant. Theoretico-systematici iterum vel directi vocantur, si totidem verbis negant dari Deum, vel indirecti, si talia doceant, e quibus recte colligitur, eos male sentire de existentia Dei. Indirecti iterum in dogmaticos et scepticos abeunt: illi docent, mundi constitutionem et cursum vi caussalitatis mechanicae explicari posse; hi incertum esse statuunt, an sit Deus, quod nullo, cui ratio acquiescere valeret, argumento ejus existentiam comprobari posse opinentur. Athei practici tot sunt, quot omnino in quavis religione, aut secta impii et conscelerati homines, quorum Deus venter est, et qui perversa voluntate, intellectum abripiente, Deum ore confitentur, factis negant. Theoretico-personales athei in hominum vulgo permulti reperiuntur, qui temporalibus commodis toti intenti, cum vident praesertim improbis fausta omnia, pro-

bis contra et sibi ipsis, quos pro piis ac probis habent, infausta evenire, in eum errorem prolabuntur, quo, vel Deum non dari, vel res humanas, aut suas ipsorum non curare stulte existimant. Athei systematici directi palam hodie apparere non audent, sed nec revera dari possunt; quidquid enim ad errorem suum approbandum adferrent, se ipsum everteret; siquidem nimis clare e rebus creatis omnibus existentia Dei elucet, nec patet effugium, quo tam luculenta, eaque tum interna, tum externa ejusce rei testimonia eludi possint. Atheorum indirectorum quatuor classes vulgo constituunt: I. Aristotelicorum, qui mundum ab aeterno esse dicunt, et si quam primam caussam admittant, eam instar formae assistentis concipiunt. 2. Stoicorum, qui Deum volunt esse ipsam naturam, seu formam informantem totius mundi. 3. Epicureorum, qui mundum fortuito ex atomis aeternis factum esse, nullaque providentia gubernari impie asseverant: 4. Eleaticorum a Xenophonte Eleate proditam, qui unam solam substantiam, nempe materiam, statuunt, e cujus varia conformatione res omnes sint, vivant et moveantur, quam impiam et stultam doctrinam Spinozistae, et si qui praeterea materialistae dantur, dudum sepultam resuscitarunt. Ad hos accedere putant nonnulli Schellingium et Fighteum recentiori aetate. Interim caute admodum in impingenda scriptori alicui Atheismi dica versari philosophus bene moratus debet, nec subito in refutando aliquo autore ad atheismi objectionem, velut ad sacram ancoram confugere; res enim haec momenti est gravissimi, et objectandi atheismi cacoëthes, nuper inter viros eruditos enatum bene multos scriptores, optime alioquin de Deo sentientes, frustra in invidiam adduxit: ergo si quis atheismi accusandus videtur, distinguendum ante omnia inter atheismum auctoris, et inter atheismum doctrinae: atheismus doctrinae sine illo auctoris consistere potest; haud secus ac atheismus auctoris sine illo doctrinae. Et doctrina quidem, qua vel directe negatur existentia Dei, vel indirecte (sed per bonam consequentiam) inferri potest ejuscemodi negatio, uti v. g. inferri potest ex doctrina illa quadruplici, quam paulo ante attulimus, sine dubio atheismum sapit: illa vero doctrina, e qua nonnisi per misere contortam, et longe petitam consecutionem atheismus colligitur, nescio quo pacto atheistica, aut ejus auctor atheus dici possit, ut v. g. cum Petrus Pomponatius docuit: non posse ex doctrina peripatetica probari: Deum existere; atheus idcirco a nonnullis habitus est; cum item Christ. Wolffius ex eo, quod docuerit vix aliud argumentum, praeterquam illud, quod a contingentia mundi desumtum est, efficaciter probare existentiam Dei, atheismi insimulatus est; cum Cartesio, ob ambignas nonnullas sententias perperam intellectas, idem crimen objectum; vix equidem credo, id veritatis et virtutis studio factum fuisse. Sed hoc etiam merito suadent

viri eruditi, non multum curae ac operae adhibendum, ut rationibus convincantur illi, quos atheismi furore correptos certo noverimus; siquidem verissimum est, miseros ejuscemodi homines ex voluntate magis, quam intellectu laborare; proinde inducendos potius, quibus fieri poterit, modis, ut vitiorum inolitam consuetudinem deserant, et secundum rationem vivere paullatim consuescant, tum ultro existentiae divinae certitudinem ac evidentiam illorum mentibus illapsuram.

Schol. 2. Sunt, qui circa tanti momenti quaestionem, ac ea est, num revera Deus existat, ita sunt indifferentes et otiosi, ut nequidem expendere eandem velint. Quos deplorandi laborare amentia certum est. Quid enim a ratione magis alienum est, quam eam negligere quaestionem, ex qua pendet summa hominis felicitas, aut miseria? Si enim existit Deus, qui criminum vindex, et inquirentibus se remunerator sit, infinita nobis malorum seges impendet, si eundem contempserimus, neque excusationem habebit insana circa rem tanti momenti negligentia. Quod ut magis illustretur, audiamus impium ita se ipsum alloquentem apud Cl. Pascal: „Nescio, quis me in hunc mundum collocaverit, nec scio quid sit mundus, quid ego ipse. Terribili super his ignorantiae obnoxius sum. Non ignoro me brevi moriturum, at quid ipsa mors sit, quam evitare nequeo, prorsus ignoro. Cum nesciam, unde venerim, nescio quo vadam, unum scio, quod mundum deserens in aeternum, aut in nihilum recidam, aut in manus irritati Dei incidam, nesciens in cujus harum duarum conditionum praedam per omnem aeternitatem cessurus sim. Ecce quam deplorandus est meus tot miseriis, defectibus, et obscuritatibus refertus status! Ex his omnibus concludo, vitam meam sine cogitatione futurorum transigendam, meis propensionibus sine reflexione et inquietudine indulgendum esse, nihil eorum intermittendum, quae ad id, ut ruam in aeternam infelicitatem conferre quoquomodo possunt, praesupposita hujus mihi communicatae conditionis veritate. Possem fors lucem quamdam his dubiis adfundere, at piget me labori huic vacare: sine consideratione et timore grandem hunc passum tentare volo, in mollitie et luxuria obviam procedo morti, incertus de aeternitate conditionis et status mei futuri." (Pensées de Pascal, *pag.* 8. *etc.* 9. *edit. de* 1702. *Paris*). Quis sanae mentis negaverit impium, quem ita loquentem inducit Autor celeberrimus, in summam incidisse dementiam? atqui animo ita comparatus est, quisquis expendere minime curat, utrum existat Deus, qui supremum in homines habeat dominium, qui ipsis leges imposuerit, qui earum violatoribus poenas, observatoribus praemia destinaverit; ergo deploranda laborare amentia patet illos, qui circa Dei existentiam adeo indifferentes et otiosi sunt, ut nequidem expendere velint: utrum existat Deus.

Schol. 3. Ex deplorando impii Deum haud agnoscentis statu abunde elucet, quam necessarius sit homini

Deus; eum enim non agnoscens ratio tenebris tegitur densissimis, inquieta est, contra se ipsam pugnat, eo quod principio rerum absoluto careat, non habens caussam mundi ultimam, seu primam, quam tamen sibi reddere conatur. Sine Deo homini origo et finis facultatum ejus cognoscitivarum duo incomprehensibilia sunt. Sentiens, se tam multas habere indigentias spirituales, caussam harum indigentiarum et finem determinare nequit; non potest sibi ad quaestiones respondere, quas ratio ponit: „unde sum? quis est auctor animae meae et facultatum ejus? Unde cupido veritatem cognoscendi in me? Unde reverentia erga virtutem, quam sentio? Unde desiderium meum felicitate fruendi? Quare virtute et felicitate tantopere indigeo? Unde natura physica? unde universum? — Sine Deo hic obmutescit ratio, similis fit homo dormienti, qui evigilans, nescit, quomodo ad locum pervenerit, ubi noctem somno transegit; similis somnianti, qui suam propriam et rerum sentit existeatiam, quin sciat, quid caussa hujus existentiae sit; fit similis peregrinanti, qui finem metamque peregrinationis suae non noscit. Et tamen quaestiones has maximi esse momenti quis negare ausit? Si enim scio, mundum a Deo creatum fuisse, ut virtus et felicitas realem obtineant existentiam, tunc mihi finis meae existentiae ultimus, finis ultimus totius mundi clare elucet. Scio me ad virtutis exercitium vocatum, ad felicitatem virtuti meae adaequatam determinatum, me non omnem moriturum, et vitam hanc scholam esse praeparatoriam pro vita futura. Deo destituti, non habemus exemplar summae moralis perfectionis, et desperare deberemus dubio irresolubili agitati, an non fortasse veritas, virtus, et felicitas totidem chimaerae sint; in mundo enim nullum datur ens perfectissimum, non est hic virtus consummata, non perfecta legalitas, non perfecta moralitas, non veritas sine errore, non felicitas sine mixtura infelicitatis, non voluptas sine dolore. Ad quid ergo pugna rationis cum sensualitate? Ad quid amor et aestimatio virtutis in corde meo? sine Deo incurrit homo periculum portentum morale evadendi, evadendi creatura cum ratione insaniens. Deum vero agnoscens, agnoscit etiam et veneratur legem moralem rationi suae inscriptam, agnoscit se per moralitatem dignum felicitate fieri. Est ergo Deus homini summe necessarius; seu necessitatur ratio ad principium aliquod transcendentale assumendum, quod ratio absoluta sit omnis existentiae. Sed quaeritur, an ideae, quam sibi ratio, absoluto egens principio, de eodem format, realitas respondeat? An non idea ista tantum praejudicium sit? Apertum proin est, existentiam Dei necdum evictam esse, si evictum sit, Deum rationi summe necessarium esse. Nostra interest ostendere, ideae Dei etiam realitatem convenire, quod pluribus adnitemur praestare argumentis. (*Venzel. met. pag.* 275–277).

Articulus I.

De argumentis existentiam Dei probantibus.

§. 114.

Existentiam Dei probare necessarium est; tum ideo, quia digito monstrari nequit; tum propterea, quia reapse negata et in dubium advocata est; tum etiam ob hanc caussam, ut constet, inconcussis minimeque vanis fundamentis existentiae divinae fidem niti. Existentiam vero alicujus entis, quod sensibus percipi, adeoque digito aliis monstrari nequit, optime ex aliis rebus, quarum existentia plane indubia est; concludere licet; et quidem hoc tantum modo, ut certum nobis antea effectum sit, has res reapse esse, et sine illo mere intelligibili ente existere nequaquam posse; quod ex earum rerum natura, tamquam irrefragabili argumento, colligendum est; et haec ferme si non sola, certe securissima via est, qua ad immobilem de existentia Dei convictionem pervenire liceat, quam et nos, missis multis aliis aliunde petitis ficulneis et ineptis argumentis, ineundam esse duximus. Multiplici autem argumentorum, ex praelaudato fonte deductorum, genere existentia Dei demonstrari potest; nos ex iis plura, dedita opera, selegimus, non quasi omnibus eandem vim probandi inesse existimassemus, sed quia piaculo nobis ducebamus, eorum quaedam silentio praeterire, quae ad veritatem hanc tanti momenti, utpote quae indissolubili cum animi nostri tranquillitate et inde resultante felicitate conjuncta est, animis hominum amplius informandam quoquomodo conferre possunt, et simul persuasi sumus, ea a quibusvis, quocunque

sub nomine venientibus docentibus, pro circumstantiarum se se in vita offerentium, et docendorum individuorum diversitate, in usum salutarem converti posse.

Scholion. Non auditur CARTESIUS, dum e suo criterio veritatis: quidquid in idea clara et distincta cognoscitur, id verum est; conatur probare existentiam Dei. Nam quidquid sit de hoc principio, ad scientiae cujusvis certitudinem habendam apprime utili, idea tamen Dei, etiamsi innatam esse statueris, non est ita clara et distincta, ut ex illa evidenter existentia Dei colligi possit; et quidsi etiam esset, nondum ex eo sequeretur, dari reipsa Deum; siquidem rerum quoque fictitiarum, sive ita dictorum entium rationis, ideam claram et distinctam habere possumus, neque tamen ex eo sequitur, illa a parte rei, ut vocant, existere. Sic v. g. claras atque distinctas Centaurorum, Sirenum, aliorumque monstrorum ideas profani Poëtae habuerunt, aliisque venditarunt, an autem idcirco sequitur illa extitisse, aut existere? Ad haec Cartesius necessario supponere debet, et reipsa supponit, ideam Dei menti humanae ab ipso Creatore Deo esse insitam ac inditam, supponit ergo dari Deum in eo ipso argumento, quo nititur probare, dari Deum. Rectius ergo missis illis affectatae subtilitatis argutiis ad argumenta a posteriori, seu ab effectis Dei, sapientes alii convertuntur; quae tametsi minus forte artem Aristotelicam sapiant, magis certe rationem humanam convincunt.

§. 115.

Unanimis populorum consensus Deum existere probat. Omnes enim populi, tum veteres, tum recentiores in admittendo supremo Numine sunt unanimes; atqui universalis haec consensio invictum est veritatis argumentum; ergo. *Prob.* 1. *pars.* Veterum populorum in agnoscendo Deo consensionem fuisse universalem testantur Scriptores antiquissimi: „Deos esse, inquit SENECA colliges, quod omnibus de Diis opinio insita sit, nec ulla gens unquam adeo est extra leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos credat. (*Ep.* 117)...“ Peregrinantibus, ait PLUTARCHUS, multas con-

tingit occurrere urbes, sine muris, sine studiis litterarum, sine legibus ... nusquam autem stat urbs, aut oppidum, quibus nullus sit Deus..., Idem sic affirmat Tullius: „Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. (*Tusc. quaest. lib.* 1. *N.* 13) — Nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. (*Lib.* 1. *de legibus*). Praeterea si varia imperiorum, regionum, populorumque monumenta perlustraveris, passim occurrent de Religione leges constitutae, officia de sacrorum solemnibus praescripta, indicti ad Deorum cultum dies, ubique erecta templa, instituti Sacerdotes: atqui haec omnia demonstrant universis hominibus persuasum fuisse Deum aliquem existere, cujus arbitrio genus humanum regeretur, cuique preces et vota essent deferenda. Qua in re veteribus populis consentiunt maxime barbari recentius per Europaeos detecti; habent enim et hi aliquam supremi cujuspiam Entis notitiam, si paucos, planeque stupidos, ac in sylvis absque omni usu rationis pecudum more viventes demas. Huc pertinent: Tartari et Samojedae ad mare glaciale siti, Islandii, Grönlandi, Americani septemtrionales, Mississipenses, Canadienses, Mexicani, Peruviani, Brasilienses, ut sileamus alios interioris Asiae populos, Indos, Chinenses, Tunchinenses, Japones etc. de quibus alioquin nullum est dubium, ut probatissimae peregrinatorum et navigatorum relationes exhibent; ergo 1. unanimis est populorum circa Dei exi-

sientiam consensus, *Prob. 2. pars.* Unanimis ille populorum consensus Deum existere invicte demonstrat; quia nonnisi ex veritatis evidentia oriri potuit; impossibile est enim, ut omnes omnium temporum et locorum homines admittant sententiam de re gravissima, cupiditatibus adversam, saepissime ad examen revocatam, nisi certa et apertissima esset ipsius veritas; atqui 1. sententia, quae Deum existere affirmat, est de re omnium gravissima, ut satis patet, 2. cupiditatibus est maxime ingrata; si enim existit Deus, non potest non esse scelerum vindex, quo nihil est cupiditati formidabilius. 3. saepe fuit ad examen revocata; siquidem Religionis est fundamentum, adversus quam semper debacchati sunt impii et increduli; ergo sola veritatis evidentia potuit homines in admittendo supremo Numine efficere moraliter unanimes, generalis proin haec consensio Deum existere invicte demonstrat. Uno verbo: sententia cupiditatibus opposita, si falsa sit, ea difficulter a paucis teneri potest, difficillime a multis, nunquam vero ab omnibus: longe autem magis repugnat eam constantem, firmam atque stabilem apud omnes populos vigere. Denique vox naturae non potest esse errori obnoxia, atqui unanimis populorum in agnoscendo Deo consensus haberi debet ut naturae vox; omnes enim populi variaeque nationes in sola natura consentiunt, in ceteris vero discrepant: „Omni in re ait Tullius, consensio omnium gentium, lex, naturae putanda est (*Tus. quaest. lib* 1. *n.* 13). Ergo unanimis populorum consensus Deum existere demonstrat.

Scholion 1. *Objiciunt.* 1. Ex veterum scriptorum, recentiorumque viatorum relationibus constat, extitisse, atque etiam-

num existere, non solum homines quosdam, sed etiam nationes, quae nullam supremi Numinis notionem habuerunt; ergo unanimis non est ea de re hominum consensus. *Resp.* 1. *Neg. A.* Viatorum enim omnium relationibus non facile adhibenda est fides, et quidem varias ob causas. 1. Quia multi apud populos remotissimos non satis diu commorati sunt, ut veros eorum de divinitate sensus exploratos haberent. 2. Quia ipsorum idioma non callebant, nec proinde sermonem cum iis conferre potuerunt. Inde factum est, ut multi populi olim in ignorati Dei suspicionem venerint; postea vero, qui eorum linguam assecuti sunt, apud ipsos alicujus Numinis notitiam deprehenderint, sed variis foedatam superstitionibus. Nonne a Christophoro Columbo accusati sunt Canarienses? et tamen unum Deum virtutis remuneratorem, et scelerum vindicem agnoverunt, ut testatur illarum insularum historia. Nonne atheismi suspicione laborabant insularum Antillarum Caraibae? atqui tamen alium Deum tamquam boni principium colunt, et alium mali auctorem, cui praesertim sacra faciunt. (*Rochefort, Hist. mor. des Antilles ch.* 13. 14 . . . . *Du Tertre. Hist. nat. des. Ant. tom.* 2. *pag.* 365). Nonne Brasilienses infamati erant, quasi nullum colerent Numen? Atqui tamen Deum venerabantur, quem Tupa nuncuparunt (*Laet. de orig. gent. Americ. pag.* 193 . . . . *Margrav. de Brasil. Reg. cap.* 9). 3 Sola hac ratione saepe nituntur, quod apud illas gentes, nulla templa, nulla altaria, nulla publicorum sacrorum ministeria viderint: atqui fieri potest, ut populus nulla templa habeat, et tamen Dei notione penitus non careat. Nec mirum videri debet, quod nullum templum apud illos homines barbaros extiterit, qui vagi et vagabundi sine civitate, sine lege vivebant. *Resp.* 2. *Neg. Cons.* Etiamsi enim concederetur, quosdam esse barbaros nulla Dei cognitione imbutos, nihilominus dici posset, eam apud omnes gentes obtinere. Illi quippe homines, qui comparate ad universum genus humanum sunt paucissimi pro nullis reputari debent, non secus ac infantes et amentes. Apud ipsos enim nondum evoluta est ratio, neque enim aliae fere in iis vigent functiones, quam animales; sicut ergo male quis concluderet, non esse naturale homini ab injuriis se se temporum defendere ope tectorum et domicilionem, eo quod homines feri sylvarum incolae instar pecudum errantes de tectis parum curent: sic etiam perperam colligeretur, non esse homini naturale, supremum quoddam Numen agnoscere, eo quod homines paucissimi, iique feri et barbari, cognitionem hanc aut nondum acceperint, aut sibi a natura insitam reflexione ad se habita non deprehenderint. Eandem hanc difficultatem sibi objicit, sicque diluit Poëta Gallicus (*Poëme de la Religion. Chant.* 1).

Ces épaisses forêts qui coûvrent les contrées
Par un vaste Océan des notres separées,

Renferment, dira-t-on des tranquilles mortels,
Qui jamais à des dieux n'ont élevé d'autels.
Quand d'obscurs voyageurs racontent ces nouvelles,
Croirai-je des témoins tant de fois infidelles?
Supposons cependant tous leurs rapports certains,
Comment opposerois-je, au reste des humains,
Un stupide Sauvage, errant à l'aventure,
A peine de nos traits conservant la figure,
Un misérable peuple, égaré dans les bois,
Sans maître, sans état, sans villes et sans loix?
Qu'à bon droit, libertins, vous êtes méprisables!
Lorsque dans ces forêts vous cherchez vos semblables!

Urg. 1 Veteres Philosophi in eo consentiebant unanimes, materiam ab aeterno existere, ac proinde nullum esse ipsius creatorem; ergo veteres Philosophi saltem plerique nullum Deum admiserunt. ℟. N. C. Fateor equidem omnes, vel pene omnes Philosophos veteres materiam admisisse aeternam, in qua prima rerum omnium elementa continerentur; adeoque creationis dogma, quod rationis per revelationem suffultae beneficio clarius cognoscitur, ab eorum mente abfuisse! omnes tamen si Epicureos et Stratonicos excipias, confitebantur varias orbis universi partes a principio quodam intolligente dispositas, et secum invicem connexas ejusdem nutu in accepto semel ordine constanter perseverare, ut ostendit Clark (*tom.* 1. *cap.* 4.) ergo immerito prorsus omnes Philosophi veteres tamquam Athei infamantur. In gravissimos quidem errores circa supremi Numinis naturam impegerunt, verum in plerisque Philosophorum scholis vigebat summi cujusdam rerum omnium moderatoris fides. *Urg.* 2. Hodiernis etiam temporibus apud Sinenses totam Litteratorum sectam apertum profiteri atheismum testantur eruditi; ergo doctorum suffragiis etiamnum gloriatur atheismus ℟. D. A. testantur sine sufficienti probatione c. secus n. Litterati Sinenses atheismum non defendunt, verum plerique vitam saltem et cum imperio natam doctrinam religioso prosequuntur affectu. Hinc apud ipsos summo in honore est Confucius, quod libros, quos vocant canonicos, instauraverit, populorum venerationi commendaverit, exquisitis sententiis illustraverit. Priscam, inquiunt, et sentiendi et agendi regulam his in libris consignatam retinemus, recentiorum commentaria relinquimus: atqui praefati libri fidem unius Dei, omnium conditoris et moderatoris sine ulla ambiguitate proponunt, cur ergo Litteratos Sinenses tam fidenter nonnulli velut atheos traducunt? Consulatur Pater de Halde (*Description de la Chine tom.* 3. *p. g.* 1. *et suiv*). *Obj.* Multi sunt populi, qui plures Deos admittunt, atqui plures Deos admittere, perinde est, ac nullos agnoscere; nam pluralitas Deorum; ait Tertullianus, est Deorum nullitas, ergo etc. ℟. D. m. Plures Deos admittere, perinde est in se et in ordine ad salutem, ac nullum Deum agnoscere c. perinde est in or-

dine ad confessionem Dei existentis neg. Qui enim plures Deos admittunt, eo ipso fidem supremi alicujus Numinis profitentur, alioquin Politheistae impio Atheorum gregi essent adjungendi; atqui ipsimet Athei inter Politheismum et Atheismum plurimum discriminis admittunt. Polytheismum enim societati exitialem, nequaquam vero Atheismum praedicant. *Urg.* Qui admittunt principium, quo tollitur Divinitas, nullum agnoscunt Deum; sed Polytheistae admittunt principium, quo tollitur Divinitas, nempe Deorum multiplicitatem; ergo etc. Resp. N. M. Homines enim non semper sibi suis in principiis cohaerent, et saepe pugnantia admittunt; ergo licet quaedam gentes principium sibi statuant, quo evertitur Divinitas, inde non sequitur ab iis nullum agnosci Deum. R. 2. Dist. m. Qui admittunt principium, quo tollitur Divinitas, eamque consecutionem vident et concedunt, nullum agnoscunt Deum Con. si consecutionem hanc, nec videant, nec concedant neg. Porro, qui plures colendos esse Deos existimant populi, principium quidem admittunt, quo prorsus evertitur Divinitas; sed inde non licet concludere, eos divinitatis fidem non profiteri, quia principio, quod sibi fingunt, labefactari divinitatem, nec deprehendunt, nec arbitrantur. Sic verum est Aegyptios mugientibus diis homagium exhibuisse, at in ipso bove, quem honorare dignabantur, se Deum adorare credebant. „A des dieux mugissans l' Egypte rend hommage; mais dans ce Boeuf impur, quelle daigne honorer, c' est un Dieu cependant qu' elle croit adorer.“ (*Poëme de la Rel. ch.* I). *Obj.* Ille consensus non est unanimis, qui idem non habet, determinatumque objectum; atqui hujusmodi est hominum circa Dei existentiam consensus; alii enim plures, alii pauciores Deos agnoscunt, hoc alii, illud alii tamquam Numen adorant; ergo etc. R. D. M. Qui non habet idem determinatumque objectum quoad aliquam Dei notionem c. quoad totam Dei notionem, neg. Re quidem vera praefatus hominum consensus non versatur circa idem determinatumque objectum quoad totam Dei notionem v. g. quatenus est spiritus et unicus; sed idem fixumque habet objectum quoad aliquam specialem Dei notionem: omnes enim Dei nomine intelligunt ens aliquod supremum, a quo pendeant creaturae, quod sit criminis vindex, et virtutis remunerator. *Obj.* Multae sunt regiones adhuc incognitae, et quarum incolas, quid de Divinitate sentiant, nemo potuit interrogare; ergo gratis asseritur universalem esse populorum in agnoscendo Deo consensum, R. N. C. 1. Quia ex eo, quod omnes populi a nobis cogniti Deum aliquem admittant, per analogiam, et propter naturae similitudinem recte concluditur, eandem apud gentes nondum cognitas persuasionem obtinere 2. Quia cum existere Deum ex unanimi populorum consensione probandum suscipimus, non adhibemus nisi consensum populorum nobis cognitorum, qui nunc existunt, vel qui olim extitere. 3. Saltem tam possibile est, ut gentes nondum cognitae nobis ex eo capite faveant, quam ut ad-

versentur; ex iis ergo nulla contra nostram assertionem deduci potest difficultas. *Obj.* Unanimis aliquando fuit hominum circa falsas opiniones consensus. Sic olim creditum fuit, colores inesse corporibus, nullos esse antipodas, terram quiescere etc. ergo pariter errori obnoxius esse potest unanimis populorum in admittenda Divinitate consensus. Trans. A. n. C. Etiamsi enim concederemus, circa istas quaestiones universalem fuisse errorem, de quo dubitari merito potest, inde tamen inferre non liceret, errare posse unanimem populorum circa Dei existentiam consensionem. 1. Quia praefatae quaestiones sunt difficiles, et omnium captui parum accomodatae 2. Sunt mere speculativae, non vero practicae, nec habent quidquam cupiditatibus ingratum. 3. Exigui sunt momenti; etenim falsum sit, vel verum, colores inesse corporibus, existere antipodas, terram quiescere etc., parvi hominum refert hujusmodi opinionum falsitas, ipsorum felicitati et saluti nihil nocet, eas proinde scrupulosius excutiendi nulla est necessitas. 4. Opiniones illae ex praejudiciis suam ducere originem potuerunt; idcirco v. g creditum est, nullos esse antipodas, quia eos non posse existere, quin inversis pedibus ambularent, sibi plerique fingebant. Longe autem aliter se habet sententia, quae Deum existere affirmat; ad mores enim et vitae institutum spectat; ad felicitatem et salutem hominum summi est momenti; cupiditatibus fraenum injicit importunum; hanc falsam esse vellet corruptus quisque, ut suis libidinibus tranquille indulgere possit: atqui fieri nequit, ut in admittenda hujusmodi sententia concordes sint omnes populi, nisi ipsa rei evidentia, et quodam naturae impetu ad illud moveantur, ac proinde nisi certissima sit. Denique errores, de quibus in objectione agitur, lapsu temporum et adhibito diligentiori examine emendati sunt. Contra vero Dei existentis fides magis ac magis in dies invalescit; atqui opinionum commenta, ut ait Tullius, delet dies, et naturae judicia confirmat; unanimis ergo, quae Deum existere affirmat, sententia, ipsius naturae judicium est, nec potest esse errori obnoxia. *Obj.* In admittendis pluribus Diis unanimis olim fuit populorum consensus, quod sane fuit error turpissimus, ergo idem dici potest de generali populorum circa Dei existentiam consensione R. I. N. A. In admittenda enim Deorum multitudine nec constans, nec unanimis fuit populorum consensus. Non constans quidem et perpetuus: namque primitus unicus in terris Deus colebatur, ut patet ex Moysis historia, et jamdudum scilicet a Christi et Apostolorum temporibus a plerisque gentibus rejecta est idololatria: Nec etiam unanimis fuit; quo tempore enim grassabatur insanus Deorum cultus, unitatem Dei agnoscebant nobiliores Philosophi, quorum testimonia exhibet doctissimus Cupworth in opere, cui titulus: (*Systéme intellectuel de l' univers contre les Athées*). Tunc etiam pro Dei unitate stabat integra et numerosa Judaeorum natio. Praeterea, qui majorem apud gentiles doctrinae ingeniique famam sibi comparaverant, fictitios Ethni-

corum Deos palam, aut privatis in conventibus irridebant. HORATIUS v. g. Dei cujusdam hortorum custodis originem contumeliosis ironiae salibus aspergit:

Olim truncus eram, ficulnus, inutile lignum;
Cum faber incertus, scamnum faceretne, Priapum
Maluit esse Deum; Deus inde ego, furum aviumque.
Maxima formido.

(*Lib.* 1. *Satyr.* 8).

Contra vero idem Poëta supremam unius Dei rerum omnium moderatoris potestatem magnifice ita describit:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

(*Lib. III. Od. IV*).

Resp. 2. N. C. et parit. Ratio disparitatis est: quod Deorum multiplicitatem a praejudiciis et cupiditatibus natam esse, intelligere facile sit: ideo quippe plures Deos excogitarunt idololatrae, quia Deum unicum simul et providentem omnibus animo non capiebant. Varias igitur numinibus distinctis, quas curarent, provincias demandarunt. Coelum Jovi, inferos Plutoni, maria Neptuno. Aliunde in Deorum collegium plures improbos adscivit hominum cupiditas. Sic causa fuit libido, cur Veneri templa consecrarentur. Populorum autem in agnoscendo supremo Numine, virtutis remuneratore, et criminum vindice consensus, nullo modo potuit esse praejudiciorum foetus; praejudicia enim, et ea maxime, quae cupiditatibus adversantur, non sunt omnium locorum et temporum. *Obj.* Sententia Deum existere affirmans ortum forte habuit a Principum arte politica, qui illam invexere, velut frenum subditis in officio continendis potentissimum, ergo neque a rei evidentia, neque a natura repetenda est. R. N. A. 1. Quia historici eorum mentionem faciunt, qui primi variis artibus operam dederunt; neminem autem referunt, qui primus notionem supremi Numinis in orbem invexit. 2. Quia concipi non potest, quo pacto dogma cupiditatibus adeo ingratum tam facile omnes populos libertatis amantissimos invaserit, si Principum sola fraude inductum fuit. 3. Quia apud eas etiam gentes barbaras viget, quae sine ullo cultu civili agrestem vitam agunt. 4. Quia constat ex historia, apud nationes etiam barbaras longe prius viguisse persuasionem de Deo, quam Principes, aut leges, ac proinde legislatores extitissent. 5. Quia concipi non potest, qua ratione Politici cum Dei existentia repente in medium prodire potuissent, nisi prius jam apud nationes Deus auctoritate et reverentia valuisset. 6. Denique quia hominum commenta delet dies, et artis instituta, neque omnibus temporibus firma sunt, et stabilia neque apud omnes populos: atqui tamen semper stetit,

omniumque locorum et temporum fuit Dei notio, neque assignari potest ejus initium, ergo suam ab arte politica non traxit originem. *Obj.* Notio Dei suam ducit originem a priscorum hominum ignorantia, qui deficiente uberiori rerum naturalium cognitione, causis supernaturalibus plurimos adscribebant effectus, qui sola nunc legum naturalium ope explicantur, ergo nihil probat veterum consensus ℟ N. A. Nedum ignorantiae tribuenda sit supremi cujusdam Numinis notio, imo potius haec eo firmior evadit, quo magis in rerum nturalium cognitione proficimus. Illud enim vero Philosopho proprium est, ut rerum omnium consensionem et harmoniam, ut legum naturae generalium simplicitatem simul et foecunditatem demiretur, quo nihil est efficacius ad persuadendum existere supremum aliquod Numen. Unde propositam difficultatem sic refellit D. Bergier: „homo quantumcunque ignoraus, perbene sensit, materiam se ipsam non movere, illam motore opus habere, motum regularem, revolutiones periodicas, effectus constanter proportionatos suis causis, partes totum efformantes, entia omnibus organis necessariis ad sui conservationem instructa etc. non esse opus coecae necessitatis, naturae materialis, verum caussae intelligentis; hoc uniforme apud omnes homines judicium non est effectus ignorantiae, sed lectio sanae rationis" (*leçon du bons sens*). (*Traité hist. et dog. de la vraie Relig. t.* 1. *pag.* 216). *Obj.* Existentis Dei dogma in orbem terrarum timor invexit: homines scilicet horrendo tonitru fragore, fulgurum splendore, fulminis jactu etc. territi, Deum sibi finxerunt humanis cervicibus impendentem. Hinc Poeta: „Primos in orbe Deos fecit timor, ardua coelo fulmina dum caderent:" ergo consensus hominum, quem tantopere jactamus, nullius est momenti. ℟. N. A. Nam. 1. quis Deum timeat aut illi effectum aliquem tribuat, quem existere nescit? prius itaque oportebat homines de existentia Dei persuasos esse, deinde fulmina eidem instar immissae poenae attribuere. Praeterea si ex timore et ignorantia causarum naturalium opinio de Deo profluxisset, eam progressu scientiarum facto, causisque horum phaenomenorum detectis, deleri oportuisset; est ea tamen magis firmata et a summis Philosophis, qui ab insigni naturae cognitione inclaruerunt, acerrime propugnata. 2. Numquid vanis terroribus agitabantur tot sapientes fortissimique viri, qui mortem spreverunt? Numquid soli se impavidos putant athei, quibus trepidationem injicit vel levissimum mortis periculum. 3. Si ad Numinis cognitionem solus timor homines perduxisset, illud sibi finxissent quasi tyrannum formidabilem, minasque semper intentantem; sed contra, Deum sibi exhibent veluti patrem tenerrimum, summeque beneficum. Ipsimet Scythae, licet feri et barbari, noverant illud Divinitatis proprium esse, ut beneficia conferat, et amorem potius, quam terrorem injiciat. Sic enim Alexandrum alloquuntur: „Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eri-

pere: (*Quint. Curt. lib. 7. n. 33*). Praeterea si timor solus homines religiosos fecisset, aut superstitiosos, ea tantum Numina coluissent, quorum iram fuissent experti, ut ita exponit D. Bergier: „Populi per diluvium desolati, non adorassent nisi Deum aquarum: nationes per vulcanum in terrorem actae, restrinxissent suum cultum ad Vulcanum; terrae soli erecta fuissent in locis illis altaria, ubi ea vehementius commota fuit. Secundum Pausaniam, Graecia abundabat templis et altaribus in honorem terrae erectis; at nec unum citat sub nomine terrae trementis; regiones per contagia devastatae sacraficia nonnisi pesti et morti obtulissent. Non hoc modo Religio suum in aliquo loco sumpsit initium. Peruviani tempore suae feritatis, adorabant solem, ut beneficam Divinitatem; e contra Aethiopes ei maledicunt, eo quod illos suo calore urat, nullumque ei exhibent cultum; in cujus vicem summos Deo aquarum exhibent honores . . . Aegyptii animalia utilia multo magis quam noxia honorabant, et plantas salubres magis, ac venenatas (*Ibidem pag. 213. et suiv*). Varii igitur populi persuasum habuerunt, Deos esse in beneficia propensos, non autem felicitati hominum infensos; ergo falsum est, eos ad Dei alicujus cultum solo timore fuisse pertractos. Denique vel ipsi impii conscientiae aculeis et terroribus vexantur; quid vero periculi metuunt, si nullus existat scelerum ultor? metus ergo, alicujus Numinis supremi notionem supponit, non gignit. *Obj.* Consensus fictus et simulatus nullam probandi vim habet; atqui hujusmodi est in praesenti quaestione communis hominum consensus; si enim persuasum haberent existere Deum scelerum vindicem, et virtutum remuneratorem, virtutem profecto constanter sequerentur, et vitia refugerent: atqui tamen longe aliter se gerunt homines; ergo etc. R. N. m. prioris syllogismi, et majorem posterioris. Ordini quidem et rectae rationi congruit, ut qui Deum existere persuasum habent, virtutem colant, et vitium declinent; verum ea est cordis humani fragilitas, ut a recto tramite, propria reclamante conscientia, deflectat: sed quid inde, nisi illud Poetae: " video meliora proboque, deteriora sequor? Ideo supremum Numen existere ex animo credunt homines, et tamen sclera perpetrant, quia praesentis vitae commodis et voluptatibus afficiuntur vividius, quam futuris poenis, a quibus cogitationem, quantum possunt, avertunt; aut quia sperant fore, ut Divinitatem in posterum suis precibus, bonisque operibus placare queant.

§. 116.

Materiae creatio Deum existere docet. Si enim admittendus est materiae creator, non possunt diffiteri Athei, existere Deum;

atqui non potest non admitti materiae creator. Vel enim res ita se habet, vel materia sibi ipsi existentiam dedit, vel eam a fortuito casu accepit, vel necessario existit; atqui tria posteriora dici nequeunt. Non primum: si enim materia sibi ipsi existentiam contulisset, jam se ipsa prior simul et posterior foret, atqui repugnat ens aliquod se ipso prius et posterius esse, ergo 1. materia sibi ipsi existentiam non dedit. 2. Nec eam fortuito casu accepit; casus enim fortuitus merum nomen est, sensu vacuum. 3. Materia non existit necessario, sive ex naturae suae conditione; quod enim necessario, sive a se existit, suas etiam affectiones, suosque modos habet a se, rei quippe naturam participant: atqui materia non habet a se ipsa suas affectiones, sive modos: siquidem nec moveri potest, quin motum ab alio recipiat, nec varias induere formas, quin eas ab externis causis obtineat, ut frequens testatur experientia, ergo. materia non existit necessario, nec sibi existentiam dedit, nec eam a fortuito casu accepit; ergo existit materiae creator, ac proinde Deus.

Scholion 1. *Objiciunt.* „Ex nihilo nihil fit" ut fert axioma, ergo quod non existit, non magis fieri potest existens, quam impossibile fieri possibile. R. D. A. Ex nihilo nihil fit, id est, nihilum non potest esse caussa, sive materialis, sive efficiens C. id est, quod antea non existebat, fieri non potest existens neg. Fateor itaque ex nihilo nihil fieri, tamquam ex causa materiali: quis enim dixerit, ens aliquod ex nihilo, tamquam materia illud componente, constare? Haud etiam negaverim, ex nihilo nil fieri, quasi a caussa efficiente; prius quippe est existere, quam operari. Nego vero intelligendum esse praefatum axioma, quasi non posset fieri existens, quod antea non existebat. Testatur enim sensus intimus, menti nostrae licet finitae vim inesse efficiendi, ut actus quidam, amoris v. g. odii, qui prius non erant, deinde existant. Ut quid igitur Deus, cujus summa est potestas, non valeret substantiam, quae

antea non erat, producere? infinitum non est intervallum substantiam inter et modum; et quamvis substantia modum infinite superaret, si causa limitata vim habeat modum efficiendi, profecto potest causa infinita, qualis est Deus, substantiam ipsam procreare. *Obj.* Nulla cogitatione assequi possumus, quomodo substantia non existens possit deinde existere, ergo creatio habenda est impossibilis. R. N. C. Neque enim aliquid censeri debet impossibile, quia non concipitur. Quemadmodum enim coecus perperam concluderet non existere colores, quia illorum notionem non habet, ita male inferretur impossibilem esse creationem, eo quod illius modum assequi non valeamus. Qua in re non est audienda imaginatio deludens, verum ad solam Dei omnipotentiam attendendum. Non alia enim ratione creationem depingunt sacrae scripturae: „Dixit Deus: fiat lux, et facta est lux." Quem Geneseos locum admirati sunt Auctores etiam ethnici, nedum in eo quamdam contradictionem deprehenderent. De sublimi illa narratione sic habet Longinus: „Legislator hebraeus, qui non erat homo vulgaris, perbene potentiam et Majestatem divinam concepit, eam cum omni sua dignitate initio legum suarum expressit iis verbis: Dixit Deus: fiat lux, et facta est lux." Ergo, judice ipsa ratione, nihil absurditatis est in eo, quod creaturae, quae prius non existebant, deinde incipiant existere, quia ita voluit Deus omnipotens. *Obj.* Causa continere debet quidquid est in effectu, atqui Deus, utpote simplex et spiritus, non continet materiae proprietates, nempe extensionem, motum, figuram; non potuit igitur in se ipso, ubi non erat, materiam sumere, ac proinde saltem materiae creatio impossibilis est. R. D. M. Causa continere debet, vel eminenter, vel formaliter quidquid est in effectu C. M. debet continere formaliter N. M. dist. pariter m. Caussa continere potest effectum, vel formaliter, ut ajunt Scholae, id est juxta formam ipsi propriam, sic arbor in semine includitur; vel eminenter, sive ratione quadam nobiliori et praestantiori, sic architectus in mente descriptam habet domum aedificatam, quamvis in se ligna, caementa, lapides, juxta propriam eorum formam non contineat. Revera Deus neque extensus est, neque mobilis, neque figuratus, sed, ut summe intelligens, ab aeterno cognovit opus, quod in tempore facturus erat; ut omnipotens, efficacissima praeditus est voluntate, cui nihil resistere valet. Quod ajunt increduli, qui Deum non potuisse materiam in se ipso, ubi non erat, sumere, merum est sophisma, ut sic notat D. Bergier „Creare materiam, non significat illam sumere, ubi non erat, sed significat materiae tribuere esse, quod prius non habuit. Dum nos cogitationem producimus, aut motum, eum non sumimus, sed illum ponimus ubi non erat. Essentia potestatis activae est, facere existere, quod non existit." (*Traité hist. et dog. de la vraie religion t. 2. p. 262*).

Scholion 2. Ut Creatorem nostrum Deum penitius cognoscamus, etiam illa quaestio solvenda est: quomodo Deus mundum creaverit? ad quod intelligendum opus est, ut Deum etiam tamquam causam rerum omnium exemplarem, ipso adjuvante, conspiciamus, ad quae cernenda nonnisi gradatim progredi juvabit. Si quis fabricam molitur, v. g. templum aut palatium, an non habet formam delineatam, secundum quam aedificat, habet sane. Nec enim posset qualecunque aedificium construere, si forma, quae dimensiones longitudinis aeque ac altitudinis, parilitatis partium, proportionisque continet, destitutus foret.— Et hanc quidem formam numerorum ratione conceptam primum mente gerit, et dein ejusdem aliquod imitamen architectus vel in pulvere, vel in charta describit. Quod jam verum esse deprehenditur in operibus architecturae, valet etiam de omnibus, quae productivae dicuntur, artibus, quas cogitatione percensere licet, singulas hoc loco percurrere superfluum foret. — Formam igitur aliquam, seu exemplar in operando contuetur, ac sequitur, quisquis artifex opus construere ac perficere satagit. Sed haec forma, seu causa exemplaris non est ipse operans artifex, sed ab ipso utique diversa atque distincta: prout ipsi numeri, per quorum invariabiles rationes formam componit, a mente componentis distincti sunt. Praeterea multis aliis rebus indiget artifex humanus in opere suo fabricando, uti materiis, instrumentis, aliorumque saepe manibus, sine quibus nec quidquam efficere potest. Et quamvis operis sui vel parvum, vel magnum schema viderit, ipsum tamen opus, quod arte ac molimine ipsius proditurum est, nunquam conspexit. Nec enim de temporibus atque locis, quibus humana patrantur opera, te monendum puto. Quibus jam rite perpensis, aptiores sumus ad sensum quaestionis propositae, ejusdemque solutionem intelligendam. Quomodo igitur Deus mundum fecit? Respondeo dicendum: Deus semetipsum intuendo fecit omnia. Nam, cum Deo nihil coaeternum existat, sed cuncta, cum suis naturis ac essentiis creata a Deo, esse incipiant: ante decretum, quo Deus res omnes condidit, non erant — et per consequens nec cognosci poterant. Deus itaque res producens, non res ipsas utique nondum existentes intuebatur, sed semetipsum, suasque perfectiones cognoscens, atque intuens cuncta creavit. Quod, quamvis a sensu nostro remotissimum sit, attamen ipsa evidentia sua immotum atque inconcussum persistit: Deum creatorem rerum faciendarum factarumve ideas, seu cognitiones non ex ipsis rebus faciendis, factisve hausisse, ac sibi efformasse — secus jam fuissent res, antequam fierent, et Deus rerum universitatem cognoscens, scientior fuisset factus, quod tam absurdum, quam sacrilegum est. Nos quidem nec rerum ideas nobismet effingere, nec res quascunque cognoscere, quocunque modo nosse, aut cogitare possumus, quin res ipsae sint,

imo nobis praesentes sint; verum Deus rerum omnium auctor ac principium, qui solus dat, facit esse, atque hoc vel illud esse, et cognosci, scientiam suam non ex rebus haurit, sed ipse est rerum omnium causa exemplaris, Prototypon, quod Prototypon i. e. se ipsum intuendo cognoscit omnia, et facit omnia. Creata igitur cuncta non sunt, nisi Ectypa et imagines divinarum perfectionum, quae, in quantum sunt, et in quantum cogitantur, ad causam exemplarem, ad suum originale, ac prototypon referuntur. Nec enim noscitur esse imago sine eo, cujus est imago, nec simile potest cogitari absque eo, cui est simile. Jam qui originale cognoscit, pleniorem utique habet cognitionem, quam imago adumbrata, et quoddam imitamen utique deficiens exhibet; nec opus habet, ut rem ex ejusdem umbra discat, cui originale praesens est. Quod antiquis, et quidem omnium gravissimis Philosophis prorsus persuasum fuit. Sic Plato rerum omnium ideas in divina mente subsistentes, aeternas, incommutabiles, a mente divina non discretas asseruit, docuitque: mundum quippe ille (Plato) intelligibilem nuncupavit ipsam rationem sempiternam, atque incommutabilem, qua Deus mundum fecit. „Quam qui esse negat, sequitur ut dicat: irrationabiliter Deum fecisse, quod fecit; aut cum faceret, vel antequam faceret, nescivisse, quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si vero erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum." (*S. August. L. I. Retr. C. III*). Idem *S. Doctor de Civitate Dei L. XI. C. XXI.* sic disserit. „Quid est enim aliud intelligendum in eo, quod per omnia dicitur: Vidit Deus, quia bonum est: nisi operis approbatio secundum artem facti, quae sapientia Dei est? Deus autem usque adeo non, cum factum est, tunc didicit bonum, ut nihil eorum fieret, si ei fuisset incognitum. Dum ergo videt, quia bonum est, quod nisi vidisset, antequam fieret, non utique fieret; docet bonum esse, — non discit." Eadem docet Doctor Angelicus qui *I. Q.* 19. *A.* 1. sic disserit. „Idea graece, latine forma dicitur: unde per ideas intelliguntur formae aliarum rerum, praeter ipsas res existentes. Forma autem alicujus rei praeter ipsam existens ad duo esse potest: vel ut sit exemplar ejus, cujus dicitur forma, vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formae cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente, et quantum ad utrumque est necesse, ponere ideas. In quibusdam agentibus praeexistit forma rei fiendae secundum esse naturale, sicut in his, quae agunt per naturam; sicut homo generat hominem. — In quibusdam vero secundum esse intelligibile ut in his, quae agunt, per intellectum; sicut similitudo domus praeexistit in mente aedificatoris: et haec potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare formae, quam mente concepit. Quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agente, necesse est, quod in mente divina sit forma, ad cujus similitudinem mundus est factus. Et in hoc consistit ratio

ideae.“ Idem *Doctor I. Q. 44. A. 1. sequentia ponit:*“ Respondeo dicendum, quod Deus est prima causa exemplaris rerum omnium, et ideo oportet dicere, quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas supra diximus ideas, i. e. formas exemplares in mente divina existentes. Quae licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divina essentia, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode. — Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium.“ Quam pulchre pulchra et verae sapientiae plena Philosophia (apud *Boëth. de consolatione Philosophiae L. III. Metro IX*). modulatur:

„O! qui perpetua mundum ratione gubernas
„Terrarum coeliqne sator, qui tempus ab aevo
„Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri,
„Quem non externae pepulerunt fingere causae
„Materiae fluitantis opus; verum insita summi
„Forma boni, livore carens, tu cuncta superno
„Ducis ab exemplo: pulcrum pulcerrimus ipse
„Mundum mente gerens, similique imagine formans“ etc.

Hinc vegetam, si tibi adest, serenatamque mentis aciem erige ad id, ad quod contuendum nos monet S. Scriptor dicens: „In principio erat verbum, et verbum erat apud-- Deum, et Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. — — Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.“ etc. Si jam veritatis lucem contueri, et quae a nobis commemorata sunt, non tantum credere, verum etiam tibi intelligere datum est, non te impedient, nec multum sollicitum habebunt illorum opinationes, qui in Deo rerum futurarum, et non futurarum mereque possibilium ideas statuerunt: quas ut cum divina aeternitate quocunque modo componerent, nescio quot hypotheses, plurimas certe easque streperas Scholarum concertationes excitarunt. Id genus hominibus primo dices: in Deo utique dari rerum omnium, in quantum sunt, et cogitari possunt, ideas, — quas divina sapientia sibimet non ex rebus faciendis possibilibus, aut factis efformat, quod credere sacrilegum est; tali enim ratione Deus mundum noscens aut creans scientior esset factus: sed quas ideas divina mens ipsa continet: prout superius commonstrare conati sumus. Rerum vero futurarum aut nunquam futurarum imaginariae notiones prorsus evanescunt ad conspectum divinae atque incommutabilis aeternitatis, in qua nil incipit, nil praeterit, sed immobili, indivisibili, ac perpetuo Nunc stant omnia praesentia. — Nec enim tam excors, tantaeque dementiae eris, ut in Deo incommutabili ac aeterno tempus cogites; quandoquidem tempus involvit successionem, successio defectum; defectum vero in divinitate cogitare ratio vetat, et horret. Evigilemus igitur ex somniis, tan-

demque cessemus rerum praetereuntium imagines fugitivas in Deum transferre; cessemus divinam aeternitatem per temporum intervalla imaginari: et omnes id genus quaestiones, futilesque altercationes cessabunt. Quicunque gloriam Conditoris agnoscit, profecto intelligit, Deum in rerum productione, nec materia quadam usum, nec quidquam extra se positum intuitum esse, nec alterius cujusdam auxiliis, multo minus instrumentis indiguisse; nec per loca et tempora extendisse operationem; siquidem nec loca et spatia ulla absque simultaneorum relationibus, nec tempora sine rerum successione cogitari possunt. Rerum autem omnium, ubicunque sunt, et quocunque ordine sibi succedunt, auctor est Deus immortalis, rex saeculorum. Verum quaestio: quomodo Deus mundum creaverit? et alium potest habere sensum: utrum Deus mundum necessario, an libere, i. e. utrum per essentiam suam, vel libera voluntate produxerit? Sed ratio facile nos convincit, nec fieri, nec cogitari posse, quod per essentiam suam Deus mundum fabricaverit: quandoquidem nec artifex humanus quidquam per essentiam suam fabricat, nec opus quodcunque fabrefactum est pars ipsius artificis, vel etiam artis, per quam, et secundum quam factum est. Porro si mundus per essentiam existeret Dei, pars et quidem physica pars Dei esset, ad essentiam pertineret divinam, et esset simul creatus et increatus, relativus et irrelativus, dependens et independens, finitus et infinitus, sine initio aeternus, et esse incipiens. Quot, et quantae absurditates, ut adeo pantheistica impietas nonnisi insanientis, atque frenetici somnium esse consequatur. Ab omni enim ratione, qua sola brutis praestamus, descisce eum oportet, qui totum universum Deum esse, resque singulas caducas et praetereuntes Dei partes esse credat. Hi sane, aut semetipsos, utpote potiorem Dei partem adorare debebunt, aut libertati omnique moralitati renunciantes ineluctabili se se necessitati permittere. Paris insaniae atque sacrilegii foret, cogitare causam extra Deum existentem, quae Deum ad mundum producendum cogeret. Quousque enim insanire dicendus est, qui prima causa priorem, aeterna antiquiorem, infinita majorem aut fortiorem cogitare velit? Nec unquam rationibus suadere nituntur, qui pantheismum adstruunt, sed nimbo verborum inextricabili se, suamque sapientiam involvunt, de mundi aeternitate, de perpetuis et infinitis rerum evolutionibus, de fato, de spatio et vacuo infinito inter mysteria Eleusinia mussitant; sed terga vertamus talparum latibulis. Quare propositae quaestioni ipsa ratio magistra occurrit docens: Deus non per essentiam suam, nec ulla inductus necessitate, sed libera mundum produxit voluntate. Divina adoranda voluntas, quae est ipsissima bonitas, per sapientiam suam omnia fecit, et vidit esse bona, quae facta sunt. Eadem et sola Divinitas est Principium et caussa effectrix, et Prototypon rerum omnium. Quapropter si de creatura quaeritur: quis eam fecerit? respondendum: Deus. — Quo-

modo fecerit? per sapientiam suam; — Cur fecerit? quia voluit. Ultra divinam voluntatem progredi sana ratio nescit et vetat. Verissime, simulque brevissime haec complexus est S. Augustin. *de Civ. Dei L. XI. C. XXIII.* „Haec ergo tria, quae superius commendavi, cum in quacunque creatura requiruntur, quis eam fecerit? per quid fecerit? quare fecerit? ut respondeatur: Deus per verbum, quia bonus est.“

§. 117.

Ex primi motoris necessitate, Divinitatis necessario nexu profluit existentia. Si enim primarius aliquis materiae motor existit, existere Deum negari non poterit, atqui existit primarius aliquis materiae motor: vel enim res se ita habet, vel motus est materiae essentialis, cum ergo posterius dici nequeat, ut pluribus probari potest argumentis, primum dicendum est, existere videlicet primarium aliquem materiae motorem. Probatio prima: Motus non est materiae essentialis, si absque eo concipi et existere possit, atqui materia potest sine motu concipi et existere, tum quia facile concipitur corpus aliquod quiescens, et quaedam corpora revera quiescunt; tum quia teste experientia materia ex se est iners, otiosa et indifferens ad motum, et quietem, ita ut corpus quodlibet motum vel quiescens in alterutro statu constanter maneat, donec ab eo per causam aliquam externam deturbetur; ergo materia sine motu concipi et existere potest, consequenter motus non est materiae essentialis. Probatio secunda. Motus essentialis materiae vel, esset in omnem partem, vel in partem determinatam: atqui neutrum dici potest. Non 1. si enim in materia existerent vires motrices, quae ipsam in

omnem partem impellerent, vires illae se se mutuo destruerent, utpote oppositae et aequales; oppositae quidem ut manifestum est; aequales vero, quia ex eadem naturae necessitate derivarentur, motum igitur facerent impossibilem, ergo motus in omnem partem non est materiae essentialis; 2. nec motus in aliquam partem determinatam, cum variis successive motibus agitetur materia, et oculo teste, modo in hanc, modo in illam partem, nunc ab ortu ad occasum, nunc ab occasu ad ortum moveatur; ergo motus versus aliquam partem determinatam non est materiae essentialis; aliunde nec motus in omnem partem ergo etc. Probatio tertia: Si materiae essentialis foret motus, ad eum ex natura sua tenderet; atqui tamen res aliter se habet; illud enim ex se non tendit ad motum, quod vi motrici resistit, atqui materia etc. siquidem ut moveatur, eo majorem vim requirit, quo major est ipsius moles. Probatio quarta: Non eadem est in omnibus corporibus celeritas motus, idemque corpus modo velocius, modo tardius movetur, ut experientia compertum est; atqui si motus esset materiae essentialis, omnia corpora eadem celeritate moverentnr, et idem corpus non posset modo citius, modo lentius ferri; quod enim essentiale est, prorsus etiam immutabile est, nec suscipit majus, aut minus; ergo motus non est materiae essentialis, ergo existit primarius aliquis materiae motor, consequenter existit Deus.

Scholion. Objiciunt: Probamus quidem motum non esse singulis materiae partibus essentialem, minime vero toti materiae collectioni, ergo non valet argumentum. B. N. A. Qui enim probat motum in idea materiae generatim non ita contineri, ut eo sublato, tollatur materia, sane pro-

bat etiam motum non esse toti materiae collectioni essentialem: atqui ita se habet primum, quod protulimus, argumentum; etc. Praeterea cum tota materiae collectio non sit aliquid a partibus distinctum, si nulli materiae portioni necessarius sit motus, toti etiam illius complexioni non potest necessario competere, *Obj.* Licet corpora nobis videantur quiescere, moventur tamen partes ipsorum insensibiles, ergo ex eo, quod corpora quaedam videantur quiescere, inferri non potest, motum non esse materiae essentialem. B. N. A. Sunt revera quaedam corpora, quae nobis videntur quiescere, quorum tamen particulae insensibiles motu aliquo agitantur; hujusmodi sunt corpora liquida: sed idem affirmari nequit de singulis et omnibus corporibus; si enim intimae eorum partes intestino quodam motu impellerentur, jam intelligi non posset, cur ex iis quaedam sint dura. *Obj.* Corpora alia ab aliis sine fine successivis impulsibus moventur, ergo minime necesse est primarium aliquem motum admittere B. N. A. Namque in tota materiae collectione existere non potest motus, qui nullam habeat caussam: atqui si corpora, alia ab aliis sine fine moverentur, existeret in tota corporum collectione motus citra ullam causam. Si qua enim foret, haec esse non posset nisi ens sumptum vel intra, vel extra corporum complexionem: atqui neutrum dici potest ab adversariis; non primum: alioquin ens, sive corpus illud toti collectioni motum impertiendo, eum sibi ipsi dedisset, quod absurdum est; non 2. si enim ens extra corporum collectionem sumptum ipsi motum contulisset, tunc esset primarius materiae motor ab eoque distinctus, et causam contra adversarios obtineremus. *Obj.* Omnia corpora adolescunt, aut senescunt, quaedam semper incrementa vel decrementa subeunt, atqui haec sine motu concipi non possunt, ergo. B. D. M. omnia corpora adolescunt etc. juxta leges Dei voluntate constitutas C. M. ex naturae suae necessitate. N. M. Effectus ab adversariis allegati non fiunt, nisi juxta leges libero Dei arbitrio constitutas. Si ergo causam obtinere velint, probent, oportet, ita necessarium et immutabilem esse praesentem rerum ordinem, ut alius existere non potuerit; quod sane nunquam efficient; materia enim ex se et natura sua ad hunc vel illum statum est indifferens. *Obj.* Illud in idea materiae necessario continetur, sine quo nullus unquam Philosophus effectuum naturalium seriem explicare conatus est; atqui sine motu nullus unquam etc. v. g. Cartesius legem impulsionis admittit, qua motus ab uno corpore in aliud traducitur. Neuton mutuae attractionis legem agnoscit, qua singula corpora se se invicem attrahant, non sine energia et virtute quadam sibi propria; ergo etc B. N. M. Fateor equidem varios effectus naturales sine motu explicari non posse, eumque proinde existere certum est ac indubitatum. Sed nullus unquam veri nominis Philosophus materiae creatorem primumque motorem ab hujus mundi regimine ablegandum esse existimavit. Et quidem 1. Cartesius le-

gem impulsionis admittit, qua motus ab uno corpore in aliud transmittitur; rem vero ita intelligit, ut Deus primaria sit et generalis omnium motuum causa. quorum corpora non sunt nisi occasiones. Ea est constans CARTESII et MALEBRANCHII doctrina. 2. NEUTON mutuae corporum in se invicem attractionis legem defendit, sed tamquam libera Dei voluntate positam, non autem veluti proprietatem corporum naturae inhaerentem. Materiam enim ex se inertem esse ultro fatetur, ut ratio docet, et testatur experientia.

§. 118.

Mirabilis orbis universi dispositio Deum esse, dubitare non sinit. Vel enim existit Deus, qui summa ratione et consilio universum orbem effecit et regit; vel omnia haec, quae oculis subjiciuntur, temere et casu fortuito disposita sunt, et administrantur: atqui illud posterius sentire non modo impium est, sed etiam absurdissimum; nam ubi est ordo ita institutus, ut nullus sapientior, ita perseverans, ut nullus constantior inveniri queat, ibi necesse est summam praecesse intelligentiam, ex qua ille ordo prodierit: atqui talem ordinem non possumus in mundo non deprehendere. Quid enim orbe universo mirabilius? quid omnium ejus partium consensione ordinatius? Enimvero sive ad coelum oculos erigamus, sive in terram eos deflectamus, undique relucent splendidi sapientiae divinae characteres. Si oculos ad coelum attollamus, quanta pulchritudo, quam mira singulis in partibus varietas et concordia! Immensa illa corpora, quae supra nos volvuntur, ita sua in mobilitate constant, ut eorum mutationes infinitis ante temporibus certo praedici queant; Luna easdem semper conversiones subit; Sol statutis temporibus utriusque hemisphaerii plagas suo calore recreat, suo lumine collustrat; quatuor anni tempestates, dierum-

que ac noctium vices certo distribuens ordine alternam praebet quietis et laboris vicissitudinem. Quam igitur merito Psaltes Regius sic exclamat mirabundus! „Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat firmamentum!“ Nunc oculos e coelo in terram convertamus, quot et quanta se se offerent divinae Intelligentiae argumenta! 1. Varia animalium genera educat et nutrit, quae ad hominum utilitatem ab auctore naturae comparata sunt. 2. Ex ipsius solo nascuntur diversae plantarum species, quae non minus prosunt, quam delectant, et quarum mirum est artificium; multis scilicet constant tubulis et canalibus, quorum alii ad excipiendum aërem, alii ad succos nutritios e terrae visceribus extrahendos, et ab imis radicibus ad verticem deferendos sunt destinati.

Succus enim tenues subit abs radice meatus,
Pervaditque comas, et vertice lapsus ab alto
Circuit, ac late plantam defertur in omnem,
Sanguis ut humanos circumvagus irrigat artus.
(*Praed. rust. tl. lib.* 6.)

3. Supra terrae superficiem eminent stupendae montium moles, immensa illa aquarum veluti hospitia. Hinc perennem originem ducunt amnes et flumina, quae fertilitatem agris inferunt, et quorum famulantibus undis ad singulas ejusdem imperii provincias, ceterarum fructus divitiaeque faciliori et breviori via transvehuntur. 4. Terram vastus cingit Oceanus, cujus aquae plurimo sale miscentur, tum ne corrumpantur et putrescant, tum ut vehendis sustinendisque navibus sint pares. Sic, auxiliante Oceano, quidquid in remotissimis regionibus nascitur, ad nos usque facile advehitur, nostramque in utilita-

tem cedit. Littora quotidie deserit, et rursus ad eadem certa lege reducitur, neque limites a mundi incunabulis ab omnipotente Deo sibi constitutos unquam praetergreditur. 5. Globum terrestrem circumcingit aëris atmosphaera, qui ad vitae animalis conservationem est necessarius. Solis autem aestu tellus calefacta varios ejectat vapores, qui sursum se se attollentes, aërem quietum et tranquillum corrumperent, sicque corporis valetudinem labefactarent. Quapropter ad salubritatem aëris effecit auctor naturae sapientissimus, ut aër perpetuo motu plus minusve agitetur, unde fit, ut vapores undequaque disseminentur, et imminuta eorum densitate corpori humano minime noceant. 6. Ille est terrae situs respectu solis, ut nec proprior sit, nec remotior. Si enim in Mercurii regionibus esset constituta, mox incendio universali in cineres redigeretur. Contra si versus Jovem planetam transferretur, tunc a sole nimium dissita frigore torpesceret, et glacie perpetua tum fluviorum, tum maris aquae constringerentur. Numquid autem fortuito casu contigit, ut ex locis numero infinitis, in quibus terra collocari potuisset, eum sortita fuerit, qui suae constitutioni magis est accomodatus? Infinitus sim, si omnia referam divinae sapientiae argumenta, quae in orbe universo conspiciuntur; taceo itaque plantarum et animalium varietatem incredibilem, structuram admirabilem, effectus tam multos tamque varios; stupendam corporis humani compositionem nobis ipsis imperscrutabilem, aliaque consilii sapientissimi indicia ubique se se in hac rerum universitate oculis nostris exhibentia. Ex quibus omnibus sponte fluit istud ratiocinium: Existit Deus, si qua sit

caussa intelligens, quae varias orbis universi partes conformavit, et ordinavit: atqui admittenda est hujusmodi causa; ubi enim in opere aliquo deprehenditur finis, et omnes illius operis partes ad eum finem conspirant, ibi agnoscenda est causa intelligens. Si quis v. g. horologium inspiciendo, ejus finem, nempe horas indicandas, animadvertat, et varias illius partes ad eundem finem esse optime accomodatas cognoverit, non dubitabit profecto, quin ab opifice alis quo intelligente fuerit elaboratum: atqui in orbe universo fines aperte deprehendimus, cum quibus apprime cohaerent illius partes; admittenda est igitur orbis universi causa tum intelligens, quae scilicet finem et instrumenta ad eum assequendum idonea noverit: tum summe potens, quae tam grande tamque magnificum exemplar mente praeconceptum voluntate sua perfecerit, ergo existit Deus.

Scholion. Obj. Mundus est opus finitum, ergo causam infinitam seu Deum non probat. R. N. C. Quia licet mundus ratione sui sit opus finitum, tamen ratione modi, quo factus est, causam probat infinitam. Per creationem quippe e nihilo fuit eductus, ut constat ex dictis: atqui creatio causam, seu potentiam infinitam demonstrat, facultate enim creatrice vis major nulla concipi potest. *Obj.* Ordo nobis incognitus existere Deum non probat, atqui hujus mundi ordo nobis est incognitus; ergo etc. R. N. m. Ibi enim ordo cognoscitur, ubi deprehenduntur media ad finem assequendum accomodatissima; atqui in hoc orbe aspectabili passim oculos percellit aptissima haec instrumentorum, seu mediorum cum fine consensio; ergo etc. *Urg.* Hujus mundi ordo pendet ex omnium partium inter se relatione, atqui haec relatio nos latet; ergo et ordo hujus orbis universi. R. D. M. Ordo generalis et quoad singulas mundi partes pendet ex omnium partium inter se relatione C. ordo particularis, sive quoad aliquas partes n e g. Non percipimus quidem relationem, quam habent inter se omnes hujus universi partes, ac proinde ordo generalis nobis est incognitus; sed ordo particularis, sive quoad aliquas hujus mundi partes visibiles a nobis facile deprehenditur. In corpore humano v. g. cognoscuntur fines et viae iis maxime attemperatae l. quidem fines. Quis enim non intelligit oculos ad vi-

dendum esse destinatos, aures ad audiendum, nares ad percipiendos odores etc. 2. Innotescunt et viae iis finibus obtinendis prorsus idoneae. „Oculi, inquit Tullius, tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes, funguntur suo munere. . . Natura eos membranis tenuissimis vestivit et sepsit, quas primum pellucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur; sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, si quod noceret, et aspectum, quo vellent, facile converterent; aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt. Et quod cibi et potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescuntur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis iter natura patefecit.“ Hoc illustri exemplo plurimisque aliis patet nonnullas, imo multas esse orbis universi partes, quarum mutuas relationes habemus compertas. Quod sane sufficit, ut certo pronunciare possimus, existere ens aliquod sapientissimum, ac proinde Deum, a quo mundus conditus fuit et gubernetur. *Obj.* Orbis universus non paucos insipientiae characteres prae se fert, ergo ex ipsius intuitu colligi non potest summa creatoris alicujus sapientia. R. N. A. Fateor quidem multa in mundo esse, quorum cum reliquis ipsius partibus concentum non deprehendimus; non ideo tamen insipientiae accusandus est orbis conditor, imo potius ex mirabili ceterarum mundi partium consensione et harmonia colligi debet summa opificis sapientia. Quemadmodum enim horologii partium varietas, ordo, ad eundemque finem conspiratio, cuilibet vel rudiori artificis industriam probant, eumque imperitum esse perperam concluderetur, eo quod vir simplex et ignarus aliquarum rotularum utilitatem non assequeretur, ita pariter et multo magis ratiocinandum est, cum agitur de opere immenso, qualis est orbis universus, et de artifice infinito, qualis est Deus. Ordo, varietas, et constans earum partium harmonia, quae in mundo conspiciuntur, summam auctoris sapientiam demonstrant. Quidquid autem vitii et defectus in orbis dispositione suspicamur, mentis nostrae angustias et ignorantiam duntaxat probat. *Obj.* Ex argumento physico-theologico efficitur saltem existere debere aliquem hujus mundi formatorem, architectum, nequaquam autem ens sapientissimum et omnipotens, seu Deum. ergo etc. R. D. A. immediate C. mediate non plus sequitur N. Ex argumento quidem isto immediate non potentia infinita auctoris mundi, verum ejusdem Legislatoris et Rectoris summa sapientia potest argui; hinc tamen non sequitur, Deum hoc argumento formatorem solum, seu architectum mundi effici. Cum enim sicut forma absque materia, ita materia absque forma esse nequeat, et nec materia nec forma mundi sint aeterna, Deum non solum formae, sed et materiae mundi auctorem

esse, ex argumento quoque hoc physico mediate i. e. si hoc, ut oportet, cum proxime exhibendo cosmologico conjungatur, deduci potest.

Schol. 2. Non defuerunt praeclara, praesertim inter Protestantes, ingenia, quae vel ex solo aliquo organo corporis humani Dei existentiam clarissime demonstrarunt. Sic enim Christ. Donati ex manu: N. Hamberger ex corde: Jo. Sturmius ex oculo: N. Schmidt ex aure: N. Wucherer ex cerebro: N. Jenichen ex omnibus sensibus externis: N. Murray ex voce animalium: N. Ries ex stupenda animae cum corpore unione: Sam. Vaizman et Aug. Kronmeyer ex affectibus hominis demonstrandam susceperunt Dei existentiam.

Schol. 3. Clarissimus Ulrich argumentum physico-theologicum a se adornatum sequentibus exhibet: „Quo quis majores in universae naturae scrutinio fecit progressiones, eo minus obscura est admiranda illa in universi operis immensi descriptione u n i t a s, qua nihil non modo dissentiens et repugnans, sed nec quidquam non cohaerens, aut desertum et praeruptum quasi deprehendimus, quam nec illa, quae videntur, m a l a in mundo perturbant, quin, qua ratione sapientissimo consilio conspirent, ut abesse nunc nondum possint, ostendi queat. Quam quidem unitatem, qui semel explanate perceperit, quod non qualicunque leviori adumbratione, sed indefesso naturae studio consequimur, profecto plures mundi architectos non suspicabitur. Accedit, quod ea, quae in una aliqua mundi parte eminet sapientia, benignitas et virtus reliquis etiam sufficere abunde videatur. Imo ita omnia inter se cohaerent, alia ex aliis nexa, concatenataque, ut haud incommode a quibusdam dictum sit, qui vel pulvisculum, prouti videtur, moveri voluerit, illius potestati universam parere debere naturam. Atque hoc loco intercalare liceat, quae mihi displiceant in vulgari argumenti physico-theologici ratione, et quomodo illius nervi fortius intendi posse videantur. Nimirum non facio cum iis, qui id confectum putant, primas quasque formas, primum quodque paranimalium, primam cujusque generis arborem, plantam, fruticem etc. ipsa omnia corpora mundi totalia, illorum situm, distantias, orbitas, p r o x i m e effecta putent, et disposita a Numine quodam, qua quidem ratione, concedo, ignavae rationis vitium facillime existere. Dabo igitur potius, et largiar, ea omnia p r o x i m e naturae viribus et legibus extitisse, harumque beneficio nostrum orbem terraqueum secretum fuisse, cum universo systemate nostro planetario, viam quoque lacteam, seu majus istud systematum solarium systema. Tum vero sua terram nostram virtute et foecunditate edidisse primas quasque animantium, arborum, plantarum formas. Dabo, inquam, haec singula proxime ipsius materiae viribus et legibus extitisse, neque mirabor amplius (tametsi nemo adhuc satis explicare potuerit). Hoc autem non possum non mirari 1. quid sit, quod non tantum animantia

singula ac plantae extiterint, sed quod is sit, ut in nostro terrarum orbe subsistam, accuratissimus totius regni animalis et vegetabilis consensus et conspiratio, ut nihil desit, quod unius cujusvis animantium generis necessitates, tam infinite variae et disjunctae desiderent, neque vero etiam quidquam redundet. Haec, quomodo tam exacte sibi respondeant, non intelligo sine mente, quae omnis illius conjunctionis exemplar complexa, ipsius materiae, talis ac tanta, qualis et quanta ad ejusmodi conjunctionem conspiraret et sufficeret, parens sit. Deinde 2. ut omnino omnis materia infiniti generis, resque per se disjunctissimae, dum suam quaeque legem sequitur, suam tenet viam et rationem, nulla, quasi pacto inito, altera alterius ignara, tam accurate tamen consentiant et conspirent ad unum ejusmodi aliquod opus, infinite varium et multiplex, neque tamen ulla parte dissentiens, hoc inquam, digito monstrare videtur, si vel maxime omnia próxime ipsis materiae viribus et legibus necessario orta sunt, ipsam tamen omnem materiam, ejus vires et leges a communi quodam principio, et a mente pendere, cujus cogitatio omnia ista ab aeterno complexa sit, hujus unitatis et consensus vera caussa, ac necessaria. Fac exercitum in plures acervos divisum, diversissimis viis, sub suo quemque Duce castra movere, quorum quisque sua mandata sequitur, suam quasi legem, plane expers eorum, quae alter, quae reliqui quique in mandatis habeant; fac, post aliquot dierum spatium, dum coeca obedientia suam quisque viam persequitur, ita omnes partes conspirare ad instructissimam aciem, quae ancipiti praelio hostem adoriatur, et absolutam reportet victoriam, insanus esset, qui de superiori quadam mente dubitaret, quae suas cuilibet duci leges ac vias praescripserit. Sed quam exiguum hoc est ad illam infiniti operis universi harmoniam? Cum vero tandem ista materiae omnis generis, rerumque disjunctissimarum conspiratio necessaria intelligatur, etiamsi materia tantum ut possibilis sumatur, rectissime Cel. Kantius olim (im einzig möglichen Beweisgrund IIte Abth. per integrum inprimis p. 56—66.) collegisse mihi videtur, ipsam omnem materiam cum suis viribus et legibus, non tantum a voluntate divina quadam hoc habere, ut sit, sed a suprema quadam et communi intelligentia hoc ipsum habere, ut esse possit. Quod vero quidam in Physicotheologia desiderant, nimirum, si vel maxime supremum et communem omnis naturae parentem intelligentem doceat, minime tamen eum ipsum quoque moraliter bonum sistere, iniquum esse videtur. Si enim mens ista, per ipsam Physicotheologiam studiosissima est, imo fons et scaturigo absolutissimae harmoniae, profecto non video, quid desit ad moralitatem, seu moralem bonitatem, quae ab eo ipso stirpem ducit, ut omnem pugnam, omne incongruum, ac dissonum in nostra agendi ratione, in nostra indole, consiliis, iisque, quas sequimur, regulis (Maximen) aversemur.“ (Institutiones Logicae et Metaphysicae, quas scholae suae scrips

perpetua Kantianae disciplinae ratione habita, speciatim in initiis Philosophiae de natura divina, seu Theolog. ration. pag. 66 usque 71.)

Schol. 4. Operae pretium mihi videtur esse, eam quam praestantissimus Garve (*Vid* die Anmerkungen zu der Uebersetzung von Fergusons Grundsätzen der Moralphilosophie p. 357—374.) iniit, opinionis de mente quadam aeterna, eaque pura, caussa, et motus et ordinis materiae, confirmandae rationem paucis declarare, quo ipso intelligetur, Physicotheologico argumento quousque affinis sit? „Duo, dicit ille, potissimum phaenomena in mundo intelligimus: Motum materiae, omnis vitae ac sensus expertis, et cogitationem. Quorum quodnam prius sit, quod posterius, in eo quidem cardo rei vertitur. Cui placet tempus fuisse, quo nulla adhuc vita, nullo sensu, nulla cogitatione, motibus tantum suis mortua materia ac bruta agitaretur, ex quibus paullatim quidam materiae ordo, quaedam coagmentatio extiterit, cui vita, sensus et cogitatio debeatur, Atheorum numero protinus habendus est. Cui vero cogitatio antiquior, et superior motu fuisse, hujusque ipsius causa videtur, hunc Theistam diceres latissimo significatu. Sit Polytheus, aeternam esse judicet materiam et absolute necessariam; suos alios erret errores, at in Atheis referri nequit. Jamque sumitur, materiae motum, nec aeternum esse, nec eam sua virtute moveri coepisse, sed primordia motus habere debere a vi quadam sentiente et cogitante, seu spontanea, adeoque superiorem esse motu cogitationem. Negatur item idque suo jure, ex materiae inanimis motibus quibusdam et conjunctionibus gigni posse cogitationem et mentes. Has igitur esse proprium quoddam genus naturarum ab ipsa materia disjunctissimum. *Ego* igitur ipse ille, qui cogito, non sum materia, et hac ipsa ad sentiendum et cogitandum carere nullo modo possum. At hanc ipsam jamjam suo modo ac ordine artificiosissime dispositam esse oportet, ut aliquid mihi prosit ad sentiendum et cogitandum. *(Illustretur auditu et visu).* Haec autem materiae coordinatio tam apta, et articulatio in instrumentis sentiendi et cogitandi, haec totius naturae corporeae tam exacta conspiratio cum ipsis sentiendi instrumentis, haec harmonia, nisi ab ipsa quadam mente profecta intelligi nequit. (*En conjunctionem cum argumenti Physicotheologici praesidiis*) Sed neque meo consilio, neque ullius alicujus mentis ejus generis, quae ipsa ad sentiendum et cogitandum aliquo materiae ordine jamjam indigeat, existere potuit. Alius igitur adhuc generis mentes esse consequitur, quae non ipsae tantum simplices naturae, sed et ab omni alia concretione adeo liberae ut in cogitando nihil plane debeant materiae, mentes puras, motus et ordinis omnis materiae primas caussas.“ Ceterum unius tantum ejusmodi mentis ratione et sapientia omnia effecta esse et admini-

strata, eodem modo quo Cl. Utrich ex unitate mundi Cel. Garve evincit. (*l. c. p.* 365—870).

§. 119.

Existentia entis necessarii eam quoque Divinitatis comprehendit; id quod ex sequentibus patet. Constat 1. hunc mundum existere, 2. contingenter existere, ita ut possit vel non existere, vel alio modo existere; adeoque 3. debere adesse rationem sufficientem, cur existat potius, quam non, et cur hoc potius modo, quam alio existat: 4. hanc rationem sufficientem non esse in ipso mundo; sic enim mundus esset ens a se, atque adeo absolute necessarium: 5. debet ergo reperiri haec ratio in ente extra mundum posito, eoque iterum vel contingente, vel absolute necessario: 6. si in ente contingente reperitur ratio sufficiens existentiae mundi, hoc iterum habebit rationem sui sufficientem in alio, iterumque vel contingente, vel absolute necessario: ubi 7. eousque progrediendum erit, donec deveniatur ad ens absolute necessarium, in quo ultimo omnium contingenter existentium ratio sufficiens reperiatur, sed tale ens Divinitatis nomine insigniri solet, existentia consequenter entis necessarii, eam Divinitatis in se comprehendit. Nec juvat in serie caussarum processum in infinitum praetexere: is enim processus prorsus repugnat: nam si in serie caussarum datur processus in infinitum, tum in illa non datur principium; si non datur principium, nec dari potest seriei istius continuatio: si nec ista datur, non datur ejus seriei finis: series porro, cujus nec principium, neque continuatio, neque finis datur, non utique est series: infinita

ergo illa caussarum series esset series ex hypothesi, et non esset ex modo dictis, ergo repugnat.

Scholion 1. *Objiciunt.* Existere ens necessarium ex eo probatur, quod repugnet entia omnia esse contingentia et ab alio producta; atqui illud non repugnat, ergo nullius momenti est adlata probatio. R. N. m. Ens omne contingens est indifferens ad existendum, vel non existendum, ut fatentur omnes, atqui ens omne non potest dici indifferens ad existendum, vel non existendum. Alioquin entia omnia, quae nunc existunt, potuissent ita non existere, prout existere. Quaerimus autem ab Atheis, a quo determinata fuerint ad existendum? an ab existendi necessitate? sed nullum admittunt adversarii ens necessarium; an a casu fortuito? sed id nomen est sine re; an ab efficacia alicujus entis? sed nullum aliud ens supponitur, quam contingens; an a se ipsis? sed evidens est, nullum ens esse posse sui ipsius caussam efficientem; an demum a nihilo? at nihili nulla est virtus, nulla proprietas. Quid igitur superest, nisi ut dicatur, entia illa, quae tamen potuissent non existere, citra ullam caussam determinata esse ad existendum, atqui id absurdum est, ergo repugnat ens omne esse indifferens ad existendum, vel non existendum, ac proinde esse contingens. *Urgent.* Si repugnaret ens omne esse contingens, tunc maxime ideo, quia nulla dari posset ratio sufficiens, propter quam entia existerent; atqui etiamsi nullum sit ens necessarium, dari potest ratio sufficiens, cur entia existant; si nimirum supponatur progressio et series infinita entium, quae alia ab aliis, posteriora scilicet a prioribus sine fine producta fuerint, ergo etc. R. N. m. Admissa enim etiam hac serie, non assignaretur ratio sufficiens, quam postulamus. Quod ajunt Athei, entia fuisse alia ab aliis, posteriora scilicet a prioribus producta, illud inquam responsum difficultatem non solvit: semper enim desiderabitur causa prima, ex qua pendeat tota entium series. Quod magis elucescet ex comparatione, quam adhibet D. Clark. Longissimam fingamus catenam, cujus non videatur initium, in recto situ suspensam. Si quaeratur ab atheo, cur gravissima haec catena in terram praeceps non ruat, quaestionem non solvet, si dixerit, ultimum annulum non cadere, quia sustinetur a proximo, et proximum istum non decidere, quia a praecedente sustentatur, et sic de aliis; quaestionem inquam non solvet Atheus, nisi causam aliquam catenae externam, et ab omnibus annullis distinctam assignet, quae totam catenam retineat suspensam. Pariter, si quaesierim ab Atheo, cur entium omnium collectio existat, quaestioni lucem non afferet, si respondeat; eam existere, quia ens ultimum a proximo factum fuit, proximum istud a praecedente, et sic in infinitum: requiritur enim praeterea, ut causam toti collectioni externam, et ab ea distinctam assignet, quae totam

entium complexionem procreaverit; adversarios igitur nihil juvat fictitia haec progressio entium, sibi invicem sine fine succedentium, et quae alia ab aliis, nimirum posteriora a prioribus producta fuerint. *Urgent.* Finita quidem progressio effectuum sibi invicem succedentium causam primam postulat; de infinita vero progressione aliud ferendum est judicium; ibi enim nulla requiritur causa prima, ubi nullus est ultimus effectus, qui seriem claudat; atqui nullus est ultimus effectus, qui progressionem infinitam terminet; ergo causam primam non requirit. R. I. N. M. Progressio enim finita 100 v. g. effectibus constans non ideo causam primam postulat, quia effectum quemdam ultimum habet, nempe centesimum; sed quia effectus, ac proinde effectuum collectio, quantacunque supponatur, ejus naturae est, ut sine causa existere non possit: jam vero quod ipsi rerum naturae illigatum est, idem remanet, numero etiam in infinitum crescente. R. 2. prorsus absurdam esse, quam fingunt adversarii, progressionem infinitam: quis enim seriem concipiat tantam, ut magis adhuc et magis in infinitum augeri nequeat? omnis quippe numerus finitus est; si enim vel solam unitatem ipsi addideris, major fieri poterit. Quam ridicula sit atheorum hypothesis, ita etiam demonstrat Bergier: „inchoari actu potest catena successiva, infinita quoad potentiam, quae nunquam terminabitur, quae nunquam tota existet, at catena successiva actu infinita, et actu terminata est contradictio. Vel mille annis ante nos erat jam infinita, vel non erat. Si fuerat, mille annis additis ea longior non evasit: absurdum est, id, quod actu infinitum est, majus reddi posse. Si non fuerat, mille anni constituunt durationem limitatam; absurdum est, ut duae quantitates limitatae, una adnexa alteri producant quantitatem iufinitam. Posita omnium entium existentia, seu productione, de singulo eorum quaestio formari poterit, quae est illius causa? ascendendo ad infinitum tam parum data quaestio solvitur, ut potius occasio detur eandem in infinitum renovandi. Descendendo per catenam, omnia entia erunt causa eorum, quae sequuntur, at ascendendo per eandem, non erunt, nisi effectus eorum quae praecesserunt; si nulla detur causa prima, erit catena haec infinita effectuum sine causa." (*in opere*: *Traité hist. et dogmat. de la vraie Religion. tom. 2. pag.* 248). *Obj.* Ex partibus ad totum non valet consecutio, ergo ex eo, quod singulae orbis partes sint contingentes, perperam infertur totam collectionem coniingentem existere. R. D. A. A partibus ad totum non valet consecutio, si, quod de partibus affirmatur, ipsis necessario non conveniat. C. si ipsis necessario conveniat, n e g o. Porro, quod singulis partibus necessario competit, jure affirmatur de toto, cujus eadem est natura ac partium: quia v. g. quilibet homo seorsim sumtus ex natura sua est rationalis, recte concluditur totam hominum collectionem esse rationalem. Pariter ex eo, quod entia, ex quibus orbis coalescit, sint natura sua contingentia, idem

de tota eorundem complexione merito pronunciatur; ipsa enim collectio non est aliquid distinctum a partibus, ex quibus conflatur. *Obj.* Inter mundum et Deum nulla est proportio, ergo ex existentia mundi perperam ea Dei infertur. R. D. A. nulla est relationis et connexionis *neg.* nulla est entitatis C. Inter Deum et mundum nulla quidem est proportio naturae, seu, ut antiqui dicunt, entitatis; Deus enim est ens necessarium, et realissimum, mundus vero contingens et finitus; sed est proportio relationis et connexionis; mundus quippe ita se habet ad Deum, sicut effectus ad caussam. Jam vero ex existentia effectus rite concluditur ad existentiam caussae, ergo ex existentia quoque mundi jure infertur existentia Dei.

Schol. 2. Lockius (*de Int. hum. L.* 4. *c.* 10.) in hoc themate argumentatur a sua cujusque existentia, dicens: „1. Extra dubium est, homo clare percipit se existere. Si quis in dubium vocet, utrum existat, et ipsemet sit aliquid, nec ne, cum eo non magis sermocinari vellem, quam argumentari puro nihilo, aut non-enti demonstrare, ipsum aliquid esse. Qui scepticus adeo est, ut se existere inficietur, fruatur per me beatitudine ista ingenti, quod ipse nihil sit, usque dum fames, aut alius aliquis dolor contrarium docuerit. 2. Nulla manifestior est veritas, quam ab aeterno aliquid extitisse. In neminem incidi unquam ineptum adeo et absurdum, qui dixerit, tempus fuisse rerum omnium plane inane. Nihil enim magis repugnat, quam ut pure nihilum, sive negatio et absentia entium omnium, quippiam reale unquam produceret, idque non minus repugnat, quam ut pure nihilum duobus angulis rectis aequale esse possit. Si quis nescit, non-ens non posse aequale esse duobus angulis rectis, fieri non potest, ut Euclidis demonstrationem ullam capiat. Si compertum igitur est, esse ens aliquod reale, atque non-ens non posse ens reale producere, evidentissime demonstratur, ens aliquod ab aeterno extitisse. 3. Quod ab aeterno non extitit, illud initium habuit, quod vero initium habuit, illud ab aliquo alio productum fuisse necesse est; quod ab alio productum fuit, ab eoque suum esse et initium habuit, illud omnia, quae habet, ab alio isto mutuari, et omnes, quibus praeditum est, facultates ab eodem manare fonte necesse est. Hinc efficitur, ut ab aeterno hoc omnis entitatis et realitatis principio omnis potentia sapientiaque proficiscatur; ut adeo ex nostri ipsorum contemplatione, et eorum, quae in nobismet ipsis experimur, ratio manifestissimam hanc colligat veritatem:“ existit ens necessarium, aeternum, maxima sapientia, potentiaque praeditum.“

Schol. 3. Fallitur Kantius, quando ex contingentia rerum nullum aliud praedicatum Dei, nisi absolutam necessitatem existendi, putat colligi. Nam si rerum omnium contingentium, quas sensu interno et externo in mundo ob-

servamus, cujuslibet item earum perfectionis, bonitatis pulchritudinis, praestantiaeque, qualis e. g. inest in humana mente, ceu sapientiae, virtutis, rationem et causam ultimam in ente necessario et absoluto unice deprehendimus; non possumus non hoc ens absolute necessarium, tamquam causam eorum omnium, maxime perfectum, bonum, pulchrum, summo intellectu, optimaque voluntate praeditum, providum item, ac maxime potens simul agnoscere. Utrum autem omnes ejus perfectiones reipsa infinitae sint, alias dein requirit rationes, quae ab intellectu humano tam cito facileque attinguntur, ut, quemadmodum S. Augustinus (*lib.* I. *de doctrina Arist. c.* 7.) inquit: „nemo inveniri possit, qui hoc credat Deum esse, quo melius aliquid est." Quod et Gentiles quoque homines eruditi ac philosophi testati sunt; e quibus Cicero (in libro primo de natura Deorum) talem esse Deum certa animi notione praesentire nos asserit, primum ut sit animans (hoc est non inanimum, ac cognitionis expers) deinde ut in omni natura nihil sit eo praestantius. Sextus item Empiricus (*in octavo contra Mathematicos*). Deum esse dicit hoc, quod est perfectum, et optimum et homine praestantius, atque omnibus absolutum virtutibus, nulliusque mali capax. Nos enti absoluta necessitate existenti omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus tribuendas esse, §. 71. ubi de ente necessario disseruimus, probavimus, nec proinde hic repetendum in pertractatione argumenti cosmologici esse censuimus.

Schol. 4. Ignava ratione sunt ex mente Kantii, qui in statuum mundanorum inquirendis causis ad causam primam eamque liberam ac necessariam existentem transiliunt, in eaque conquiescunt, abrupta causarum naturalium pervestigatione. Ex ignava hac ratione fieri opinatur, ut principia regulativa, quae pro concipienda effectuum unitate excogitari ab humano intellectu solent, pro constitutivis habeantur, quasi existeret reipsa id, quod intellectus commodo quodam suo, et systematis causa comminiscitur (*vide Crit. rat. p. pag.* 717). Hanc ignavae rationis culpam vix sine indignatione accipient viri boni, ac solertissimi veritatis indagatores. Ergo ne Philosophi omnium aetatum, qui ex conditis rebus ad cognitionem, accuratamque demonstrationem primi conditoris rerum progressi sunt, itemque Theologi innumerabiles iisdem usi argumentis, ignava ratione fuerunt? Qui nempe sensibus inhaerent toti, actuosae et sagacis rationis sunt: qui ad celsiora ei superna se se erigunt, ignavae? At ego ignaviam majorem nullam concipere possum animo, quam si humana ratio tam validis excitata argumentis, a terrestribus hisce et mundanis rebus ad coelestem opificem renuat assurgere. Actuosa scilicet est ratio, dum ab effectibus mundanis ad causas mundanas, ab his ad alias, aliasque mundanas regreditur. At quamprimum his recurrentibus iisdem, minimeque sufficientibus ad causam primam absolutamque eluctа-

tur, tum repente ignava fit judicante Kantio. Quid igitur praecipit Kantius, ut agat humana ratio, ne ignaviae accusetur? id: ut iterum iterumque et absque fine ac requie sic cogitet: status ultimi praesentisque A causa est status prior: hujus causa itidem prior; atque ita perpetuo, nulla enim alia notio aut cogitatio quaestionem cosmologicam de causa seriei statuum ingreditur. Quod potest inanius esse otium occupatione hac Kantiana? Si loco ullo aut tempore acquiescit ratio, quasi absoluto opere, perfectaque naturae inquisitione, tum ignava est ex sententia Kantii. Equidem non ignoro, multa nobis in naturae cognitione, quemcunque fecerimus in ea progressum, discenda superesse, semperque fore; nec dubito, quin ultra eum modum, quem adhuc attigimus, progressura sit solers posteritas, nisi Kantianis prioritatum umbris et inanibus hypothesibus a recta philosophandi via, receptisque a Newtono legibus deduci se sinat. Sed alia est naturalis, seu physicae disciplinae ratio, alia notionum metaphysicarum, principiorumque constitutio. Haec valde generalia sunt, et objecta sua completis notionibus definiunt, ac divisionibus perfectis, seu adaequatis ita exhauriunt, ut tuto acquiescere possit ratio, tamquam absoluto negotio, quod prae manibus habet. Nec reticendum est, fateri ultro Kantium (*Crit. suae pag.* 617.) argumentationem, qua omnes utuntur Philosophi ac Theologi, Scriptores sacri et profani a rebus contingentibus ad ens necessarium deductam, tam esse simplicem, et naturalem, ut, si ea proferatur, captui hominum, qualis est illorum communiter, omnino accomodata sit. Et tamen negat postea, quasi eum puduisset, aut poenituisset veritatem adeo apertam et vulgari etiam hominum captui accomodam professum fuisse, aut quasi in extraordinariis saltem minusque apertis sibi complaceret, gloriamque nominis sui tuto collocatam esse existimaret, Dei existentiam eo argumento satis colligi posse, eam falso praetexens causam, quod comprehendi nequeat, quae sit, et cujusmodi sit absoluta existendi necessitas.

Schol. 5. Sunt, qui rationem sufficientem existentiae entium contingentium et totius mundi inveniri posse statuunt, si in coeco fato mundanarum rerum ac eventuum satore et motore quaeratur, ac proin non esse necesse, entis aeterni ac necessarii existentiam adstruere contendunt, ut haec sufficiens rerum contingentium ratio habeatur. At rationem sufficientem contingentium in fato, aut coeca necessitate quaerere, est eandem non secus ac in nihilo quaerere; cum fatum hujusmodi merum figmentum sit, a Democriticis et Epicureis primum invectum, quod postea a sanioribus philosophis, ceu absurdissimum, eliminatum est. Revera ecquis non videt, non a fortuitis atomorum concursationibus, sed omnia in natura summa sapientia esse elaborata, atque certis legibus, summoque consilio dirigi, ordine certo regi ac providentia gubernari?

Verum ad plenioram difficultatis solutionem quaeri potest ab adversariis, num hoc fatum, quod mundanarum rerum sator, et eventuum quorumque motor est juxta Democriticos, sit ens necessarium, vel contingens? Si contingens dicatur, a quo pendeat, statuere necessum erit, neque aliorum entium rationem in se sufficientem habebit, cum neque sui ipsius ullam in se habeat. Si necessarium esse dicatur, stulte et impie cum Deo sapientissimo rerum omnium satore et moderatore confunditur; nec tamen evincitur, contingentiam sine ente absolute necessario existere posse. Quodsi non Democriticum, sed aut Stoicum, aut Peripateticum, aut Spinozisticum, aut Mohamedanum fatum adversarii intelligant, nihil magis proficient. Etenim cum vel divinam praescientiam, quae ineluctabiles et necessarias rerum series constituat juxta Stoicos, vel aeternam et necessariam mundi creationem a Deo factam juxta Peripateticos, vel rerum series essentiali emanatione a Deo fluentes juxta Spinozam, vel absolutam et immutabilem rerum omnium praeordinationem in Deo liberam, et in rerum serie necessariam juxta Mohamedem cogantur admittere, jam entis absolute necessarii existentiam, dum oppugnant, agnoscere se fatebuntur, licet Deo plura tribuant, quae ipsius essentiae et naturae nequeunt convenire. Quaestio igitur omnis statim dirimitur, et si qua superest, attributa potius ipsius Dei, quam existentiam respicere poterit. Firma igitur et inconcussa manet propositio, quae Deum existere, statuit.

§. 120.

Ratio tam practica quam theoretica ducit ad agnoscendam existentiam Dei. *Prob.* 1. Ratio practica dictat homini, ut moraliter bonus sit. et sensualitas vult, ut felicitate fruatur, agnoscitque ratio hominem moraliter bonum felicitatis gradum moralitati suae convenientem promereri. At vero in hoc mundo nullibi talem nexum harum duarum legum naturae nostrae conspicimus, ut pro meritis felicitas dispensetur. Si itaque Deus non existeret, et vita futura nulla daretnr, in qua pro meritis felicitas homini accederet, tunc sensualitas aliquid vellet, quod tamen nunquam assequeretur, felicitatis nempe gradum moralitati conformem; et ratio dictaret homini aliquid

irrationale, moralem nempe bonitatem, ut per eam felicitate dignus evadat, quam tamen in hoc mundo pro meritis nunquam obtineret. Darentur ergo contradictiones in natura nostra, quas vel admittere, vel Deum assumere debemus, qui in vita futura felicitatem moralitati nostrae conformem dispenset, consequenter sensualitatem et rationem inter se consentire faciat. Primum admitti non potest; ergo ut alterum assumatur, necesse est. Suffulti argumento pro existentia Dei rationis practicae, etiam argumento 2do rationis theoreticae bono cum effectu uti licet. Reale nempe illud est, ad quod ratio per ipsam naturae suae necessitatem ducitur, et quod cum summo humanitatis bono intime conjunctum est. Atqui ratio theoretica per ipsam naturae necessitatem ducitur ad agnoscendum ens illimitatum et realissimum, quod Deus est; et nihil tam arcte cum summo humanitatis bono conjunctum reperitur, quam realitas entis illimitati, quod Creator, conservator et gubernator mundi est; ergo ens hoc tamquam reale, seu existens agnosci debet; consequenter etiam ratio theoretica nos ad agnoscendam existentiam Dei realem ducit, et ratio practica ideae huic realitatem hanc assecurat.

Scholion 1. Homo non theoretica tantum, sed practica etiam ratione gaudet; illa duce, quae sunt et fiunt, i. e. objecta naturae eorumque leges, causas et, quo invicem devinciuntur, nexum: hac vero facem praeferente, ea, quae esse et fieri oportet i. e. agendi rationem, partim sensuali, partim purae rationali naturae respondentem, adeoque finem suum et eo fundata officia cognoscit. Naturae sensualis, quae non minus, quam ratio essentialem partem hominis constituit, diversisque stimulis propensionibus et appetitionibus se se manifestat, objectum, seu scopus est voluptas et felicitas; naturae vero pure rationalis, moralitas seu virtus, quae feli-

citati juncta completum, seu summum hominis bonum efficit. Praeceptum rationis, ut virtuti maximum et absolutum pretium tribuamus, eamque omnibus aliis rebus praeponamus, in rationali nostra natura non minus, quam felicitatis consequendae stimulus in sensualitate fundatum est ita, ut ab illa nullo modo avelli queat. Ratio pure practica determinans, quid in se absolute bonum sit, vel quid a nobis non ad assequendum alium quemdam finem, sed sui ipsius caussa faciendum sit, non officia tantum nostra praescribit, sed declarat etiam, quae sors mensura sit legum suarum observatores, vel violatores. Practica itaque ratio postulat, ut sors nostra moralibus nostris meritis ex asse respondeat, i. e. ut virtutis cultor tanto majori fruatur felicitate, quo sublimiorem moralis perfectionis gradum attigerit, improbus vero infelicem, sed culparum gravitati commensuratam sortem experiatur. Ratio itaque practica docet, nos per solam moralitatem felicitate dignos reddi, i. e. per solam moralitatem non ad felicitatem tantum capiendam aptos fieri, sed jure meritoque etiam postulare posse, ut felicitas cum virtute nostra perfecte consentiat; seu ut aliis verbis utar: cum moralitate hominis virtuti addicti non optime tantum conciliatur, ut certa felicitatis mensura fruatur, sed id etiam necessarium est; non physice quidem; patet enim rationem theoreticam, tentatis etiam omnibus, quibus pollet, viribus nunquam naturalem, moralitatem inter et felicitatem nexum, seu consensum detecturam, sed moraliter necessarium i. e. absolutum est rationis postulatum, ut verus virtutis cultor beatus sit. Haec necessitatis species verbo d e b e r e expressa, nunquam tollitur, posito etiam, id, quod postulatur, nunquam fieri. Ratio judicat, felicitatem inter et moralitatem nexum, et certam quamdam relationem intercedere debere, non quasi vero naturalem, et necessarium virtutem inter ac felicitatem causalem nexum adesse animadverteret; fieri enim absque contradictione potest, imo saepissime quoque fit, ut vita viri honestissimi calamitatibus et doloribus abundet, improbus vero tota existentiae suae periodo omnigenis vitae deliciis perfruatur: sed quia postulatum rationis, ut felicitas cujusvis entis moralis virtuti ejus ex asse respondeat, altissime in essentia moralis naturae defixum, cum lege morali intime copulatur, et se se non minus, quam haec ipsa lex per immediatam conscientiam annuuciat, licet ab illa diversa sit. Propositio enim practica: „entia rationalia, et moralia ea, quae justa honestaque sunt, velle et facere oportet“ toto coelo diversa est a propositione: „Quicunque vitam legibus moralibus conformem vivit, felicitatis dignitati suae morali ex aequo respondentis particeps fiat.“ Prior nimirum propositio praeceptum, seu legem exprimit ad nos directam; postulatum autem rationis, ut felicitas cujusvis moralitati ejus commensurata sit, ad nos dirigi, seu praeceptum homines obligans enunciare nequit, sed in gratiam entium moralium fit. Praecipi enim non potest, quidquid physice fieri nequit: sed nullo modo fieri

potest, ut propriis viribus moralitatem et felicitatem cum nostram, tum aliorum tam arcto copulemus vinculo, ut perfecta inter utramque harmonia intercedat; tum quia, ceu entia finita et dependentia, ea haud praediti sumus judicii praestantia et acie, ut moralem uniuscujusque hominis dignitatem cognoscere et dijudicare valeamus; tum quia ob impotentiam virium nostrarum digna moralibus meritis praemia i. e. felicitatem virtuti cujusque commensuratam conferre non possumus. Sed cum nihilominus ratio practica sententiam pronunciet, perfectam illam inter moralem dignitatem et felicitatem harmoniam absolute necessariam esse, eo ipso homini jus tribuit, expectandi, ut huic postulato satis fiat, sed quis non videt, inane et ridiculum fore jus in rem aliquam, nisi constiterit, a quonam illam expectare et postulare oporteat? Quid enim sibi vellet conscientia, a qua edocemur, moralem mundi ordinem, i. e. eam entium mundanorum dispositionem, cujus necessarius finis, et effectus sit, perfecta moralis dignitatis et felicitatis entium rationalium harmonia, a ratione absolute postulari, nisi existeret ens, quod huic ordini efficiendo par sit? Absolutum igitur illud rationis postulatum nos ad entis existentiam statuendam urget, ad quod dictum postulatum dirigatur, et quod vi potentiae suae eidem satisfacere valeat. Quare vel existentia entis infiniti, ad quod ratio saepius memoratum postulatum dirigat, admittenda; vel concedendum, postulatum illud ridiculum et nullum esse, sed concusso hoc, idem quoque de morali legislatione statuendum foret: illud enim cum hac tam arcto copulatum est vinculo, ut illo stante vel ruente, haec quoque stet vel ruat. Sed essentialis rationis practicae constitutio prohibet, quo minus lex moralitatis vel nulla, vel figmentum phantasiae omni destitutum fundamento declaretur. Quare eadem rationis practicae essentia ad firmam de Dei existentia fidem amplectendam, et ad omnes perfectiones eidem tribuendas nos urget, sine quibus ille Conditor, Conservator, et Gubernator moralis mundi ordinis esse non posset.

Schol. 2. Argumentum morale a Kantio inventum, et ab illo in Critica p. 808, et fundatione Met. mor. p. 2, 7, 84, 104 fusius prolatum Cl. Jacob (Ueber den moralischen Beweis für das Daseyn Gottes) in paucas propositiones contractum ita habet: In mundo universalis ordo moralis existat est necesse, vi cujus omnes, qui in mundo deprehenduntur fines, moralitati, qua fini absoluto, subordinati sint oportet. Sed moralis iste mundi ordo nonnisi sumta Dei existentia intelligi potest. Neque enim mechanismo mundi, neque rationi practicae adscribi potest; non illi, quia mechanicae, seu physicae mundi leges toto coelo diversae sunt a lege moralitatis, adeoque ad efficiendam praefatam subordinationis relationem suapte non conspirant; non huic: ratio enim practica soliu legis moralis fons est; cursum autem naturae ita dirigere nequit, ut praefata subordinationis relatio obtineatur.

Ergo admittenda est causa quaedam a causis physicis diversa, quae cursum naturae absoluto subjectorum rationalium et finitorum fini subjicere valeat. Sed causa ejusmodi, quae fini moralitatis convenienter agit, est moralis et intelligens, et quia universam naturam fini moralitatis subjicere non posset, nisi ab ea omnia entia mundana, adeoque universa natura, tam quoad materiam, quam quoad formam dependerent; sequitur rationem practicam, moralem in mundo ordinem construendo, existentiam quoque mundi causae supernaturalis, intelligentis, moralis, et creatricis i. e. Deum constituere debere, ergo existit causa mundi intelligens etc. i. e. Deus.

Schol. 3. Non est dissimulandum, scriptores non paucos, philosophos ac theologos, eadem prope, qua KANTIUM forma argumentari: „evidens est, inquiunt, quod vera virtus praemium, ac scelus supplicium mereatur; igitur evidens quoque est, quod existat supremus quidam legislator, ac judex, qui utrisque suum pro meritis tribuat. Ponitur igitur primo virtus, ac scelus, proinde etiam regulae practicae, seu praecedentia dictamina, et judicia de honesto et expetendo, et e contrario de pravo et vitando. Dein sumitur dignitas praemii et supplicii, quae virtuti et sceleri debeatur; denique tacite sumitur, per ipsam naturam et naturales causas bonos et malos non discerni, nec illis praemia, nec istis supplicia, uti oportet, constitui, ex quibus omnibus existentia supremi legislatoris ac judicis infertur. Dico: concedi hanc argumentationis formam omnibus posse, at ea etiam Kantium uti, vehementer mirandum est, ex eo: 1. quia sensum communem et consensionem generis humani, qua in sumendo honesto ac turpi nituntur ii scriptores, Kantius locis aliis explodit; hoc solo loco, cum omnibus destituatur firmamentis generis alterius, ad eam provocat. 2. quia iidem scriptores solas honestatis regulas tamquam passim receptas et approbatas ab omnibus commemorant: Kantius veram obligandi vim, et simplicem absolutamque earum necessitatem ponit nullo penitus argumento, nisi doctorum rudiumque consensu; cum iidem docti et rudes necessitatem regularum ac vim a Deo derivent maxime. 3. Quia alii scriptores judiciis rationis legitima forma conclusis veritatem realem et objectivam tribuunt: at Kantius cum ex rebus contingentibus de necessitate causae primae disserentes audit, totum exsibilat dicendo: est ea necessitas judicii, non necessitas rei. Neque dicat: hoc pertinere tantum ad rationem theoreticam; nunc agi de ratione practica. Distinctio haec inanis est, nulla veri specie nixa, meraque petitio principii. Dein quod caput est, enunciatio haec: Leges morales simpliciter et absoluta necessitate obligant; nonne theoretica est? Aut quid faciendum fugiendumve, enunciat, quod propositionum proprium est? Id quoque circa articulum Kantianae argumentationis animadvertunt nonnulli I. cur is de sola felicitate loquatur,

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

nihil de miseria, quae improbos manet, ut illa probos? 2. ideas rationis purae omni veritate reali exspoliareat, cur nunc veras et reales esse statuit? Enunciatio haec: „ut quis dignus est felicitate, ita illa potietur" theoretica est; nec, quae futura sunt, experientia comprobari possunt; experientia tamen, docente Kantio, una est veritatis theoreticae nota. Id quoque 3. observant, quod si existentia Dei jam ante demonstrata sit, uti sane luculentissime demonstrari potest, tum certe et ex naturali appetitu felicitatis, et ex necessitate illa, ut cuique pro meritis tribuatur status futurae vitae, respondens vitae praesenti, tuto infertur. At nullo, dicunt, praemonstrato Deo, legislatore et judice, quid de felicitate, quae virtuti respondeat, secundum Kantii principia disseri potest?

Schol. 4. Auctor libri: „Aenesidemus": (oder über die Fundamente der von dem H. Prof. Reinhold in Jena gelieferten Elementar Philosophie 1792.) argumentum rationis practicae a Kantio inventum a petitione principii haud immune esse declarat, eo quod praeceptum ejus omni vi obligandi careat, si praevie non supponatur existere Deum, quem Cl. Metz in sua Crit. rat. pract. Wirceburgi edita 1800 sequentibus refutat. Nam, dicit ille, quamvis rationis lex, quae completi boni effectionem praecipit, possibilitatis suae rationem in alio quopiam habeat, adeoque id ipsum, qua ratio possibilitatis ejus cogitatum, objective ceu legem rationis in existendo praecedens cogitari debeat, inde tamen non sequitur, id ipsum, quod objective, ceu rationatum, altero posterius est, etiam ad conscientiam subjecti cognoscentis relatum, semper posterius esse, i. e. illud qua verum cognosci non posse, antequam realis existentia alterius, quod ex hypothesi rationem possibilitatis illius continet, cognita et perspecta fuerit. Potius id, quod objective, ceu rationatum posterius est, potest subjective prius esse, si nimirum est fons cognoscendi (Erkenntnißgrund) ejus ipsius, quod rationem possibilitatis ejus continet. Exemplo clarior fiet tota argumentatio. Verum e. g. est, libertatem objective sumtam rationem esse possibilitatis moralitatis; demta enim libertate, moralitas quoque evanescat est necesse; quare libertas ceu ratio, moralitatem ceu rationatum in animo praecedat, oportet. Ast qui ex hoc, vestigiis Aenesidemi insistens, concluderet, libertatis ipsius in nobis existentiam cuivis cognitam esse debere, antequam rationis legi, quae moralitatis studium praecipit, vis obligandi tribui possit, turpiter profecto hallucinaretur. Potius moralis, quae homini inest, conscientia, licet conditio possibilitatis ejus in libertate cernatur, citius se se in homine manifestat, quam cognitio libertatis, utpote quae theoretice evinci nequit. Quemadmodum itaque ex eo, quod ante legis moralis conscientiam nulla libertatis cognitio detur, concludi nequit, ipsam legem moralem nullam esse, licet libertas conditio sit possibilitatis legis moralis: ita pariter ex eo,

quod nos ante stabilitam rationis practicae legem, quae summi et completi hominis boni effectionem praecipit, de existentia Dei tamquam conditione possibilitatis dictae effectionis necdum rationis speculativae argumentis certi simus, inferri nequit, commemoratam rationis practicae legem nullam esse. Falsissimum quoque est, quod Aenesedimus asserit, naturam mechanica sua efficacia mundum aliquem a sensibili diversum producere potuisse, in quo perfecta felicitatem inter et moralitatem harmonia intercedat, quin necesse sit Deum ab hoc mundo distinctum assumere. Nam conceptus naturae mechanice quidem operantis, sed justam tamen moralitatem inter et felicitatem harmoniam efficientis, apertam involvit contradictionem. Natura enim, quae mechanice operatur, legibus physicae necessitatis adstricta est, et concipi nullo modo potest ceu aliquid, quod per repraesentationem legis libertatis, a cujus sincera custodia moralitas subjectorum pendet, in agendo determinatur, uti tamen concipi deberet, si ceu praefatae moralitatem (quae ab animo agentis pendet) inter et felicitatem harmoniae auctor statui posset. Neque id subsistit, quod a nonnullis dicitur, argumento hoc Deum legis tantum moralis executorem, et sensualitatis solius famulum effici. Nam 1. cum ratio humana legem moralem ipsa non ferat, sed in se jam a ratione summa, cujus participatio est, depositam voluntati solum promulget, et pro norma actionum suarum liberarum assumat, Deum sicut universorum, ita legis quoque moralis supremum auctorem cogitamus primo, ac deinde, quia harmonia virtutem inter et felicitatem perfecta tantum a Deo effici potest, ea dem etiam legis moralis executorem esse inferimus. 2. Non intelligimus nos felicitatem sensualem Epicuream, neque ideo adstruimus existere Deum, ut sit, qui propensionibus nostris, instinctibusque mere sensualibus plene satisfaciat; sed intelligimus felicitatem, vel, si mavis, beatitatem naturae hominis sensitivo-rationali accomodatam, et dignitati ejus morali proportionatam; cujus impedimenta multiplicia superari, et elementa necessaria complete produci cum nonnisi vi illimitata Dei possint, non sensualitatis solius famulus indigne, sed ordinis mundi moralis supremus auctor, conservator, et rector convenientissime per nos asseritur Deus.

Schol. 5. Qui ex mentis creatione, illiusque cum corpore conjunctione existentiam Dei demonstrant, hac ratione argumentantur. 1. Existit Deus, si aliquis sit mentis nostrae Creator: atqui reipsa agnoscendus est aliquis mentis nostrae Creator: vel enim res se ita habet, vel mens existit a se, et necessario, vel a materia prodiit. Id fatentur athei, qui nullam aliam assignant mentis nostrae causam et originem, atqui duo posteriora dici nequeunt. 1. Quidem mens non existit a se, sive necessario; quod enim ita existit, summe perfectum est, siquidem a nulla causa possit in suis perfe-

ctionibus limitari, ut in ontologia ostendimus, atqui mens nostra nedum sit summe perfecta, plurimis vitiis et defectibus obnoxia est. Quanta ignorantia laborat intellectus! quam multis cupiditatibus vexatur voluntas! quam ingratas v. g. famis, sitis, frigoris, caloris etc. sensationes experitur invita et reluctans! innumeris subjacet mutationibus; quod modo noverat, modo obliviscitur; quod modo diligebat, mox odit; nunc gaudet, nunc dolet, nunc friget, nunc ardet. Uno verbo: irrequieta cogitationum et affectuum vicissitudine exagitatur: ergo I mens non existit a se ipsa, sive necessario. 2. Neque a materia prodiit: causa enim continere debet, quidquid est in effectu: atqui materia nec cogitationem includit, nec facultate cogitandi dotari potest, ut alibi demonstravimus; ergo mens nostra suum a materia ortum non habuit: aliunde non existita se, sive necessario, ergo est aliquis mentis nostrae creator, ac proinde Deus. *Prob.* 2. Mens nostra conjuncta est portioni materiae, quae corpus appellatur, atqui haec conjunctio invictum est existentiae Dei argumentum; si enim neque a mente, neque a corpore ducat originem, superest, ut sit opus Entis supremi, quod in mentem et corpus dominatum exerceat: atqui non est repetenda illius caussa efficiens a mente nostra; tum quia stupendum hujus conjunctionis mysterium perfecte non cognoscit; siquidem vel e praestantioribus Philosophis probabiliter duntaxat explicatur; tum quia ad voluntatis nostrae arbitrium, neque dissolvitur, neque continuatur; ergo I suum a mente ortum non habet. 2. nec a corpore; siquidem est moles iners et otiosa. Praeterea materia non agit, nisi per motum, et per contactum, atqui mens humana, utpote simplex et partium expers, nec tangi, nec moveri potest; ergo 2. etc. Superest igitur, ut mirabilis illa conjunctio prodierit ab Ente supremo, cujus summum sit in mentem et corpus imperium. Nec inepte pro Divinitatis existentia pugnabis sequenti ratione: Quidquid cogitatur, vel habet existendi initium, vel sine omni initio semper ac perpetuo est. Quod existendi habet initium, semetipsum non potuit producere: esset enim, ut producens, et simul non esset, ut producendum, quae absurditas cogitari nequit. Pari modo absurdum est, duo entia a se invicem produci; nam in hoc casu, vel utrumque est aeternum, vel alterutrum tantum, vel neutrum. Si primum: utrumque est increatum: si secundum; id, quod est aeternum, a non aeterno non potest esse productum; si tertium: neutrum sibi ad existentiam sufficit, sed utrumque ab alio dependet. Ergo per necessarium consequens ab eo, quod sine initio existendi perenniter est, oportet esse productum. Ens, quod incipit esse, dicitur productum, creatum, contingens, seu termino Scholae, ens ab alio. Ens vero, quod sine initio semper est, increatum, aeternum, sibi sufficiens, scholis Ens a se nuncupare placuit, sed ens a se est Deus, ergo existit Deus. Hinc recte ait S. Aug. (*L. Conf. XI.*

c. IV). „Ecce sunt coelum et terra: clamant, quod facta sint: mutantur enim atque variantur. — Clamant etiam, quod reipsa non fuerint: ideo sumus, quod facta sumus: non ergo eramus, antequam essemus, ut fieri possemus a nobis.“ Eleganter etiam hac de re disserit Hugo Grotius (*de verit. Relig. Christ. Venetiis* 1768). „Res aliquas esse, quae coëperint, sensu ipso et confessione omnium constat. Eae autem res sibi non fuerunt causae, ut essent: nam quod non est, agere non potest; nec ipsa res esse potuit, antequam esset. Sequitur igitur, ut aliunde habuerint sui originem: quod non tantum de illis rebus, quas ipsi aut conspicimus, aut conspeximus, fatendum est; sed et de iis, unde illae ortum habent, donec tandem ad aliquam causam perveniamus, quae esse nunquam coeperit, quaeque sit, ut loqui solemus, non contingenter, sed necessario.“ — Nec ab instituto nostro alienum erit hoc loco quoque Cel. Syrbii argumentum, quod is, existentiam Dei demonstraturus, adhibet, paucis attingere. Desumit autem illud a desiderio hominis infinito, ita ratiocinatus: In homine datur desiderium infinitum. „Hoc desiderium, omnibus hominibus innatum, est naturale, ergo non potest esse frustraneum. Si non est frustraneum, sequitur, ut illud, ad quod se refert, existere debeat. Refert autem hoc desiderium se ad bonum infinitum, hoc est Deum, ergo Deus existit. (*Conf. Phil. prima p.* 29. *et dissertatio ejus de desiderio hominis infinito Jenae habita*). — Argumentum e conscientiae stimulis ductum, et argumentis moralibus adnumeratum, sic a nonnullis proponi solet: Reus quisque conscientiae stimulos experitur, intimisque exagitatur terroribus. „Hae sunt, inquit Tullius, assiduae, domesticaeque furiae: atqui hujusmodi stimuli existere Deum probant; siquidem nonnisi ab ipso suam habent originem; vel enim oriuntur a Deo, vel a mente, vel ab alio ente ab ea distincto, quod non sit Deus; atqui duo posteriora dici nequeunt. 1. Quidem non oriuntur ab anima: si enim ab ea suum ortum ducerent, id fieret, vel necessario, vel libere: atqui neutrum defendi potest. Non primum: namque si necessario ab anima nascerentur, haec semper conscientiae aculeos experiretur, quod tamen falsum est; non etiam secundum: si enim anima libere conscientiae stimulis pungeretur, eos invita non sentiret; nullum quippe ens se se libere excruciat: atqui tamen conscientiae morsus anima patitur invita; ergo 1. ab ea non oriuntur. 2. Nec ab aliquo ente ab anima distincto, quod Deus non sit. Nam praeter animam nihil nisi materiam agnoscunt athei: atqui a materia prodire nequeunt conscientiae aculei; siquidem materia non possit in animam physice agere, et omni cognitione destituta sit, qua posset animam post perpetratum scelus torquere, ergo 2. etc. ergo nonnisi a Deo oriuntur conscientiae stimuli, qui animam post commissa crimina dilaniant, ac proinde existit Deus, qui animae dominatur.

Schol. 6. Ontologicum argumentum, quod etiam Cartesianum, ab aliis Anselmianum vocatur, ex idea entis infiniti, sive perfectissimi ductum, et a nobis superius exhibitum, incredibiles motus turbasque in Republica litteraria excitavit. Mens autem Cartesii haec erat: Ens quod perfectissimum concipio, omnes habet perfectiones necessario, et actu existere est perfectio, ergo ens, quod perfectissimum concipio, necessario et actu existit. (*Vide Cartesii Philos. prima. medit* 3. *conf. Ruckeri dissertatio de hoc argumento Jenae habita*). Contra hoc argumentum eruditi vel maxime monuerunt, enti, quod perfectissimum concipitur, conceptum quidem necessariae et actualis existentiae tribui debere, exinde tamen non sequi, ens illud necessario et actu etiam extra mentem existere. Alii, atque in his Leibnitzius et Wolfius, stringere et valere hoc argumentum sibi persuadent, dummodo entis perfectissimi possibilitas antea recte demonstrata sit. (*Conf. Wolfii commentatio de differentia nexus p.* 12). Quare possibilitatem entis perfectissimi nonnulli ita probant: Cujuscunque nulla contradictio demonstrari potest, illud est et manet tamdiu possibile, donec demonstretur contradictio, atqui nulla contradictio in existentia entis perfectissimi demonstrari potest, ergo ens perfectissimum est, et habetur tamdiu pro possibili, donec demonstretur contradictio, quam vero putant ad Graecas Calendas demonstratum iri. Alii ita: 1. Ens perfectissimum est, quod omnes possidet perfectiones, sive realitates. 2. Ubi omnes realitates, sive perfectiones, ibi non habet locum defectus, sive negatio ulla realitatis. 3. Ubi non habet locum negatio, ibi non habet locum contradictio; quia omnis contradictio includit suo conceptu negationem. 4. Ubi nullum locum habet contradictio, ibi est possibilitas, ergo ens perfectissimum est possibile. Si itaque ens perfectissimum est possibile, pergunt, sequitur; illud, eo ipso dum possibile est, actu et necessario existere, atqui est possibile (per demonstrata); Ergo etiam actu et necessario existit. Consequentiam ita probant: Ens perfectissimum est, quod omnes habet perfectiones; actu et necessario existere est perfectio; ergo si ens perfectissimum est possibile, [illegible] aliqua perfectio (actualis enim existentia actu est perfectio) adeoque esset ens perfectissimum, enti perfectissimo aliqua perfectio (actualis enim existentia est perfectio) adeoque esset ens perfectissimum, „per hypothesim" et non esset ens perfectissimum, quia ipsi adhuc deesset aliqua perfectio, scilicet actualis existentia. Leibnitzius eodem fere modo hanc argumentationem proponit: „Entis infiniti, inquit, possibilitatem nihil potest impedire. Possibilitas entis necessarii includit ejus existentiam, Ergo ens infinitum, idque necessarium actu existit. (*Vid. Monadolog.* §. 44). — At juvat speciatim Kantii, maximi hujus argumenti adversarii objectiones

aliquas expendere. Dicitis 1. Alia est possibilitas logica; alia est realis; illius character est immunitas notionis a contradictione: hujus vero character est possiblitas experientiae, cui subjacet id, quod realiter et objective possibile dicitur, ergo a possibilitate logica, seu notionis, nequit inferri possibilitas realis, sive rei. Respondent defensores hujus argumenti 1. Si per experientiam possibilem intelligatur ea tantum, quae sensibus nostris, quales in hominibus sunt, haberi potest, tunc distinctio aperte supponit hypothesim Kantii, nihil videlicet posse existere, quod sensibus nostris percipi nequit, imo nihil esse realiter possibile, quod non jam existit. Quis hoc concedet? 2. Concipi potest, res omnes, quas sensu percipimus, non existere; quod a Kantio eo magis concedi debet, quo certius putat, concipi posse, ens realissimum, seu perfectissimum non existere; et tamen a priori verissimum certissimumque est hoc judicium: „Ens aliquod a tota aeternitate existit" quia concipi non potest tempus rerum omnium existentium penitus vacuum et inane; si enim aliquando nullum ens extitisset, etiam deinceps nullum potuisset existere; nisi ens aliquod non existens sine caussa efficiente prodiisset ex nihilo, ergo evidentissimum est, existentiam, seu possibilitatem realem non colligi ex sola experientia, quae ab aeterno nulla esse potuit. 3. Ex logica possibilitate, nequit inferri possibilitas realis, inquit Kantius: distinguunt: si per realem possibilitatem denotetur vera et objectiva aptitudo rei possibilis ad existendum, negant: si per realem possibilitatem indicetur ipsa realis et actualis existentia, subdistinguunt: nisi in logica possibilitate contineatur plena ratio existentiae realis et objectivae concedunt: si in ipsa log. poss. continetur plena ratio realis et obj. existentiae negant. Si de ente realissimo sermo est, tum certe in illius possibilitate logica, sive in notione ejusdem continetur inter omnes possibiles perfectiones, seu realitates etiam perfectio, seu realitas haec: „habere in se plenam rationem existentiae realis et actualis." *Objicit.* Data possibilitate rei cujuscunque, quaeri potest de propositione: „res illa possibilis existit" utrum analytica sit, vel synthetica, si primum: tum praedicatum existentiae in subjecto jam continetur, fitque sensus: res illa possibilis et existens existit; quae est tautologia: si vero est synthetica, (quales reipsa sunt omnes propositiones, quae affirmant existentiam subjecti) tum ad notionem subjecti adjungi de novo debet existentia, proindeque notio subjecti sine existentia intelligi potest. Similiter ergo notio entis realissimi et perfectissimi locum habet, quin necessario ejus existentia cogitetur. Ne ad alia, quae aliena sunt a proposito, divagetur oratio, ac de modo cognoscendi existentias rerum omnium disserere cogantur, respondent de propositione hac sola: „Ens realissimum, seu perfectissimum existit" et sine haesitatione respondent: haec propositio est analytica: quia praedicatum existentiae cum

notione subjecti necessario cohaeret, aut ex ea deducitur, vel per notionem subjecti determinatur. Nam posita per notionem omni realitate et perfectione, ponitur etiam realitas et perfectio haec:" continere in se plenam rationem existentiae ,,proindeque poni debet ipsa existentia; neque enim plena ratio existentiae sine existentia intelligi potest. At tali modo propositio fit tautologica et nugatoria, quasi hanc contineret formam: ens realissimum, seu perfectissimum existens existit. Respondent *Neg.* Expendatur Epicherema scholii 4 § 72. in Ontologia mea contenti. Sed urget Kantius: in notione subjecti cum omni possibili praedicato ponitur existentia; ergo manet tautologia. Respondent. D A. Cum omni possibili praedicato reipsa, seu realiter ponitur existentia, quatenus ens realissimum, seu perfectissimum re ipsa existit C. Cum omni possibili praedicato etiam formaliter n. a et C. In omni syllogismo categorico conclusio reipsa continetur in praemissis, sed ob hoc syllogismi categorici non sunt merae tautologiae et nugae; quia convenientia extremorum non perspicitur, nisi ope termini medii, quocum illa comparantur. Secus pariter tautologica esset propositio haec: omnes anguli in triangulo rectilineo sunt aequales duobus rectis. *Objicit.* Etsi mente concipiatur realitas summa, cui proin realitas nulla desit, tamen relinquitur quaestio, utrum id, quod mente concipitur, reipsa existat: ergo ex conceptu solo non infertur existentia. R. D. A. relinquitur ea quaestio, quae tamen, data possibilitate conceptus, certissima argumentatione solvitur, tolliturque. C. secus n. *Urg.* Posita omni realitate, in conceptu, seu notione comprehensa, deest relatio Entis realissimi ad vim cognoscendi, quia opus est, ut cognitio ejus objecti a posteriori etiam comparari possit. Resp. Dudum animadvertimus, realitatem et cognoscibilitatem in idem cadere; quia mens intelligens omnem realitatem concipere quoquomodo potest; posita ergo realitate, ponitur cognoscibilitas et vicissim. Si Kantius cognitionę objecti a posteriori eam denotat cognitionem, quae fit per sensus; tum principium petit denuo, quo putat, nihil reale cognosci posse, nisi sensuum ope. Ceterum omnis nostra cognitio relate ad ens perfectissimum omnino extrinseca est, neque ejusdem realitas, aut existentia a cognitione nostra ullo modo pendet. *Urg.* Si solo intellectu secundum categoriam puram repraesentatur existentia, nullum inter hanc et possibilitatem discrimen relinquitur, neque nota suppetit, possibilitatem ab existentia discernendi; unde in argumento ontologico altera cum altera confunditur, et commutatur. Aliter fit in rebus sensibilibus, quarum objectum qua possibile, et vi notionis repraesentatur tamquam comprehensum in actuali experientia. Resp. I. Si res praecise spectetur secundum notas intrinsecas, possibilitas rei, et existentia rei easdem continent notas, neque differunt inter se, quemadmodum in metaphysica distincte exponitur; nam per notas suas minime pugnantes inter se res est

id, quod est, proindeque per notas illas essentiam suam habet, et possibilis est; ac per eas notas formaliter existit; rem enim existentem ponere, est notas rei existentes ponere, docet id expresse, ac dilucide ipse Kantius (*Crit. r. p. p.* 627). Si possibilitas rei ab existentia rei hoc solo distinguitur, quod illa referatur ad possibilem experientiam, haec ad actualem; redit quaestio de possibili et actuali experientia, quomodo altera differat ab altera et sejungatur. Kantius ergo hanc exigens differentiam, in circulo obambulat, atque idem explicat per idem. Experientia extra rem est, neque ad ejus possibilitatem, neque ad existentiam requiritur necessario. Si res ponitur sensibilis, tum certe quidem, quatenus sensibilis res esse ponitur, experientiae sensuum objectum esse debet, non quatenus res est, vel possibilis, vel existens. *Objiciunt.* Necessitas judicii distingui debet a necessitate rei; ergo si ex notione realissimi, seu perfectissimi necessario inferam judicium hoc: Ens perfectissimum existit; non sequitur, ut illud extra mentem meam reipsa existat. A. p r o b. Si quis judicium ferat necessarium, quod triangulum tres habeat angulos, ob id triangulum non existit necessario. R. D. A. Necessitas judicii distingui debet a necessitate rei, hoc est, si judicium necessarium non attingit absolutam existentiam rei, sed tantum proprietatem, quae rei convenit, si res existat, tum non infertur absoluta existentia rei, sed tantum proprietas, quae rei convenit sub conditione, si existat. C. Si necessitas judicii attingit ipsam absolutam existentiam rei. N. A. et C. In illo judicio, de quo disputatur: ens realissimum, seu perfectissimum existit, necessitas istius conclusionis, quae ex praemissis deducitur, attingit ipsam ejus existentiam absolutam, ut proinde necessitas judicii a necessitate rei distingui non possit; nisi cujusvis theorematis demonstrationem velimus hoc dicto eludere „est necessitas judicii, non est necessitas rei.“ Caeterum norunt tyrones Logicaes, propositiones in materia necessaria, in quibus per notionem subjecti non existentia rerum, sed proprietates rerum et attributa determinantur, non affirmare absolutam existentiam earundem, sed proprietates tantum et attributa, quae necessario conveniunt rebus, si existant, ut, si dicam: homo est animal, triangulum habet 3 angulos, sensus fit: si existit homo, existit animal: si datur triangulum, dantur tres anguli. *Obj.* In omni propositione synthetica, cujusmodi illa est, quae existentiam rei enunciat, praedicatum auget notionem subjecti, eique addit quidpiam in notione ipsa non relucens; ergo ex sola notione entis realissimi, seu perfectissimi non potest repeti ejusdem existentia, cur enim concipi non quiret: ens realissimum in mente et conceptu existit quidem, sed extra mentem et conceptum non existit? R e s p. J. n e g o s u p p. quod propositio haec: ens realissimum existit, synthetica sit; cum per notionem subjecti determinetur ejus existentia; uti docente Kantio haec propositio: conditionatum pendet a serie conditionum analytica

est; quia ipsa notio conditionati connexa est cum serie conditionum. Sic idem existimari debet de propositione: ens realissimum, seu perfectissimum existit. Si de existentia aliarum rerum quoad substantiam, non solas proprietates, vel modos earum quaeritur, illae rationem, cur existant, in se, et possibilitate, vel essentia sua non continent; quapropter earum existentia nec repeti ex sola illarum notione potest. At ens realissimum, seu perfectissimum eo ipso, quod omnes perfectiones, atque in his rationem et sufficientiam existendi complectatur, necessario existere vi notionis suae, vel possibilitatis debet. *Obj.* Existentia est determinatio rei a re distincta, eique per praedicatum addita, et subjectum augens: ergo ex re, et notione rei deduci nequit, R. D. A. Existentia est determinatio rei illius, quae per se et possibilitatem suam nondum est omnimode determinata C. A. est determinatio entis realissimi, quod per se et possibilitatem suam jam penitus est determinatum, seu ex omni parte perfectum. N. A. et C. Res alias quoad essentiam determinatas concipimus praecisive, indeterminate, ac fere sub termino communi, sive universaliter; at non existunt praecisive et indeterminate, nec universaliter, quemadmodum concipiuntur; accedunt ergo ad essentiam determinationes aliae, relationes, modi. Nec tamen existentia rei per hasce determinationes accessorias explicari, aut definiri potest; quia notae essentiales per accessorias, nec formaliter, nec causaliter existunt, vel ad existendum determinantur: et quia de his ipsis notis accessoriis tum possibilitas earum, tum existentia seorsim spectari potest. *Obj.* Esse, vel existere non est certe praedicatum reale, seu quaedam notio, quae ad notionem subjecti adjungi debet; ergo posita notione, vel possibilitate entis realissimi, vel perfectissimi, jam sumitur, seu potius praesumitur existentia. Resp. I. Kantius pugnantia loquitur, ut supra animadversum est. Hic quidem negat, ad notionem subjecti adjungi debere existentiam tamquam praedicatum reale: aliis autem locis praedicatum propositionis syntheticae adjungi debere ad subjectum ait, in quo illud non continetur. Resp. 2. D. A. Existentia non debet ad notionem subjecti adjungi, sic tamen, ut notio subjecti concipi possit, quin ea ipsam existentiam formaliter, sive conceptu jam expresso contineat C. A. sic, ut existentiam jam contineat formaliter, sive conceptu expresso N. A. etc. Essentiae, et possibilitates rerum praecisive concipi a nobis possunt, et solent, nec includendo in iis, nec excludendo actualem existentiam. Re ipsa autem et virtualiter in notione entis realissimi, vel perfectissimi existentia continetur, uti in omni antecedente continetur conclusio; sed ob id non continuo perspicimus sine assumta tertia idea, conclusionem in antecedente contineri. *Urget* Kantius. 1. Si possibilitas rei praecisive concipi potest sine existentia, non repugnat, possibile esse ens realissimum, quin existat reipsa; ergo ex possibilitate non deducitur ejus existentia. Resp. N. Uti ex possibilitate entis realissimi vi

rationis deducitur impossibilitas non existentiae; quod idem fit in omni propositione determinata, cujus scilicet praedicatum per notionem subjecti determinatur; quo modo ex notione trianguli deducitur angulorum summa aequalis duobus rectis, itemque impossibilitas, ut ea summa major, vel minor sit duobus rectis. *Urg.* Esse nihil aliud est, nisi copula propositionis; igitur nihil reale exprimit. Resp. Propositio haec: Deus est; cum quidquam affirmet, necessario praedicatum habet, sensumque facit: Deus est existens. Patet hoc etiam ex communi usu, uti animadvertit acutissimus Suarez, nam si quis dicat: Adam est, significat ipsum existere. Habet autem hoc verbum est in rigore suum participium in ipso inclusum, in quod potest resolvi dicta propositio. — Ulrich in sua institutione Logicae et Metaphysicae, et speciatim Theologiae rationalis §. 26. suam sequentibus respectu hujus argumenti nequaquam favorabilem opinionem proponit. „Ut ad omnes hujus argumenti, inquit, artes et fraudes pectus sit bene praeparatum, quacunque demum specie et forma proferatur, et quicunque color inducatur, 1 faceo infinitas disputationes, nec facilem habentes exitum, de ipsa logica veritate cogitationis naturae cujusdam, omnibus numeris absolutissimae, in qua omnis realitas pura insit, cui vindicandae non sufficit realitatis purae illa indoles, generatim sumta, ut non contineat negationem alterius realitatis, qua talis, conjuncta cum illo, pugnam, nisi ex negationibus, existere non posse. De quibus satis superque dictum in Logicis et Metaphysicis, inprimis in loco de natura infinita, ubi simul ostendi, qui modi soli relicti sint vindicandae realitatis hujus ideae. 2 Illo vero maxime nitor, existentiam non esse novam quamdam, atque propriam realitatem, illi, quod esse posse intellectum erat, accedentem, neque adeo in natura perfectissima existente plures esse realitates, quam in cogitatione illius, ut mere possibilis. 3. Illud quidem ambabus largior, summae virtutis naturam sua virtute esse debere, si modo est, nec ita existere posse, ut ab alia pendeat, neque adeo ejus existentiam esse conditionatam, aliique naturae debitam, sed absolutam, absolute necessariam, seu, quod quidam maxime urgent, non posse intelligi, nisi ut absolute necessario existentem. Sed hoc ipsum aliam vim non habet, nisi eam: si qua summae virtutis natura sit, absoluta necessitate esse debere, h. e. sua virtute. non aliena. (Hoc ipso evanescit species, quam praefert argumentum Anon. ad §. 25 cit. Neue Bestätigung des Schlußes etc. Ejusdem fere furfuris est meum quendam l. c. Si non existit, neque esse potest, sed esse potest, ergo existit. Respondeo: Verum esse: Nisi jam existit, neque nunc demum existere (incipere) potest. Jamque nego falsitatem consequentis, quae probanda erat. 4. Tandem cum necessitatis haec nota sit, ut contrarium esse nequeat, adeoque repugnet, nullo autem adhuc posito et sumto, neque pugna ulla esse possit, proclive videtur intellectu,

plane fieri non posse, ut a priori ac directe ullius alicujus rei absoluta necessitas existendi demonstretur. (Vid. Sulzer Entwickelung des Begriffs vom ewigen Wesen in den vermischten Schriften P. I. p. 381 sqq. et Kant Crit. rat. pur. p. 227 et 594 seq.) — Venzel §. 127 Metaph. hoc argumentum crisi subjiciens observat: 1. Consequentia: ens realissimum est possibile, ergo existit, est consequentia a possibili ad actuale, a posse ad esse, sed ejusmodi consequentia non valet; prohibetur per regulas Logices. 2. Cum dico: ens realissimum mihi nonnisi existens et necessarium cogitare possum: ergo existit realiter extra meum conceptum: tunc certe plus ex praemissa deduco, quam inde deduci potest: sequitur tantum ens realissimum existere in conceptu meo. Demonstravi ergo tantummodo existentiam Dei idealem, logicam, non vero realem quae demonstranda est. 3. Existentia non spectat ad realitates: non est enim proprietas, per quam ens ipsum augeretur; est tantum relatio possibilis ad subjectum illud cogitans, quod aliter afficitur, cum sibi objectum cum proprietatibus ejus, qua reale, quam cum sibi illud, qua possibile repraesentat. Existentia ergo in ente nihil ponit, consequenter etiam ad realitates non spectat, quibus tamen in argumento ontologico false adnumeratur. — Id attentione dignum mihi videtur, quod clarissimus Karpe in suis Philosophiae dogmaticae institutionibus perpetua Kantianae disciplinae ratione habita, et Kantianismi celebris impugnator, hujus argumenti ne mentionem quidem suae de Deo dissertationi injecerit, et omnia, praeter cosmologicum et morale, argumenta alia, consequenter et ontologicum, ficulnea et inepta esse declaraverit. (*Vide ejus Metaph. pag.* 102 §. 132.)

§. 121.

Inter argumenta moralia recenseri solet ratiocinium, deductum ex periculo, iis imminente, qui Deum existere negant. Demonstrationis quidem naturam et nomen sibi vindicare non potest hujusmodi ratiocinium, cum autem eo maxime permoveri debeat, quisquis sapit, illud praetermittere vetat ipsius utilitas. Ita vero se habet: Ex duabus sententiis, quarum alterutram amplecti est necesse, eam sapiens quisquis praeferre debet, quae tutior est, ubi praesertim de summo bono, vel malo agitur; stultum quippe est eam sequi et eligere, quae si falsa sit, gravissimis obnoxia est periculis;

eam vero rejicere, quae etiamsi vera non esset, nihil habet periculi; atqui sententia, Deum existere affirmans, omnino tuta est; licet enim nullus existeret Deus, qui eum confessi fuerint, nihil inde mali post obitum patientur; cum nullus futurus sit, qui post mortem ipsis noceat. Atheorum vero sententia in horrendum discrimen conjicit; namque si existat Deus, ut ratio docet et tota natura clamat, quanta poena eos manet, qui contra apertam hanc veritatem obluctati fuerint; ergo longe tutius est Deum agnoscere, imo non agnoscere stultissimum.

Scholion. Obj. Prudentis viri est certum incerto anteponere; atqui athei ita se gerunt; praesentem enim voluptatem eligunt, neglecto aeternae poenae periculo, quod incertum est, imo nullum, si non existat Deus, ergo prudenter se gerunt Athei. R. D. M. Prudentis viri est certum incerto anteponere, si caetera utrobique sint paria C. secus, id est, si, quod habetur ut certum, leve sit; quod vero incertum reputatur, sit aliquid gravissimum *neg.* Porro athei spectant quidem velut aliquid certum praesentis vitae commoda et voluptates, ut incertum vero habent futurae poenae periculum; atqui aeternae poenae discrimen est gravissimum, brevissimae autem hujus vitae voluptates sunt aliquid leve et momentaneum. Nonne vero sapientis viri est, levioris emolumenti potius jacturam pati, quam gravissimum adire periculum aeternae infelicitatis? Ne tamen inde tibi fingas hominem, quia Deum profitetur, ex eaque sententia vivit, nonnisi tristem, luctuosam et miserabilem vitam agere. Cupiditates quidem comprimit, quae vel expleri nequeunt, vel satiatae fastidium pariunt, rationem perturbant, animi corporisque habitum corrumpunt, varia in scelera rapiunt; ex quibus nascuntur importuni conscientiae stimuli, qui animam dilacerant; sed delicias corporeis voluptatibus longe suaviores experitur Theista, dum virtutem sectatur, quae dulcissimam in animis pacem et tranquillitatem generat, quae caeterorum hominum vel etiam improborum existimationem conciliat, quae in rebus adversis constantiam et solatium, spe felicitatis aeternae proposita, inspirat. Quid autem iis jucundius in hac praesenti vita ex cogitari potest?

ARTICULUS II.

De execrandis Atheismi effectibus.

§. 122.

Quamquam jam vel illud argumentum, quod ex periculo, iis, qui Deum existere negant, imminente, deduximus, quemvis sapere volentem ad amplectendum Theismum, et detestandum Atheismum permovere debeat, quo tamen promtiores adhuc reddantur ad id hominum animi, non abs re futurum putaveram, execrandos atheismi effectus speciatim exhibere, id quod sequentes duae propositiones declarant: quarum una Atheismum hominibus, in vita privata spectatis, noxium; altera publicae felicitati infensissimum esse asserit. *Probatur pars 1-ma* Illud noxium est hominibus privatis, quod omnem securitatem, omne in miseriis solatium, omnemque solidae felicitatis spem adimit, atqui haec luctuosa sunt atheismi consectaria. 1. Quidem omnem tollit securitatem; ex eo quippe sequitur, res humanas, vel ex casu fortuito, vel ex fatali necessitate suspensas esse: atqui utrumque omnem evertit securitatem. Si enim casui fortuito subjiciuntur omnia, contingere subito potest, ut malis gravissimis opprimantur immeriti, utque repentino fortunae lusu in miserrimam vitae conditionem praecipites dejiciantur. Si vero, fatali quadam necessitate, quae sine ratione, sine consilio agat, omnia volvantur, nemo sibi adpromittere potest, se fati immanitate, quam nec temperare, nec a se depellere valet, non esse in summas aerumnas, etiam citra culpam, detru-

dendum; sub regimine autem entis summe justi, providi, sapientis, benefici et omnipotentis quisque certus est, miserum se non fore, si non mereatur; ergo Atheismus evertit omnem securitatem. 2. Nullum in adversis relinquit solatium. Ubi enim cum variis hujus vitae malis conflictamur, quid auxilii a fortuito casu, aut a coeca inexorabilis fati necessitate sperare possumus? praefocanda illa naturae vox, in infortuniis divinam opem sponte implorantis: „Dii prohibete minas, Dii talem avertite casum.“ (Virgil. Aeneid. lib. 3). Contra vero Theista rebus in adversis, maximum in divini praesidii spe habet fortitudinis et solatii incitamentum. Quantum levaminis in fortunae angustiis experitur, dum recogitat, Deum esse Patrem tenerrimum, qui filios ad eum confidenter recurrentes nunquam deserit! 3. Omnem solidae felicitatis spem aufert Atheismus: nullam enim aliam, quam praesentem vitam agnoscit, atqui in mortali hac vita nulla potest obtineri vera sinceraque felicitas; tum, quia omnia bona fluxa sunt et caduca; tum, quia plerique homines plura experiuntur mala, quam bona; tum denique, quia omnia Atheorum gaudia inficere debet horrenda mortis expectatio, eo quod interire omnia putent, ita, ut post susceptos vitae labores nihil hominem maneat, praeter universam et sempiternam, quam natura refugit, extinctionem: ergo Atheismus noxius est hominibus in vita privata spectatis. *Prob. altera pars*, seu: Atheismum publicae felicitati esse infensissimum. Illud publicae felicitati maxime adversatur, quod relinquit auctoritatem sine freno, subditos sine moribus, societatem universam sine principiis; atqui gravissimis

illis incommodis obnoxius est Atheismus. 1. Quidem auctoritatem relinquit sine freno. Ponamus enim supremi Numinis metum, tamquam praejudicium et imaginationis figmentum, a Regibus, a publicarum rerum moderatoribus haberi: quis audeat confidere, fore, ut intra fines legitimos se se contineat auctoritas, quae nullum in terris judicem, nullum superiorem agnoscit? Qua de re audiamus celeberrimum scriptorem MONTESQUIEU (Esprit des Loix livr. 1. chap. 2) „Princeps amans et metuens Religionem, leoni similis est, qui cedit manui blandienti, aut voci eundem placanti. Qui Religionem metuit et eam odit similis est feris bestiis, mordentibus catenam, eas, ne in transeuntes irruant, impedientem. Qui omni prorsus destituitur Religione, est illud animal terribile, quod suam nonnisi dilaniando et devorando sentit libertatem.“ Ergo 1. Atheismus ab auctoritate frenum omne removet. 2. Relinquit subditos sine moribus. Tollit enim frenum ad coërcendam morum corruptelam efficacissimum, nempe metum supremi criminum vindicis, qui scelestos homines, etiam post mortalem hanc vitam suppliciis condignis infestatur. Sublato hoc repagulo, quis, dum leges infringere poterit, a criminibus temperabit, ut suas expleat cupiditates? non curabit quisquam, ne sit improbus, sed potius ne sit incautus: quid enim aliud reformidare potest, quam hominum conspectum, et poenas legibus humanis constitutas? numquid eum repriment conscientiae terrores? Sed in systemate, quod impugnamus, conscientia nihil est nisi praejudicium nomenque inane. Ergo Atheismus subditos relinquit sine moribus. 3. Societatem relin-

quit sine principiis; nam fatentibus omnibus, qui de re politica scripserunt, haec sunt principia, quibus nititur societas, nempe; justitia, fides, dictorum conventionumque firmitas; atqui haec omnia funditus evertit Atheismus. Ex eo nimirum sequitur, licitum esse et rationabile, quidquid utile est; sublato enim Deo, non aliud est summum hominis bonum, non alius finis ultimus, quam praesentis vitae felicitas, quocunque modo augenda et comparanda; atqui hoc posito licitum fit et rationabile, quidquid utile est: quid enim magis rationi consentaneum, quam ultimum finem in omnibus quaerere, et omnes actiones ad eum dirigere? Unde recte observat celeberrimus quidam Gallicus scriptor: „Violata ruptaque sacra Religionis cataracta, sublato salutari ejus metu, ideis abstractis justitiae et honestatis impetum passionum sisti posse praetenditur, quod tantumdem est, ac naturam hominis penitus ignorare; est tantumdem, ac ab illo exigere, ut gratis sine ulla spe lucri suam immolet fortunam, est tantumdem, ac perfectissimos ad statum miseriae maximum detrudere. Virtus, asserit quidam scriptor, nil aliud est, quam amor veri nostri boni, et illustrata nostrae felicitatis investigatio: (la recherche eclairée de notre bien-être); sed si nihil post fata sperandum sit, quod erit verum genuinumque hominis bonum? nonne illi adhaerere, illudque sequi, quod durante hac brevi vitae periodo eum felicem reddere poterit?“ Ergo. 3 Atheismus societatem relinquit sine principiis, aliunde et auctoritatem sine freno, et subditos sine moribus, consequenter publicae utilitati infensissimus est.

Scholion 1. *Objiciunt.* Fingimus, sublato Deo nullam esse vim legis naturalis, atqui illud falsum est; nam in quacunque hypothesi subsistit boni malique distantia naturalis, quemadmodum stant veritates mathematicae; haec enim omnia fundantur in rerum essentiis, quae a voluntate divina non pendent, ergo subditos sine moribus non relinquit Atheismus. R. N. m. ejusque probationem. Ad servandam enim legi naturali vim suam, non satis est, ut remaneat boni, malique distantia; sed praeterea requiritur frenum aliquod idoneum coërcendis cupiditatibus, quae ad violandam legem naturalem semper impellunt; atqui sine Deo nullum erit hujusmodi frenum. Sublato quippe Deo, nullus est, qui legis infractionem, saltem secretam, ulciscatur. Si quis enim esset, esset maxime conscientia, atqui in systemate atheorum conscientia est merum praejudicium; quia juxta illud omnes actiones humanae, vel a casu fortuito, vel a coeca et ineluctabili necessitate ortum habent; ergo si principiis suis insistant, nullus est, qui legum violationem, saltem clandestinam vindicet, ac proinde nulla est legis naturalis efficacia; ut ergo mores in tuto sint, non est satis subsistere boni malique discrimen naturale. *Urg.* 1. Etiam sine religione poenarum civilium metus, bonae famae desiderium, propriae utilitatis consideratio homines movere potest ad legis naturalis legumque civilium observationem; ergo ut vim habeat lex naturalis, Deum et Religionem existere minime necesse est. R. D. A. Movere possunt in iis, quae hominibus patent, et propriae utilitati accomodata judicantur C. in his, quae homines latent, et propriae utilitati contraria judicantur n e g. In nonnullis casibus possunt praefata incitamenta hominem ad leges externe observandas impellere: verum si agatur de illis actionibus, quas nemo cognoscere, nemo suspicari valet, si aliunde ordo publicus cum privata utilitate pugnare judicetur; quid tum faciet atheus, libidine ad malum sollicitatus, nullaque ratione deterritus? Confitendum est in hujusmodi circumstantiis, quae non semel occurrunt, parum esse praesidii in lege naturali, nisi accesserit supremi criminum vindicis metus; ergo in actionibus, quae nullum habent testem, et in quibus ordo publicus privatae utilitati obstare existimatur, ad coërcendam cupiditatem parum valent motiva ab adversariis proposita. *Urg.* 2. Ipse supremi Numinis metus facinorosos non continet, ergo nullius momenti sunt nostrae responsiones. R. N. C. Fateor equidem, nonnullos esse sceleratos, qui nec homines, nec Deum verentur. Sed quid inde concludunt adversarii? Non contendimus, omnes homines, qui Deum profitentur, voci ejus obtemperare. Id unum statuimus, nullum esse adversus morum corruptelam remedium efficacius; ubi enim deficit, aut poenarum temporalium, aut infamiae metus, fieri potest, ut fides in Deum nondum vim omnem suam amiserit; ubi autem nulla fides in Deum, nullum superest virtuti incitamentum, nullum vitio frenum; ergo semper verum est, Atheismo dissolvi firmissimum societatis vin-

culum. *Obj.* Ad mores hominum nihil confert Religio, ergo moribus nil nocet Atheismus. ℟. N. A. ad mores enim recte informandos plurimum valet Religio, si, quo magis ea decrescit et labefactatur, eo latius grassetur morum corruptela, et frequentiora sint crimina vel atrocissima; atqui ita se rem habere, infausta testatur experientia. Illustrissimum luctuosae hujus veritatis testimonium suppeditat saepius adductus cell. Gall. Scriptor: „Si ab initio Christianismi mores publici nunquam adeo corrupti fuere, si nunquam tanta in societatibus perfidia, tanta audacia et impudentia in technis ambitionis, tanta prodigalitas in luxu, tanta infidelitas in conjugiis, tanta temeritas et impudentia in voluptatibus: si facinora alias inaudita, communia inter nos facta sunt; si quotidie audiamus, homines debiles et crudeles sibi ipsis violentas manus intulisse, eo, quod illorum ignavia vitam amplius sustinere nequiverit, dubitare non licet, caussam horum omnium malorum in continuo irreligiositatis progressu quaerendam esse.“ (*Ibid. pag.* 29. *éditio* 4.). *Urg.* Experientia constat, plerosque homines in vita instituenda non sequi principia, quae profitentur, ergo fides in Deum ad mores hominum nihil confert ℟. D. A. Non sequi in omnibus C. saltem in aliquibus N. Licet plerique homines in vita instituenda non semper principiis, quae profitentur, se accomodent, confitendum tamen est, in illis fere nunquam extingui quoslibet Religionis sensus. Unde fit, ut quaedam et plura cupiditatibus, quaedam etiam, sed pauciora, Religioni concedant. Quae arbitrantur leviora, sibi condonant peccata, verum a gravioribus Religionis freno non semel deterrentur; hinc eadem duce et moderatrice paucioribus vexatur criminibus societas civilis, securiorque evadit, quamvis omni formidine non liberetur; si vero Religionem sustuleris, jam frenis remotis in nefanda quaeque prosilient immoderatae cupiditates. *Obj.* Multi variis temporibus extiterunt athei, omnium, quae ad societatem spectant, virtutum cultores egregii, ergo societati non est exitiosus atheismus. ℟. C. A. nego Cons. 1. Quia nos latet, quid in occulto, et remotis testibus, fecerint illi athei 2. quia, quod paucis in hominibus efficere potest superstes quaedam naturae bonitas, aut etiam servandae famae desiderium, illud nunquam efficiet in ingenti hominum multitudine: 3. quia non quaeritur, quid faciant athei, sed quid facere deberent, si principiis suis starent; 4. quia, licet nonnulli athei probe vixisse videantur, pravus tamen ratione sui est atheismus, morumque corruptioni viam aperit latissimam; quemadmodum vero ex bonae rei abusu, contra rem ipsam nihil concludi potest, ita etiam quorundam atheorum probitas, si quae fuerit, in gratiam ipsius atheismi nihil probat. *Obj.* Non magis Societati nocet Atheismus, quam Polytheismus, in quo Deorum exemplis incitabatur peccandi licentia; atqui Polytheismus non fuit Societati noxius; siquidem vel ipso dominante floruerint imperia maxima et Respublicae potentissimae, ergo. ℟. N. M. Quia in atheismo

nulla sunt principia repellendis criminibus idonea. Porro si vigente ipsa poenarum aeternarum fide, tot videmus homines facinorosos, quot futuri supponendi essent, si earundem poenarum fides tolleretur, et induceretur atheismus! Contra vero paganismo non deerant principia removendis criminibus apposita. Deos enim agnoscebat sceleribus addictos, simul et scelerum vindices; alteram vitam expectabat, in qua gravissimas criminum suorum poenas patiuntur iniqui, seu impii. Paganis etiam persuasum erat, eorum, qui bene et laudabiliter vixissent, animas in campis Elisaeis fore beatissimas; quae principia coërcendis cupiditatibus et criminibus haud parum idonea fuerunt; ergo ex eo, quod Polytheismus societatem non everterit, male concluditur, eam cum atheismo stare posse. *Obj.* Innumeris bellis et dissidiis ortum dedit Religio: hunc autem perpetuum belli et discordiae fomitem extinguit atheismus, ergo societati prodest, nedum noceat R. N. A. Supponit enim Religionem veram fuisse bellorum causam, quibus occasionem tantum dedit invita et reluctans. Porro haec bella ex ambitione, et caeteris cupiditatibus orta sunt, quibus velum Religionis non indecorum praetendebatur. Attendant adversarii ad Religionis principia et documenta; revolvant primorum Ecclesiae saeculorum annales; tunc cognoscent, genuinum Christianum quaecunque bella, velut publicas calamitates, deplorare, iniqua vero detestari; cognoscent, primos Ecclesiae fundatores Dei pacifici doctrina et exemplo informatos ad stabiliendam Religionis Christianae veritatem proprium fudisse sanguinem, non alienum. Praeterea simili ratiocinio probaretur, leges civiles, et regimen sive unius, sive plurimorum societati nocere, quia infinitis propemodum malis occasionem praebuerunt. Verum si Theologis et Philosophis Christianis fidem non habent adversarii, eam denegare non possunt Auctori minime suspecto, qui de rebus politicis agens, Retigionem sic vindicat: " Male ratiocinantur contra Religionem, qui in magnis voluminibus longam malorum per illam caussatorum enumerationem exhibent; si id ipsum respectu bonorum per illam productorum non faciant. Si vellem enarrare omnia illa mala, quae producta sunt in mundo per leges civiles, per monarchiam, per republicanam regiminis formam, res horrendas dicerem. *(Esprit des loix Montesquieu livr.* 1. *chap.* 2.) Desinant igitur adversarii ea Religioni objicere, quae perpetuo damnavit.

Schol. 2. Disputatum est, num superstitio pejor sit Atheismo; numque Atheismus, an superstitio plus inferat damni Civitatibus, Rei publicae aeque? Qui cum Baylio affirmant, superstitionem plus adferre damni, quam Atheismum, has potissimum rationes adferunt. 1. Superstitiosorum numerum multo ampliorem esse atheorum turba. 2. Superstitionem totum animum occupare haud quaquam reclamante conscientia, vel ejus stimulo urgente.

Quod contra fieri putant in atheis, quorum nemo unquam adeo induruerit, quin redeuntibus intervallis a suo ipsius animo fuerit objurgatus. Qui vero Atheismum pejorem esse superstitione existimant, ita ratiocinantur: Satius est religione duci aliqua, licet superstitiosa, quam nulla; superstitiosum quippe, si nulla alia re, certe tamen metu stulto in officio boni civis contineri. — Difficile est in quaestionibus comparativis certi quid determinare. Negare tamen non possum, mihi hanc controversiam semper perinde esse visam, ac si quis quaereret: num satius sit, se gladio, an cultello aliquo subtili interficere? Conf. de hac controversia Buddeum in thesibus de Atheismo, et Superstitione.

Schol. 3. Non possum silentio praeterire, quae celeberrimus, licet in multis summe reprobandus Scriptor gallicus Voltaire de Atheismo et Fanatismo observat, quaeque coram latine redditurus sum. „Le fanatisme est certainement mille fois plus funeste, que l' atheisme. Car l' atheisme n' inspire point de passion sanguinaire, mais le fanatisme en inspire: l' atheisme ne s' oppose pas aux crimes, mais le fanatisme les fait commettre. Supposons avec l' anteur du Commentarium rerum gallicarum, que le chancelier de l' Hospital fût athée, il n' a fait, que de sages lois, et n' a conseillé que la moderation et la concorde. Le fanatiques commirent les massacres de la St. Barthélemi. Hobbes passa pour un athée, il mena une vie tranquilie et innocente. Les fanatiques de son temps inondérent de sang l' Angleterre, l' Ecosse et l' Irlande. Spinosa étoit non seulement athée, mais il enseigna l' atheisme; ce ne fut pas lui assurement, qui eût part á l assassinat juridique de Barnevelt, ce ne fut pas lui, qui dèchira les deux fréres de Vith en morceaux, et qui les mangea sur le gril. — Les Athées sont, pour la plupart de savans hardis et égarés, qui raisonnent mal, et qui ne pouvant comprendre la création, l' origine du mal, et d' autres difficultés, ont recours a l' hypothese de l' éternité des choses, et de la nécessité. — Les ambitieux, les voluptueux n' ont guére le temps de raisonner, et d' embrasser un système; ils ont autre chose a faire, qu' a comparer Lucréce avec Socrate. C' est ainsi, que vont les choses parmi nous. Il' n' en était pas ainsi du sénat de Rome, qui était presque tout composé d' athées de theorie et de pratique, c' est a dire, qui ne croyaient ni à la Providence, ni à la vie future; ce sénat était une assemblée de philosophes, de voluptueux, et d ambitieax, tous trés dangereux, et qui perdirent la république. L' épicuréisme subsista sous les empereurs: les athées du Sénat avaient été des factieux dans les temps de Sylla et de César; ils furent sous Auguste et Tibére dei athées esclaves. — Je ne voudrais pas avoir à faire à un prince athée, qui trouveroit son intérêt à me faire piler dans un mortier; je suis

bien sûr, que je serais pilé. Je ne voudrais pas, si j' étais souverain, avoir à faire à des courtisans athées, dont l' intérêt serait de m' empoisonner; il me faudrait prendre au hasard du contrepoison tous les jours. Il est donc absolument nécessaire pour les princes et pour les peuples, que l idée d' un être suprême createur, gouverneur, rémunerateur et vengeur soit profondément gravée dans les esprits. — Il y a des peuples athées, dit Bayle dans ses pensées sur les comètes. Les Caffres, les Hottentots, les Topinambous, et beaucoup d' autres petites nations n' ont point de Dieu; ils ne le nient ni ne l' affirment, ils n' ent ont jamais entendu parler; dites leur qu' il y en a un, ils le croiront aisément; dites leur, que tout se fait par la nature des choses, ils vous croiront de même. Prétendre, qn' ils sont athées, est la même imputation, que si l' on disait, qu' ils sont anti-Cartésiens, ils ne sont, ni pour, ni contre Descartes. Ce sont de vrais enfans; un enfant n' est, ni athée, ni déiste, il n' est rien. Quelle conclusions tirerons nous de tout ceci? Que l' atheisme est un monstre trés-pernicieux dans ceux, qui gouvernent, qu' il l' est aussi dans les gens de cabinet, quoique leur vie soit innocente, parce que de leur cabinet ils peuvent percer jusqú à ceux qui sont en place; que s' il n' est pas si funeste que le fanatisme, il est presque toujours fatal a' la vertu. Ajoutons sur-tout, qu' il y a moins d' athées aujourd'hui que jamais, depuis que les philosophes ont reconnu, qu' il n' y a aucun être végétant sans germe, aucun germe sans dessein etc. et que le blé ne vient point de pourriture. Des géométres non philosophes ont rejeté les causes finales, mais les vrais philosophes les admettent; et, comme on l' a dit déja (article Athée) un catéchiste annonce Dieu aux enfans, et Neuton le démontre aux sages. — S' il y a des athées, à qui doit-on s' en prendre, sinon aux tyrans mercenaires des ames, qui, en nous révoltant contre leurs fourberies, forcent quelques esprits faibles à nier le DIEU, que ces monstres déshonorent? Combien de fois les sangsues da peuple ont-ils porté les citoyens accablés jusqu' à se révolter contre le roi! (voyez l' article Fraude). etc. (*Oeuores complétes de Voltaire Tom.* 38. *L' article Atheisme. pag.* 119—122). Consule quoque meam Psych. Emp. de relig. et polit. fanatismo, ejusque remedio pag. 514. 515.

Schol. 4. Argumenta, quibus Athei et quidem dogmatici, existentiam Dei inficiantur, per decursum Metaphysicae exhibita, et suis locis quaeque abunde refutata esse existimamus; sed sicut horum, ita et Scepticorum Atheistarum sententia, quamvis a priore diversa, non minus principiis rationis adversa, et moralitati inimica est qui enim pietatis, reverentiae, amoris, obedientiae et fiduciae sensus ejus animo esse possunt, qui in mente sua statuit, existentiam et voluntatem Dei esse rem incertissimam, ac ab intellectus humano nullatenus attingendam? et deficientibus illis religionis sensibus, quae potest esse

officiorum erga se et alios efficacia et observantia? Quare etiam hujus perniciosae sententiae fundamenta excutienda sunt, ut eorum falsitas et inanitas perspiciatur. Humiis pro hac sententia ita pugnavit, ut ad eum recte accomodari possit illud: si Pergamo dextra defendi posset, certe hac defensa fuisset, ut adeoque unus Humius omnium Atheistarum scepticorum loco esse possit. Inprimis Humius incomprehensibilitatem naturae Divinae, nostramque tamquam entium moralium finitorum constitutionem obtendit, hisque necessario effici statuit, ut vera Dei natura omni nostro captu superior, omnisque nostra de eo cognitio ab ea valde abludens et falsa sit; quare omne judicium cohibendum esse contendit, ne in antromorphismum prolabamur, quo sublimis et purissima divina natura ad humanitatis impuritatem deprimatur. Deinde cum mundus sit ens unicum sui generis, adeoque a partium et eventuum suorum indole valde abludens, argumentationem illam, mundum causam habere debere, cum omnia in eo causam habere debeant, manifeste falsam esse, atque cum major sit mundi cum naturae opere v. g. animali, quam cum artificio, quod intellectum requirit, similitudo, mundum potius generatione, quam creatione effectum videri debere contendit. E. Cum ex argumentis nostris omni reprehensione et dubio superioribus irrefragabiliter consequatur, existere moralem mundi auctorem, ejus existentia propterea incerta videri et dici nequit, quod intellectus noster finitus absolutam et intimam Dei essentiam cognoscere i. e. eam introspicere, dimetiri, complecti, talemque, quae absolutam Dei essentiam plane adaequet et exhauriat, notitiam habere, hocque sensu Deum comprehendere non valeat. At non modo de infinita, verum etiam de finita quacunque substantia et mente, plena, quaeque internam ejus indolem proxime attingat et amplectatur cognitione mens humana potiri nequit, quin ideo de propria aliarumque extra se positarum rerum existentia dubitationem sustineat. Quare perperam concluditur, Deum nobis plane ignotum esse, et veritatum divinarum ex principiis finitae rationis nullam dari certitudinem. Cognitio immediata absolutae Dei essentiae homini necessaria non est, modo necessarias quasdam ejus ad mundum relationes exploratas habeamus, quarum relationum cum absoluta Dei essentia intima est conjunctio. Infinitas et incomprehensibilitas naturae divinae, et nostra, quam de Deo habemus, cognitio imperfecta efficere nequeunt, ut eam prorsus deceptricem, omni objecto vacuam, et plane inutilem esse existimemus; et quoniam praestantia quadamtenus percepta, minus tamen perspecta, admirationem parit, Deus perpetuae admirationis nostrae dignissimum objectum est. Porro nostra de existentia Det convictio hac praecipue argumentatione nititur: mundus hic est totum, instar corporis organici, constat per partes suas, quarum singulae vim suam totius constitutioni debent; quare requirit et arguit ens aliquod, cujus vi existat et perduret, i. e.

causam absolutam; cumque in eo singula singulorum, omnia vero entium intelligentium bono inserviant, his vero per eorum rationi insitam legislationem vita, beatitate digna, proposita sit, causa illa absoluta cum mundo, ea ratione, qua artifex cum artificio suo, conjuncta, atque adeo intellectu et voluntate perfectissima praedita natura esse, menti humanae similis quidem, attamen ea infinite superior, censeri debet. Hoc existentiae et perfectionum Dei cognoscendarum argumentum plane irrefragabile est, omnemque a nostra Dei cognitione, non quidem defectum, sed tamen errorem arcet; quia ab objecto suo et limites, et vitia humanae naturae excludit, quod ens cum mera mens, et mundus hic merum intellectus opus sit, non generatione, verum tantum creatione hujus caussa efficiens esse potest.

Schol. 5. Causae atheismi, praeter illam latissime patentem, nimirum sceleratam vivendi rationem, quae Deum et vitam futuram horret, hae praecipuae sunt: 1. Contemplatio malorum horrendorum, quibus superstitiones et fanatismus religiosus genus humanum afflixerunt. 2. Ingenia quaedam, scientiarum naturalium et mathematicarum confidentia inflata, quae propterea, vel nonnisi intuitivas et apodicticas veritates assensu dignas, vel ex actuosis materiae staminibus originem rerum et mundi concipi posse autumant. 3. Rerum in mundo immensitatis et nexus admiratio, propter quam quidam, immoderatis speculationibus ducti, omnia unum esse statuerunt. 4. Summa Parentum ac Educatorum incuria, qua, praecipua haec de existentia Dei doctrina, aut negligitur, aut sero, superstitiose, vel jejune admodum pertractatur, atque sic deinceps quoque contemtui habetur. 5. Aperta et horribilis nonnullorum Religionis ministrorum inter dicta et facta eorundem intercedens disharmonia. 6. Lectio librorum non aliud continentium, quam aut principia divino juri repugnantia, aut opiniones absurdissimas impiasque, aut fabellas, et narratiunculas, in odium ac contemtum adversus Religionem adfabre compositas. 7. Superbia, quae paradoxis eminere, mundo non contentari, alienum odisse, a nullo dependere, atque tandem non raro, in, vel extra domum stultorum hominem cum Deo identificare consuevit. 8. Immoderatus intempestivusque scepticismus; quo, quidquid immediate evidens non est, inter incerta reponitur. 9. Nimius dogmatismus; quo fit, ut, cum asserta quaevis, nullo licet, aut debili fundamento nixa, obtruduntur ceu certissima, horum nuditate et insufficientia tardius cognita, caetera quoque, etsi indubitatis principiis superstructa, incredule rejiciantur. 10. Inordinatum scientiae naturalis studium, quo nonnulli ausu temerario in arcana naturae involant, atque intra naturae cancellos ac limites omnia constringere nituntur, quin causae primae ullam rationem habeant. etc. etc.

MEMBRUM II.

De attributis Dei.

§. 123.

Propugnata contra Atheos Dei existentia, attributa Ejus proponenda veniunt, quo nomine eae proprietates, vel praedicata intelliguntur, quae ex ejus essentia necessario promanant. Cum autem essentia rei alicujus sit id, per quod res aliqua praecise haec res est, et non alia, quodque primus rei conceptus est, unde caetera, quae rei competunt, fluunt et derivantur: essentia Dei in absoluta ejusdem existendi necessitate reponenda esse videtur; per existentiam enim simpliciter et absolute necessariam Deus est Deus, et ex hac, velut e radice et fundamento, caetera, quae Deo tribuuntur, facili nexu deducuntur. Si enim quaeras, cur Deus sit aeternus, immensus, immutabilis, una vero summe perfectus, ultimo respondebitur, quia existit absoluta naturae suae necessitate, seu a se, ac proinde nullam agnoscit causam, quae ipsius perfectionibus limites constituere posset. Perfectiones ex dicto fonte scaturientes sequentibus expendemus.

Scholion 1. Si de eo disceptatio instituitur, quaenam sit Dei essentia, de nulla alia re disputatur, nisi de eo, quaenam radix attributorum Dei sit constituenda. Alii independentiam, alii infinitatem, intellectum perfectissimum, alii rursus aliud quid pro radice attributorum sumunt. Hic itaque quaeritur, quinam Dei conceptus primus sit praeferendus alteri, atque adeo omnis haec controversia philosophica et logica est. Nos id, quod Deus absolute, necessario, seu a se existat, pro conceptu Dei primo assumemus, atque ex eo quidem conceptu caetera omnia, quae Deo competunt, deducimus.

Schol. 2. Hoc simplicissimum enunciatum: Deus est, habet vim significandi infinitam. O! quis dabit, ut ex rerum

sensibilium, quo jactamur, oceano emergentes, locaque omnia, tempora transgressi defoecata mentis acie paululum cernamus et cogitatione transitoria cogitemus: Esse, sine temporis lapsu, perennans Esse incommutabiliter stans, Esse sibi sufficiens, Esse sine actuum successione activum! „Deus est.“ O principium, Culmen, Finis omnis animae intelligentis! „Deus est“ Haec veritas sufficit menti rationali ad sapientiam veram, pacem internam, gaudium sempiternum!— Ad haec cernenda nos invitat et perducere satagit M. Augustinus, qui praeter alia L. II. de moribus Manich. C. I. ait: „Quamobrem vellem quidem, ut tam serenam mentis aciem homines ad haec investigenda deferrent, ut possint videre illud summum Bonum, quo non est quidquam melius, aut superius, cui rationalis anima pura et perfecta subjungitur. Hoc enim intellecto, atque perspecto simul viderent, id esse, quod summe ac primitus Esse rectissime dicitur. Hoc enim maxime Esse dicendum est, quod semper eodem modo se se habet, quod omni modo sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi, ac mutari potest, quod non subjacet tempori, quod aliter nunc se habere, quam antea, non potest. Id enim est, quod Esse verissime dicitur. Subest enim huic verbo manentis in se, atque incommutabiliter se se habentis naturae significatio. Hanc nihil aliud, quam Deum possumus dicere, cui si contrarium recte quaeras, nihil omnino est. Esse enim contrarium nihil habet, nisi non esse. Nulla ergo natura Deo contraria. Sed quoniam ad haec contemplanda sauciam et hebetem nugatoriis opinionibus et pravitate voluntatis aciem mentis afferimus, conemur, quantum possumus, ad qualemcunque tantae rei notitiam pervenire, pedetentim atque caute, non ut videntes, sed ut palpantes solent quaerere.“ In magnificas illas voces Dei ad Moysen“ Ego sum, qui sum „tum Moysis ad Israëlitas“ Qui est, misit me ad vos (*Exod.* 4) sequentibus excurrit Fenelon: „Dum Deus Moysen ad pronunciandum suum tanta cum autoritate nomen, declarandumque, quid sit ablegat, Moyses non dicit: Ille qui spiritus est, me misit ad vos; verum dicit, qui est.“ Ille, qui est, infinities plus dicit et significat, quam ille, qui spiritus est; (quia posterius ad aliquod genus entium specialium refertur, ubi e contra posterius plenitutdinem entis, seu esse exprimit). Deus sine dubio spiritus est, quia incorporeum et in supremo gradu intelligens ens est; at plus est quam spiritus, et perfectior spiritus, quam ut nos eum concipere aut exprimere valeamus. (*Demonst. de l' exist. de Dieu. 2. part*).

Schol. 3. Attribuia Dei ab ipsius essentia re distincta non sunt; quidquid enim in natura illa simplice atque individua inest, id omne Deus ipse est. Cogitatione tamen nostra, tam a Dei essentia tam inter se differunt; cum enim mens no-

stra angustis admodum conclusa limitibus divinitatem uno obtutu comprehendere non possit, cogitur eas proprietates veluti distrahere, ac seorsim singulas contemplari.

Schol. 4. Attributa divina veteres Theologi Christiani, aeque ac Hebraei nomina divina vocarunt. Hinc frequens et prolixa eorum de nominibus divinis tractatio. Hinc etiam nomen illud tetrogrammaton Jehova, vel Ehieh apud Hebraeos summo semper in honore habitum, quod essentiam divinam notaret; cum reliqua Adonai, Schadai, Abbir etc. attributa solum divina significarent.

§. 124.

Unicus est Deus. 1. Unum tantum dari Deum, docent unitas in natura universa, harmonia inter omnia, quae existunt, relatio entis unius ad alterum, et entium omnium ad finem ultimum. Objecta quaecunque existunt, inter se connexa sunt. Vires heterogeneae agunt, quin confusio oriatur. Legibus universalibus varia naturae entia subjecta reperiuntur. Qui unum itaque constituit, etiam reliqua omnia constituere debebat, quia unum ad alterum, si non immediate, mediate tamen refertur, et cuncta, quae sunt, licet diversissima, ad unitatem tendunt, et in unitatem conjunguntur. 2. Deus est ens necessarium: atqui unicum saltem est ens necessarium; sibi namque perfecte sufficit, ac proinde non indiget alterius consortio; si non indiget alterius consortio, non repugnat illud solum existere, si non repugnat illud solum existere, caetera praeter ipsum entia possunt non existere; si alia praeter ipsum entia possunt non existere, jam non sunt necessaria: si caetera praeter ipsum entia non sunt necessaria unicum est ens necessarium, ergo a primo ad ultimum, unicum est ens necessarium: ac proinde unicus Deus. 3. Si multiplex sit Deus, vel unus pendebit ab alio, vel non. Si primum: qui pendet ab altero, non est Deus; quis enim

eum dixerit Deum, qui alteri subjicitur? Si secundum: nullus erit Deus; quia nullus erit altero superior, nec proinde summe perfectus; siquidem inter perfectiones principem locum habet supremum in res omnes dominium. 4. Vel unus e pluribus Diis ad mundum creandum sufficit, vel necesse est, ut alii in operis partem veniant. Si unus sufficit: jam potuit mundus sine aliorum subsidio, imo et ipsis otiantibus existere. Quis autem eum appellaverit Deum, sine quo mundus creari potuit? Si autem unus non sufficiat: nonne limitatam habet potestatem, cum aliorum opera indigeat? nec proinde est Deus. 5. Si plures darentur Dii, tunc vel essent quoad omnes suas proprietates, quoad naturam et essentiam sibi similes, vel non. Si primum: certe omnes unum tantum constituerent Deum, natura enim unius, etiam natura alterius, essentia unius, etiam essentia alterius foret. Quod unus horum Deorum cogitaret, vellet et ageret, cogitaret, vellet, et ageret etiam alter; verbo: unus tantum daretur Deus. Si alterum; tunc quaeritur: quibus a se differrent notis? internis non; quia omnes essent substantiae realissimae: ergo externis et quidem spatio vel tempore; sed per spatium et tempus Dii a se invicem differre nequeunt; sunt enim entia realissima, et circa haec nec spatium, nec tempus occurrunt. Quia itaque plures Dii a se invicem differre nequeunt, necesse est, ut unus saltem assumatur Deus.

Scholion 1. Veteres varia pro unitate Dei argumenta adhibebant, quorum quaedam adducemus. 1. Ita argumentabantur: Deus est ens simpliciter perfectissimum. Ens simpliciter perfectissimum est, quod simpliciter omnia entia superat. Repugnat autem, rem aliquam simpliciter omnes res reliquas perfectione ac bonitate superare, et

tamen non unicam esse. Ita enim simul omnes res, et non omnes res bonitate et perfectione superaret. Omnes quidem per illud: quod sit simpliciter optima ac perfectissima. Non omnes per hoc: quod non sit unica, sed habeat aequalem sibi ipsi alteram rem, quam non excedit. Alterum argumentum hoc est: Deus est summe magnus, ergo est unus. Consequentia probatur: Quia summe magnus dicitur, cui nihil adaequatur. Tertium argumentum huc redit: Si essent plures Dii, sequeretur nullum eorum esse omnipotentem. Ratio haec est. Si ex pluribus Diis unus creaturarum aliquam producere decrevisset, aut alter posset id impedire, aut minus Si non posset alter id impedire, non esset omnipotens. Si autem posset impedire, tum is, qui creaturam aliquam producere vellet, non esset omnipotens, quia non posset id efficere, quod vellet. *Plura vide in Hebenstreitii Theologia naturali p.* 468.

Schol. 2. Quamquam jam ex dictis consequatur, falsam fuisse opinionem Manichaeorum de duobus Diis, quorum unus esset principium omnis boni, alter vero principium omnis mali, juvat nihilominus id specialius refutare, quod sequentibus praestamus: Nomine Dei intelligunt omnes Ens summe beatum; atqui duo Manichaeorum principia non essent summe beata. Enimvero mutuas aeternasque exercerent inimicitias. Principium boni totis viribus ad bona, Principium autem mali omni conamine ad mala se se ferret. Alterum mala, alterum bona, quantum in se esset, impedire niteretur, neque tamen hoc mala, neque illud bona posset depellere, utriusque igitur vota vana forent et irrita, turbaretur utriusque felicitas. Plus dico: entium omnium miserrima essent ambo Manichaeorum principia. Torquerent mala Principium bonum, cruciarent bona Principium malum: cum autem aeterna essent, et immortalia, nihil ipsis sperandum foret, praeter aeternam desperationem. 2. Ea principia rejicienda sunt, quae cum experientia stare nequeunt: atqui hujusmodi sunt Manichaeorum duo principia; apud omnes enim constat in mundo bona esse admista malis, et mala bonis: atqui in hypothesi Manichaeorum stare in mundo non posset haec bonorum et malorum commixtio; siquidem vel unice bonum, vel unice malum, vel neutrum in mundo exstaret. Enimvero duo Principia; quae fingunt Manichaei, vel aequalis sunt virtutis, vel inaequalis: atqui si prius, tunc neque bonum, neque malum erit in mundo; si vero posterius, tunc vel unice bonum, vel unice malum obtinebit. 1. Quidem si virtute sint paria; neque bonum, neque malum erit in mundo. In illa quippe hypothesi Principium boni totis viribus in bonum, et Principium mali totis etiam viribus in malum invehendum niteretur: atqui vires aequales et oppositae se se mutuo elidunt, et stant in aequilibrio, ergo si duo Manichaeorum principia sint pote-

state aequalia, tunc neque bonum, neque malum erit in mundo. 2. Si inaequalia sint, aut unice bonum, aut unice malum in orbe existet. Nam vel Principium boni praevalebit, vel Principium mali: si prius, tunc unice bonum aderit in mundo, nullumque relinquetur mali vestigium: si posterius, tunc unice malum grassabitur, nullusque supererit bono locus, ergo in Manichaeorum hypothesi non essent bona mista malis, et mala mista bonis, ergo non potest cum experientia quotidiana conciliari ergo etc. Nec dicat Baylius haec duo Principia in illud mutuo consensisse, ut unum in gratiam alterius aliquid de suo jure remitteret. Absurdissimum quippe est hoc foedus; I. quia cum illorum Principiorum natura pugnat, siquidem alterum ad bonum, et alterum ad malum ex naturali et necessario impetu fertur. 2. Quia si Principium summe bonum in illud consentire possit, ut mala in mundo existant, opus minime esset ad Principium summe malum confugere, ad explicandam mali originem. 3. Juxta ridiculum illud pactum, Principium boni plus de jure suo cessisset in gratiam alterius; virtus enim rara est in terris, et vitium frequens. Quis autem concipiat Principium summe bonum ita fuisse sui oblitum, ut sponte jus suum maxima ex parte abjecerit, et quidem in gratiam Principii summe mali, cui ex necessitate naturae suae adversatur? — Tandem si utrumque principium ex Deo summo prodiit, ab hoc dependens, neutrum est Deus. Aut dicant: qui potuit ex Deo summo emanare principium malum? et ad quem finem existeret utrumque? postquam Deo summo existente, hujusque infinita bonitate stante, non tantum bona, sed etiam mala hujus mundi consistere, et commode sufficienterque explicari possunt, ut suo loco videbimus.

Schol. 3. Qui plures Deos statuunt, Polythei appellantur. His Manichaei, Marcionitae et Ethnici solent accenseri. Manichaei, ut supra diximus, duos Deos, seu duo summa principia, bonum unum, malum alterum existere contendebant. Marcionitae vero Deum distinguebant novi testamenti, quem bonum appellabant, a Deo veteris testamenti, quem malum, et primo contrarium esse dicebant. Ethnici autem tantam Deorum turbam venerabantur, ut Hesiodus 30,000 Deorum memoraverit aetate sua cultorum. In tanta numinum copia unum tamen, veluti supremum et summum ab Ethnicis cognitum et adoratum fuisse probant Lactantius, Huetius, Petavius, aliique. Quodsi plurima ac suprema numina memorata ab Ethnicis inveneris, mera scias esse nomina ejusdem supremi entis sub diversis aspectibus considerati, uti Ethnici vel ipsi passim edocent: „Quoties voles, (sunt verba Senecae) tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes esse possunt, quot munera. Hunc et Liberum Patrem, et Herculem, et Mercurium nostri pu-

tant. Omnia ejusdem Dei nomina sunt varie utentis sua potestate (*Lib. III. de Beneficiis. Cap. 7.*).

Schol 4. *Objiciunt* Manichaei. Dari debent duo principia summa, alterum nempe summe bonum, summe malum alterum, id quod pluribus argumentis probare conantur. 1. Plurima in mundo tum bona, tum mala existere certum est. Quemadmodum ergo bona ostendunt existere principium summe bonum, ita et mala principium summe malum existere demonstrant, 2. Ubi datur magis et minus, datur etiam summum. Sed majus et minus malum in natura datur. Ergo manifesta illatione dari etiam debet summum malum. 3. Principium summe bonum mali causa, aut origo esse nequit. Ergo principium summe malum admittendum est, a quo pendeat malum. R. Antequam singula refellam Manichaeorum argumenta, praestat animadvertere intrinsecus repugnare existentiam principii summe mali. Nam principium hoc summe malum vel existit, vivit, intelligit, operatur, vel non. Si non: causa excidunt Manichaei. Si vero existit, vivit, intelligit, operatur: quomodo, principium summe malum esse potest, ac tot ditari perfectionibus, videlicet existentia, vita, intelligentia, atque agendi facultate? Existentia igitur principii summe mali repugnat. — Ad primum modo repono: ideo existentiam principii summe boni recte deduci ex bonis hujus mundi, quia bonum quodlibet creatum, cum positivi aliquid sit et subsistentis, summam aliquam et efficientem caussam postulat, quae sit fons totius boni, et prima horum entium origo. Malum vero, natura vel substantia non est, quae necesse habeat ab aliqua efficiente causa produci, ut somniarunt Manichaei; sed naturae defectus tantummodo est, et boni privatio, quae non efficientem, sed deficientem solummodo caussam, puta hominem, postulat. Planum hinc est Manichaeorum erroris fontem detegere. Si nempe, dum mala ajunt existere, naturas intrinsecus malas intelligunt existere, hoc falsissimum est; mala enim, uti diximus, nihil aliud sunt, quam merae boni privationes. — Alterum distinctione facili diluitur: ubi datur majus et minus, debet dari etiam summum, cum de re positiva sermo est, manus amicas damus; cum de negativa re, aut simplici defectu agitur, negamus. Sed datur, inquiunt, majus aut minus malum, scilicet major vel minor defectus ac privatio boni, concedimus: datur majus aut minus malum et hoc positivum et absolutum, aperte inficiamur. Sed in quo igitur majus aut minus malum consistere dicendum erit? Consistere nempe dicimus malum non in majori aut minori accessu ad summum malum, uti majus vel minus bonum, in majori vel minori recessu a summo bono situm est, sed consistit malum in majori, vel minori recessu a summo bono; est enim malum, uti diximus, boni tantum defectus, vel privatio. — Denique ad tertium quod attinet, respondeo: triplicis generis malum a Philosophis distingui, scilicet malum na-

turae, quod dicitur metaphysicum, malum morale, sive peccatum, et malum physicale: atqui triplex illud malum sub unico ente summe perfecto, summe bono consistere potest. Prob. 1. pars. In eo situm est malum metaphysicum, quod creatura quaelibet magis vel minus a summa perfectione deficiat, atqui non possibile tantum, sed etiam necesse est, ut creatura quaelibet a summa perfectione plus minusve distet; repugnat enim creatura Deo aequalis, jam vero creatura infinite perfecta Deo esset consimilis, ergo necesse est, ut creatura quaelibet etc. ac proinde malum metaphysicum sub unico ente summe perfecto consistere potest. Prob. 2. pars. Duae tantum fingi possunt causae, propter quas sub ente summe bono consistere non possent mala moralia, nimirum vel quia eorum permissio sanctitatem divinam commacularet, vel quia cum bonitate divina pugnaret, atqui neutrum dici potest. 1. Quidem dici nequit malorum moralium permissione divinam sanctitatem aliqua labe inficí; tum quia in Deo non sunt, verum in creaturis; tum quia Deus propter ordinis amorem, quem exuere non potest, impunita non relinquet peccata, sed ea poenis afficiet, vel in praesenti, vel in altera vita ergo 1. etc. 2. Perperam quoque diceretur, a divina bonitate alienam esse malorum moralium permissionem. Si enim pugnaret cum bonitate divina, pugnaret maxime, quia ea illaesa, non potuisset Deus homini libertatem concedere ad bonum et malum flexibilem: atqui illud falsum est; Deus quippe salva bonitate sua, id poterat homini conferre, quod bonum est in se, atque in mente concedentis: atqui libertas est aliquid bonum tum in se, siquidem per eam comparari possunt merita, quibus aeternum destinatur praemium; tum ratione consilii, quod habuit illius dator, Deus. Libertatem enim homini non concessit, ut eam in pravos usus detorqueret, unde peccator fieret et infelix; sed potius ut libera voluntatis electione, naturae rationali maxime accomodata, legem divinam observaret, atque ita felicitatem aeternam consequeretur; ergo libertas est aliquid boni, tum in se, tum in consilio Dei eam concedentis: ergo potuit Deus illam homini conferre, ac proinde nihil a bonitate alienum habet malorum moralium permissio; aliunde eadem divinam sanctitatem nulla labe inficit: ergo mala moralia sub uno ente infinite perfecto, summe bono locum habere possunt. Prob. 3. pars. Possunt etiam mala physica, nempe dolores et morbi, post commissum peccatum sub ente summe bono consistere; illud enim sub ente summe bono existere potest, ex quo plurima in hominem derivatur utilitas; atqui ex malis physicis, nimirum doloribus, morbis plurima etc. efficiunt quippe, ut a cupiditatum servitute se se eximat, ut a peccatorum maculis se se abstergat, ut rerum sensibilium amore minus detineatur, ut tandem ad Deum verae felicitatis fontem magis accedat. Veritatem hanc agnovit inter Ethnicos Plinius epistolarum elegantia et concinnitate notissimus: „Quem infirmum, inquit, aut avaritia, aut libido sollicitat? non amoribus servit, non

appetit honores, opes negligit; et quantulumcunque, ut relicturus, satis habet; tunc Deos, tunc hominem esse se meminit (*Lib.* 7. *Ep.* 26). Physica itaque mala, quae morbis, doloribus et calamitatibus hujus vitae continentur, praeterquam quod absolute et in se mala non sint, sed tantum relative, iisque utatur Deus, ut homines in hoc mundo corrigat et ad meliorem frugem reducat, non pugnant cum principio summe bono. Minime itaque principium summe malum admittendum est, ut malorum, quae in mundo sunt, origo et causa intelligatur. Quae respectu malorum horum objici possent, in dissertatione de providentia Divina expendemus. — *Objiciunt.* Polytheistae: Pluribus argumentis ex historia depromtis ostendi evidenter potest Deorum pluralitas. Permagni enim ponderis argumenta sunt: 1. Polytheismi mundo propemodum coaevi antiquitas, uti ex historiis vetustioribus plane colligitur. 2. Consensus omnium fere gentium ante Christum in polytheismum, si Judaeos excipias. 3. Idolorum oracula eventu confirmata teste Celso apud Origenem. 4. Miracula plura a Diis gentium patrata, cujusmodi sunt ea Magorum Pharaonis; Isidis apud Diodorum Siculum; Aesculapii a quo plures aegrotos mirabiliter sanatos fuisse testatur tabula marmorea appensa in ipsius templo ad insulam Tiberinam; Apollonii Thianaei apud Philostratum. Vespasiani, Adriani, quorum primus Tacito referente, coecum et aegrum sanavit; alter referente Spartiano coecum a nativitate Pannonium nomine illuminavit manuum impositione, tum plura alia apud Herodotum, Plutarchum, Livium aliosque. R. Singula haec argumenta facili negotio refelli possunt. Nam ad primum quod attinet, cum polytheismus naturali repugnet rationi, uti jam demonstravimus, non magis ipsi antiquitas favere potest, quam vitiis faveat, aut criminibus polytheismo certe antiquioribus. Quemadmodum igitur vitia et scelera licet antiquissima et mundo coaeva fugienda et eliminanda sunt, ita et polytheismus, etiamsi antiquissimus, plane rejiciendus erit. Ad alterum; Cum Ethnici Deos plures ac ferme infinitos venerarentur, ita tamen, ut unum excellentissimum agnoscerent ac praecipue colerent, veri Polythei dicendi non sunt, ut fuse demonstrant Huetius, Petavius aliique. Non habetur itaque consensus omnium fere gentium in Polytheismum ante Christum natum, cum Ethnici vero ac stricto Polytheismo minime faverint. Ad tertium assero: idolorum oracula nullas exhibere divinitatis notas. Nam plurima fuerunt ambigua, plura fallacia, referentibus Plutarcho (*de oraculorum defectibus*). Diodoro Siculo (*Lib. XV*). Herodoto (*Lib. VI.*) alia irridenda, uti testantur Ennius apud Tullium (*de Divinat. Lib. I*). (*et* Tullius *ipse de Divinatione Lib. II*). Denique si quae oracula aliquid veri quandoque praedixerunt, id a causis naturalibus, aut subdolis artificiis cognosci, aut conjici potuisse certissime constat. Quodsi oracula pleraque, aut ambigua, et flexiloqua et obscura, aut fallacia extitere, licet

aliquando aliquid veri forte praesagiverint, nihil tamen divini in iis deprehenditur licet, nec proinde vim habere queunt ad plurium Deorum existentiam demonstrandam. — Neque magis miracula, quae ab Ethnicis, aut a Diis gentium patrata perhibentur, polytheismo favent. Primo enim, cum Deus aut occulta naturae arte, aut cacodaemonis ope, miracula Magorum Pharaonis fieri permiserit, ut ex collatione cum Mosaicis miraculis vera agnosceretur divinitas, uti ostendit ipsa Moysis narratio, jam nullum ex hujusmodi miraculis pro Polytheismo depromi posse argumentum manifestum est. Nihili autem facimus caetera, quae ab Ethnicis prodigia referri solent. Ea incertis tantum antiquisque rumoribus innituntur, quos posteriores historici collegerunt, plurimaque ex iis, aut eventa tantum fortuita et naturalia, aut fabellae aniles et figmenta superstitionis fuerunt, uti praeclare ostendit Cicero. (*In libris de natura Deorum et Divinatione*). Sed aliqua ab adversariis communiter relata ad examen revocemus. Isidis et Aesculapii, quae referuntur miracula, fuere sanationes nonnullae, quae naturaliter etiam evenire potuerunt. Nemo enim sanatus dicitur, nisi potionibus et herbarum succis, quibus alii curabantur, alii in pejus ruebant; quae proinde miracula egregie deridet Comicus Aristophanes, licet gentilis. Quodsi in Isidis templo in somnis de morborum remediis aliqui moniti sunt, id explicari optime potest, vel naturali causa accidisse, nimirum aut vi imaginationis, cujus mirabiles effectus nostris quoque temporibus persaepe admiramur, vel fraude sacerdotum, qui noctu aegrotos alloquebantur, et medicae artis periti, aegros de remediis instruxerunt. Apollonium ope scientiarum naturalium, praesertim apud idiotas, ea fecisse prodigia, quae deinde rumore vulgi aucta atque exornata ad eos pervenerunt, a quibus ipsius gesta conscripta sunt, probat Moshemius; (*adnotatione in systema intellectuale Cudworti Cap. II.* §. 15.) idque svadere videntur et poëticus Philostrati stylus, et notae Gentilium in Christianam religionem artes, pluraque, quaeve de Apollonio narrat Philostratus prorsus conficta, quae reliquis etiam fidem omnino adimunt. Quis enim fidem ei praebeat, cum narrat, Apollonium avium linguas optime calluisse, atque cum iis saepius sermones miscuisse, artes omnes et scientias tenuisse, imo innatas habuisse, et his similia, quae magis irridenda, quam dijudicanda videntur. Vespasiani et Hadriani miracula inter arcana Majestatis referunt Clericus, Hermannus, Moshemius aliique, quae scilicet ad plebem circumveniendam excogitarunt. Hoc nempe pacto, complicibus tantum sacerdotibus Serapidis, majorem sibi Numinum favore conciliare volebant auctoritatem, quod vel ipsae indicare videntur narrationes Taciti, Suetonii. Allata igitur, et similia Ethnicorum argumenta nihil contra nos evincunt.

Sch*ol.* 5. Quod omnes illi, qui plures Deos venerabantur, unicum tamen supremum agnoverint, dubitari non potest. Sic

Homerus et Hesiodus eum passim πατερα ἀνδρωντε, θεωντε, Ennius Patrem Divumque hominumque, Virgilius Divum Patrem, atque hominum regem nuncupabant. Audito Horatium de Parente Deorum ita modulantem:

Qui res hominum, ac Deorum
Qui mare, et terram, variisque mundum
Temperat horis.
Unde nil majus generatur ipso:
Nec viget quidquam simile, aut secundum.

L. 1. *Od.* 12.

Item:

Qui terram inertem, qui mare temperat.
Ventosum, et urbeis, regnaque tristia:
Divosque, mortalesque turmas
Imperio regit unus aequo.

L. 3. *Od.* 4.

Idem licet videre, si velis replicare memoriam temporum illorum, apud Orpheum, Sophoclem, Xenophanem, Euripidem, Platonem, Aristotelem, Senecam, Plutarchum aliosque veteres Adde Indos, Afros, Americanos, Sinenses, Turcas, qui omnes unum supremum Deum venerantur. Insita demum animis mortalium videtur opinio unius Dei; omnes enim velut natura ipsa praeeunte huc deducimur, ut in subitis periculis unum Deum maximum, optimum invocemus. Audio vulgus, inquit Minutius: cum ad coelum manus tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt: et, Deus magnus est: et Deus verus est: et, si Deus dederit. Idem sapientissimos Philosophorum constanter in ea fuisse sententia, inde a Thalete Milesio exorsus, eruditissime ostendit. Neque illuc ego quidem adduci possum, ut vel ab uno subsellii nobilioris philosopho turbam illam deorum ex animo probatam putem. Nec est, quod scrupulum cuiquam injiciant diversa illa veterum divinandi genera: quid enim de ea re viri cordati senserint, tum Cicero in Libro secundo de Divinatione, tum Physicus ille apud Pacuvium satis declarat, quum ait:

Nam istis, qui linguam avium intelligunt,
Plusque ex alieno jecore sapiunt, quam ex suo,
Magis audiendum, quam auscultandum censeo.

§. 125.

Deus est omnino independens.

Prob. Ens illud est omnino independens, quod nec quoad existentiam, nec quoad existendi modum ab alio pendet, atqui ita se habet Deus.

1. Quidem a nullo pendet quoad existentiam, cum ex necessitate suae naturae existat. 2. Nec quoad existendi modum; ex axiomate enim vulgari, modus essendi sequitur esse: atqui Deus nulli alii subjicitur quoad existentiam, ergo nec quoad existendi modum, ac proinde est independens. 2. Deus est universae naturae dominus et rector, talis vero non foret, si ab aliquo dependeret (arg. phys. et mor.) ergo independentiam Deo attribuere necesse est. Et summe potens. 1. Deus, sive ens a se, omnium, quae in mundo continentur, est creator, ut constat ex dictis adversus Atheos, atqui creator omnium, quae in mundo continentur, est summe potens: creatio enim tantam requirit potentiam, ut major concipi nequeat. Exercetur per modum imperii, „ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.“ (Psalm. 32. 9.) Actio creatrix nullum supponit objectum, in quod vim suam exerat: atqui hujusmodi actio tanta est, ut major cogitari non possit; in caeteris enim operationibus aliquod existit objectum ad aliquem effectum conspirans, et in quod agit vis operantis, ergo creatio eam demonstrat potentiam, qua major concipi non potest: ergo Deus, cum sit omnium creator, est summe quoque potens. 2. Res, quae nondum existit, effectioni sui non resistit, nec aliud quidpiam fingi potest, quod vim creatricem ab agendo impediat; ergo si quae caussa hac vi pollet, sicut uni rei creandae par est, ita caeteras quoque res quaslibet creare potest, eo ipso autem patet, caussam vi creandi potentem, esse omnipotentem: sed caussa haec est Deus, ergo Deus est omnipotens. 3. Cum mundum hunc Deus de nihilo condiderit, gaudet potentia procreandi res, quae antea

non fuerunt, et quia haec potentia inesse in illo debet sine ullis terminis, utpote infinite perfecto, ut probabimus, summa quoque sit, oportet. Omnipotens igitur est Deus.

Scholion. 1. Dum Deo omnipotentia, seu illa vis pro existentia, qua omne id, quod aptum est, ad eandem etiam perduci queat, convenire dicitur, suapte intelligitur, ea, quae pugnantia in se continent, a Deo effici non posse. Nam si id, quod pugnantia in se continet, ad existentiam produceretur, existeret, et simul non existeret: ergo etiam Deus, illud ad existentiam perducendo ageret, et simul non ageret; cujusmodi actio, cum absurda omnino sit, enti infinite perfecto convenire posse non debet. Itaque prorsus non officit omnipotentiae, quod nequeat ea efficere, quae pugnantia in se complectuntur; seu quae sunt impossibilia. Impossibile autem quid est, vel ratione Dei, vel ratione rei. Ratione Dei id est impossibile, quod cum essentia, caeterisque perfectionibus divinis pugnat. E. g. peccare, mentiri est impossibile ratione Dei, quamvis non in se et sua natura. Ratione vero rei id vocatur impossibile, quod in se et sua natura involvit contradictionem e. g. facere, ne bis duo sint quatuor.

Schol. 2. Ex eo tamen, quod nos non assequamur, quanam ratione possit a Deo quidpiam effici, non illico sequitur, id pugnantia in se continere: nam e. g. quis gloriari audeat, se pervidere, quanam ratione mundus hic ex nihilo condi potuerit? Temerarius ergo esset, qui hoc aut simili modo ratiocinaretur: nos non concipimus, quomodo possit hoc aut illud a Deo effici, dicendum ergo est, id ab eo effici nequaquam posse.

Schol. 3. Ipsi veteres solius naturalis rationis ductu agnoverunt, Deum esse debere omnipotentem. „Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judaeum, inquit D. Augustinus; sed da mihi Paganum, idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest: negare omnipotentem Deum non potest. (*Serm. de tempore c.* 2.) Unde etiam nomen Patris omnipotentis apud Gentiles quoque Poëtas frequenter legimus. Sic Virgilius *Aeneid.* 10. ut missos faciamus alios, canit:

Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas
Insit: eo dicente Deum domus alta silescit
Et tremefacta solo tellus, silet arduus aether,
Tum zephyri posuere: premit placida aequora pontus.

Finita vero ad Deos minores oratione

Annuit, et totum nutu tremefecit olympum.

Aliorum testimonia licebit videre apud Clementem Alexandr. Pfannerum, Cudwortum. Insulsa autem est Theo-

dori Bezæ argumentatio, negantis Deum esse omnipotentem, quod facta infecta reddere, aut pugnantia efficere nequeat: quasi vero efficacitas omnipotentis hactenus pertinere debeat, ut ea quae manifeste sunt ἀδυνατα faciat: foret sane haec talis potentia simul impotentia, cum quod absolute repugnat, fieri non repugnans, nequeat.

§. 126.

Deus est ens infinitum. 1. Cum enim omne id, quod possidet limites, debeat esse ens contingens, Deus autem non sit ens contingens, sed ens absolute necessarium: consequens est, Deum non posse habere limites; sed ejusmodi ens, quod non habet limites, est ens infinitum: evidens ergo est, Deum esse ens infinitum. Ex quo apparet: Deum debere habere omnes perfectiones actu, quae in ipso sunt possibiles; Deum non modo omnes habere perfectiones compossibiles, sed easdem quoque possidere absolute, et sine gradibus, nec proinde Deo aliquid majus concipi posse. 2. Hoc ipso, quod Deus sit ens a se, necesse est, ipsum esse infinite perfectum, seu omnes possibiles perfectiones, easque nullis limitibus circumscriptas continere. Est quippe ens a se eo sensu, quod existentiae juxta ac essentiae suae sufficientissimam eamque necessariam in se solo habeat rationem; igitur nihil in eo est, quapropter a re ulla externa pendeat, aut cum ulla necessario connectatur: sed hujusmodi ens nullam limitationis naturae, attributorumque suorum rationem habere potest: cum ergo nihil sit sine ratione sufficiente illimitatum sit oportet. Praeterea ipsa haec plena ad existendum sufficientia, citra omnem dependentiam ab alio, est certe perfectio quaedam infinita, ergo nequit inesse ulli naturae, nisi undequaque infinitae: quis enim, finita caeterum natura, perfectionis,

per quam illa aliquo in genere redderetur infinita, rationem in se habere potest?

Scholion. Dum itaque dicimus, Deum nominari infinitum, non intelligimus Eum infinite esse extensum, sed omnes possibiles perfectiones in se complecti. Duplex autem est perfectionum genus: aliae quippe (ut scholarum vocabulis utamur) dicuntur purae, vel simpliciter tales; aliae non purae, vel secundum quid tales. Per priores intelliguntur, quibus nihil adnexum est vitii, uti est sapientia; per posteriores contra, quibus aliquid vitii est adnexum, cujusmodi est facultas ratiocinandi, quae eo ipso, quod vi ejus res per progressum percipiantur, alteram scilicet ex altera deducendo, vitiosa quaedam est intelligentia. Jam posteriores nequit quidem Deus continere formaliter, cum sic contineret quaedam vitiosa, quin etiam inter se pugnantia; attamen et has continet eminenter h. e. eatenus tantum, quatenus Deus habet perfectionem aliam, quae, perfectionis, cum defectu quopiam conjunctae, vicem abunde suppleat, uti in adlato casu, vim intelligendi summam, qua omnia, quaecunque cognosci possunt, unico intuitu distinctissime intelligit. Caeterum infinitatem omnium realitatum in Deo existentium commune epitheton esse, per se ex dictis hucusque intelligitur.

§. 127.

Deus est immensus; sive per hanc vocem incommensurabilitatem perfectionum divinarum, sive omnipraesentiam Dei intellexeris. *Prob.* 1. Cum enim Deus omnes ob infinitatem suam compossibiles perfectiones possideat, nihilque eo concipi majus possit, manifestum est, Deo certam quamdam et determinatam perfectionum magnitudinem attribui non posse. Cum vero, quidquid non habet magnitudinem, cujus ratio ad aliam datam homogeneam magnitudinem investigari posset, id neque mensurari queat, intelligitur, perfectiones divinas mensurari non posse. Quae incommensurabilitas perfectionum divinarum, cum a quibusdam Dei immensitas vocetur, Deum immensum esse hoc sensu liquet. *Prob.* 2. *pars*, seu Deum altero quoque sensu, quo Is rebus omnibus

ac locis sine ullis limitibus praesens esse dicitur, immensum dici posse. Etenim 1. natura sua determinari ad existendum ubique citra omnem limitem ac circumscriptionem, inque id sibi sufficere, est certe genus quoddam purae perfectionis: enti igitur summe, ac infinite perfecto deesse nequit. 2. Deus est mundi, ejusque ordinis, tam physici, quam moralis auctor et rector, sed talis esse non posset, nisi omnipraesens sit: ergo secundo quoque sensu Deus immensus recte nominatur.

Scholion 1. *Objiciunt.* Qui propriam sedem habet in Coelo, non est ubique; atqui Deus etc. ut ipse sic testatur apud Isaiam: „Coelum sedes mea“ (*cap.* 66. *v.* 1.) Tum David: „Dominus, in Coelo sedes ejus“ (*Psalm* 10. *v.* 5.) Et alibi: „Coelum Coeli Domino; terram autem dedit filiis hominum“ (*Psalm.* 113. *v.* 6). Ergo Deus non est ubique. D. M. Qui propriam sedem habet in Coelo, exclusis aliis locis, non est ubique C. M. non exclusis aliis locis. neg. M. Cum sacrae litterae propriam veluti sedem Deo assignant Coelum, id solum indicant, quod peculiariter illinc manifestet suam gloriam, non vero, quod illinc solum adsit. Etenim diserte eundem in terra itidem, mari, inferno ac coelo esse dicunt: uti: „Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non coelum et terram ego impleo?“ (*Jerem.* 23. *v.* 24). „Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum; ades: si sumsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. (*Psalm.* 138 *v.* 7 *et seq.*) „Quae sane nonnisi de reali Dei praesentia proprie intelligi possunt: nec secus proinde cum iis, quae objiciuntur, conciliari, quam, si illa eam, quam ajebam, similemque significationem habere dicantur. *Urg.* Eaedem Divinae scripturae testantur, Deum de loco in locum moveri: ut *Genes.* 11 *v* 5. „Descendit Dominus, ut videret civitatem et turrim.“ Tum *Deuter.* 23. *v.* 14. „Dominus Deus ambulat in medio castrorum.“ At si ubique esset, nequiret sane moveri de loco in locum; non est igitur: videnturque scriptores sacri solo coelo agnoscere reipsa eundem contineri; cum autem in terra itidem, mari etc. esse dicunt, intelligere solum, quod hic quoque sit per scientiam et potentiam. R. Scriptores sacri locis illis, quibus motum tribuere videntur Deo, loquuntur metaphorice: non secus, ac illis, quibus pedes, manus, aliaque id genus corporea membra videntur tribuere: nec aliud per adventum ejus ad aliquem locum significare volunt, quam novum

ipsius in tali loco opus, aut peculiarem quamdam existendi rationem. Certe enim motus de loco in locum, vel immutabilitati ejus repugnat. Tum autem, si prima ex objectis sententiis presse et citra translationem sumatur, significat, Deum ad cognitionem quoque rerum opus habere, ut easdem accedat, quo quid absurdius de Deo diceretur?

Schol. 2. Ut immensitatis naturam exponerent, eamque cum simplicitate conciliarent, plurimum laborarunt Philosophi et Theologi, sed parum feliciter. Qua de re diversas in opiniones abiverunt Thomistae et Scotistae, quorum opiniones hic recensere non, at notare expedit, rationis humanae naturam parum in hoc puncto valere, satius proinde esse, ut in aliis plurimis, nostram confiteri ignorantiam. Caeterum, ne tam repugnans haec simplicissimae Dei substantiae per omnia diffusio nobis videatur; cavendum, ne imaginari illam potius, quam intelligere velimus. „Carnali, inquit hic Augustinus, resistendum est cogitationi, et mens a sensibus corporis avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut aër, aut lux diffunditur; omnis enim huiusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto: sed ita potius, sicuti est magna sapientia etiam in homine, cujus est corpus parvum. (*Vide Epist.* 57).

§. 128.

Deus est aeternus. Aeternum dicitur, quod nec initium habuit, nec finem est habiturum, atqui ens necessarium, seu Deus, nec initium habuit, nec finem est habiturum, ergo etc. 1. Quidem nullum fuit in eo initium: si quod enim habuisset, aliquando non extitisset; atqui absurdum est, ens necessarium aliquando non extitisse. A quo nimirum existentiam accepisset? an a se ipso? sed nihil potest sui ipsius esse causa. An ab alio? tum non foret ens necessarium, sed contingens, ergo Ens necessarium, seu Deus excludit omne initium. 2. Nec finem unquam est habiturus, ad hoc enim requireretur, ut sua ipsi aliquando tolleretur existentia, atqui illud prorsus impossibile est. Nulla quippe res attributo suo essentiali spoliari potest, atqui existentia enti necessario est essentialis, in ipsiusque idea conti-

netur; si quod enim concipi posset punctum temporis, quo non existeret, jam desineret esse necessarium, ergo sua existentia spoliari non potest, ac proinde nunquam finem est habiturum; aliunde nullum habuit initium: ergo non potest non esse aeternum, ergo etc. Hinc perspicuum fit: 1 nihil extitisse prius, quam Deus existit, sive ante Deum non potuisse quidquam existere, item post Deum non existere quidquam posse. Cum vero ejusmodi ens, ante et post quod non exstitit aliud, vocetur primum et ultimum, Deum et primum et ultimum ens esse patet. 2. Aeternitatem Deo ita propriam esse, ut nulli creaturae possit convenire; omnis enim creatura est effectus creationis, effectus creationis educitur e nihilo; quod extrahitur e nihilo, aliquando fuit in nihilo; quod aliquando fuit in nihilo, non semper exstitit, quod non semper exstitit, non potest esse aeternum: ergo a prima ad ultimam, nulla creatura potest esse aeterna. Res illustratur ista hypothesi: Ponamus enim mundum fuisse ab aeterno conditum, in hac hypothesi sol in aliquo zodiaci puncto v. g. in principio arietis creatus fuit, et post annum elapsum ad idem punctum rediit. Hoc posito sic argumentor: Quando sol in principio arietis creatus, elapso anno ad illud rediit, dici potuisset: unus duntaxat annus est, ex quo mundus fuit procreatus: atqui id nunquam de mundo dici potuisset, si ab aeterno fuisset creatus. Cum enim tunc mundus Deo foret coaevus, dici etiam potuisset: unus duntaxat annus est, ex quo primum existit Deus, atqui illud de Deo pronunciari potuisse ridiculum perinde est ac impium: ergo mundus non potuit ab aeterno procreari, nec proinde est aeternus, consequenter aeternitas

Deo ita propria est, ut nulli creaturae possit convenire.

Scholion 1. Multa inter Philosophos de Dei aeternitate et valde obscure, et valde inutiliter disputantur: nobis id unum commonuisse satis sit, aeternitatem Dei minime conflari e temporis dividui momentis, veluti continenter fluentibus: sed esse interminatae vitae totam simul et perfectam possessionem, ut loquitur Boetius: nihil proinde in ea esse antecedens, nihil consequens, praeteritum, nihil futurum; comparate ad nos ista dicuntur; Deus cuncta habet sibi praesentissima: verbo: aeternitas illa est perpetua, immutabilis ac perfectissima ipsius Dei vita. Eleganter hanc in rem S. Augustinus. „Anni Dei aeternitas Dei. — Ibi nihil est praeteritum, quasi non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit, sed non est ibi, nisi est. Non est ibi fuit, et erit; quia et quod fuit, jam non est; et quid erit, nondum est: sed quidquid ibi est, non est, nisi est." (*Serm. 2. in psal.* 101). Et alibi, cum Deum sic alloquitur: „Praecedis omnia praeterita celsitudine semper praesentis aeternitatis, et superas omnia futura: quia illa futura sunt, et cum venerint, praeterita; Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt. — — — Anni tui dies unus, et dies tuus non quotidie, sed hodie: quia hodiernus tuus non cedit crastino; neque enim succedit hesterno: hodiernus tuus aeternitas. (*lib. XI. Confess. num.* 16. *alias cap.* 13). — Deum porro primum et ultimum ens, sacra quoque contestatur scriptura sequentibus verbis:

„Ego sum Alpha et Omega
Principium et Finis. —
Ego sum Alpha et Omega,
Primus et Novissimus,
Principium et Finis."

Apocal. C. I. et C. XXII.

„Dicebant ergo ei: Tu quis es?
Dixit eis Jesus: Principium,
Qui et loquor vobis."

Joan. C. VIII.

Sic enimvero ipsa recte modulatur Philosophia apud Boeth. *L. III. Met. IX.*

„Da Pater augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus!
Dissice terrenae nebulas et pondera molis,
Atque tuo splendore mica: Tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis: Te cernere Finis,
Principium, rector, dux, semita, terminus idem."

Schol. 2. *Objiciunt.* Creatio est possibilis ab aeterno: ergo creatura potest esse aeterna. ℟. D. A. Creatio est possibilis ab aeterno pro tempore C. A. ab aeterno pro aeterno N. A. Creatio non est possibilis ab aeterno et pro aeterno, ita, ut illius effectus, sive creatura ab aeterno esse potuerit. Quod enim debuit esse aliquando nihil, non potest esse ab aeterno: atqui creatura quaelibet debuit aliquando esse nihil; siquidem e nihilo eam fuisse eductam oportuit: creatio quippe est productio substantiae ex nihilo tum sui, tum subjecti. *Urg.* Creatio fit per modum imperii, hoc scilicet verbo fiat; atqui verbum illud potuit effectum aeternum sortiri; ergo creatio est possibilis etiam pro aeterno. ℟. N. m. Per verbum enim illud Dei imperantis fiat. substantia, quae in nihilo erat, incepit existere: sed quidquid incepit existere, aeternum esse non potest: siquidem ens aeternum est, quod initio et fine caret. *Urg.* Verbum illud Dei jubentis, fiat mundus, potuit ab aeterno proferri; verum statim atque profertur, suum habet effectum, ergo potuit sortiri aeternum effectum. ℟. D. M. Potuit ab aeterno proferri pro tempore C. M. pro aeterno N. M. Deus non potuit verbum illud fiat mundus, ab aeterno proferre pro aeterno. In hac quippe hypothesi mundus esset simul, et non esset aeternus; esset, ut supponitur; non esset, quia post unius anni lapsum dici potuisset: „ante unum annum mundus non existebat" ut in probatione ostendimus. *Urg.* Si verbum illud fiat mundus, non potuisset ab aeterno et pro aeterno pronunciari, id oriretur vel ex defectu potentiae in Deo, vel ex defectu possibilitatis in mundo, atqui neutrum dici potest; siquidem Deus semper fuit omnipotens, et mundus possibilis, ut patet: ergo verbum illud: fiat mundus ab aeterno et pro aeterno proferri potuit ℟. D. M. quoad 2. partem: Vel ex defectu possibilitatis in mundo pro aeterno C. M. pro tempore N. M. dist. par. m. Mundus fuit quidem ab aeterno possibilis pro tempore, nequaquam autem pro aeterno. Repugnat enim mundum ab aeterno extitisse. Id lepide, sed tamen efficaciter sic demonstrat Scriptor Gallicus Cochet:" Si mundus est aeternus, vel ova extitissent ante aves, vel aves ante ova. Si ova extitissent ante aves, vel exstitissent ante illas per totam aeternitatem, vel saltem determinato quodam tempore. „Si non extitissent ante aves, nisi aliquo determinato tempore, mundus et ova non extitissent ab aeterno. Si ova extiterunt ante aves per totam aeternitatem, nunquam extitissent, seu haberentur aves. Simili ratiocinio probari potest vicissim, repugnare, ut aves antequam ova essent, existerent, vel potius exstiterint." *Obj.* Effectus potest esse suae causae coaevus, ut lumen soli; ergo creatura potest esse Deo coaeva, et proinde aeterna. ℟. D. A. Effectus potest esse suae causae coaevus, si causa sit temporalis C. si aeterna N. effectus enim suae causae, si aeterna sit, coaevus contradictionem involvit. Namque repugnat idem esse simul et non esse; atqui effectus caussae suae aeternae coaevus, esset simul

et non esset aeternus. Foret quidem aeternus, utpote causae suae, quae supponitur aeterna, coaevus; non foret autem aeternus, utpote eductus e nihilo, tum sui, tum subjecti, ac proinde aliquando fuisset in nihilo, ergo etc.

§. 129.

Deus est substantia ab omni materiae compage segregata. Manifestum namque est, materiam multimodis esse imperfectam; quodsi ergo Deus ulla sui parte ex hac constaret, deficeret a summa perfectione. Praeterea Deus est pura mens, ni enim esset, aliqua sui parte esset ens ratione destitutum, consequenter deficeret iterum a summa perfectione; atqui mens, ut alias vidimus, nequit esse materia, Deus igitur nulla sui parte est materia. Denique totus Deus est a se, quod materiae nequit convenire, nihil igitur Dei est materia. Et omnis compositionis expers, seu simplicissimus. Cum enim 1. Deus ob aeternitatem, nec initium, nec finem existendi habeat, adeoque nec oriri, nec interire, ens autem compositum per combinationem partium oriri, et per earundem dissolutionem interire ac dividi queat, consequens est, Deum ens compositum esse non posse; cumque omne ens vel compositum, vel simplex sit, nil aliud superest, quam ut Deum ens esse simplex ajamus. 2. Deus non componitur ex distinctis substantiis, tamquam suis partibus, vel namque singulae hae substantiae essent seorsim infinite perfectae, vel non. Si non: nulla haberet in se summam ad existendum sufficientiam: quaelibet proinde ipsarum, consequenter totus Deus, existere deberet ab alio, et vel ideo non esset Deus. Si autem singulae essent infinite perfectae, singulae

essent Deus: itaque ex pluribus Diis componeretur unus: quod repugnat; repugnat namque inprimis per dicta, dari plures Deos; repugnat dein, eosdem sibi ad unum efficiendum uniri: hoc ipso quippe, quod quilibet illorum esset Deus, quilibet esset plene independens ab alio: hoc ipso autem, quod necessario sibi unirentur, (sic namque deberent uniri, cum Deus, quem constituerent, debeat esse ens necessarium)necessario abinvicem penderent, quae sunt pugnantia. Nec 3 componitur ex pluribus attributis, sive perfectionibus inter se reapse distinctis. Perfectiones quippe has nulla est sufficiens ratio inter se reapse distinguendi; nihil aliud igitur dicendae sunt, quam una eademque simplicissima Dei natura, ex diversis aspectibus et relationibus a nobis considerata, sicque diversis nominibus insignita. Nec denique 4. compositio quaedam est in ipso ex natura sua, et operationibus internis, uti cogitationibus, volitionibus. Operationes namque hae non sunt, nisi ipsa ejus substantia certo ac invariabili modo se ex sua determinatione partim necessaria, partim libera habens; etenim operationes hae pertinent ad ipsius perfectionem; igitur si essent quid ab ejus substantia distinctum, indigeret is ad sui perfectionem aliquo a se distincto: sed hoc repugnat summe ac infinite perfecto enti. Vel si libuerit, sic quoque argumentari licebit. Si Deus compositus foret ex partibus, vel quaelibet esset ens necessarium, vel quaelibet contingens, vel una pars necessarium, alia contingens; si primum: tot essent Dii, quot entia necessaria, seu partes, quod repugnat; si secundum: tunc ex mera partium contingentium coagmentatione conflari posset ens ne-

cessarium, quod pariter repugnat; ex meris enim entibus contingentibus nonnisi ens contingens exurgere potest, cumque tale interitui obnoxium sit, Deus interitui obnoxius foret. Si tertium: tunc Deus illa sui parte, qua contingens esset, interitui obnoxius foret, qua autem est ens necessarium, in omnem aeternitatem superstes maneret, quod absurdum pariter esse, nemo non videt. Deus itaque non est compositus ex partibus, verum ens simplicissimum. Praeterea si Deus pars alicujus compositi foret, cum quaelibet pars dependeat a toto, Deus a toto dependeret, cum itaque omnis dependentia Deo repugnet, nec pars alicujus compositi esse potest: Refellitur his error eorum, qui Deum 1. mere materialem esse statuerunt; 2. qui Deum asserebant esse animam mundi. 3. Antropomorphytarum haereticorum, qui ex perversa divinarum litterarum interpretatione Deo corpus et organa sensoria tribuebant.

Scholion 1. Quamvis nulla sit in Deo compositio physica, quia tamen ob imbecillitatem mentis nostrae concipiuntur ejus attributa, velut ipsius partes diversae; convenit eidem compositio logica: verum haec nihil officit illius simplicitati, cum in ideis solum nostris sit, non autem in ipso.

Schol. 2. *Objiciunt.* Ille est corpus, cui Scripturae tribuunt corporum proprietates, nempe magnitudinem, oculos, brachia, aures: atqui haec omnia Deo passim tribuunt Scripturae ergo. R. D. M. idque vere et proprie C. metaphorice neg. dist. par. m. Hujusmodi locutiones ad litteram proprioque sensu non sunt accipiendae, sed metaphorice. Cum enim Deus sit spiritus, pauci vero homines res ab omni materia secretas animo valeant assequi, Scriptura, ut mentis humanae imbecillitati se se accomodet, divinas perfectiones sub variis corporis imaginibus exhibet. Sic v. g. per magnitudinem, Dei immensitas; per oculos Scientia, cui patent omnia; per manus et brachia, omnipotentia designantur. Ipsa scriptura nos monet, hujusmodi imagines non esse crassiori humanoque sensu intelligendas, „Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis? (*Job.* 10. 4). *Obj. ex Genesi* (*cap.* 1). „Homo factus est ad imaginem et similitudi-

nem Dei" atqui homo constat corpore et anima, ergo et Deus. ℟. D. M. Homo factus est ad imaginem Dei, ratione, vel animae solius, vel dominii, quod in caeteras creaturas accepit C. ratione corporis. n e g. Ex Patribus enim alii istam hominis cum Deo similitudinem constituunt in nobiliori hominis parte, id est, in anima rationali; alii in dominio, quod homini in caeteras res creatas concessum est. Namque post ista Genesis verba: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram" Deus statim addit, „et praesit piscibus maris, et volatilibus, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra. (*Genes.* I. 26).

Schol. 3. P a n t h e i s t a e totam hanc rerum universitatem Deum esse contendunt. Benedictus Spinoza, qui hujus systematis vexillifer est inter recentiores, unam tantummodo existere statuit in hoc mundo substantiam, eamque aeternam, conflatam ex infinita cogitatione, et materie, ipsamque Deum esse, caeteras vero res partes esse, aut modificationes attributorum Dei. I t a p o r r o i p s e a r g u m e n t a t u r. Plures substantiae repugnant. Si enim plures existerent substantiae, cum omnes a se esse nequeunt, altera deberet ab altera produci. At vero hoc repugnat. „Nam per substantiam intelligo (inquit Spinoza (*Ethices Part.* I. *Definit. III.*) id, quod in se est, ac per se concipitur, hoc est, id, cujus conceptus non eget conceptu alterius rei, a quo formari debeat." Hinc cum juxta ipsius Spinozae (*Ethices Part. I. Ax. IV*). principia, effectus cognitio a cognitione causae dependeat, et eandem involvat, si una substantia esset ab altera producta, atque idcirco una esset alterius causa, jam substantiae, quae produceretur, cognitio penderet a cognitione causae eam producentis, tamquam cognitio effectus a cognitione causae suae. Substantia itaque producta esset substantia ex hypothesi, et simul non esset substantia, quippe ipsi substantiae definitio non conveniret; quod cum repugnet, falsum itidem erit unam substantiam ab altera posse produci, pluresque idcirco existere substantias. ℟. In hac Spinozae argumentatione, quam ipse in sua Ethica (*Part. I Prop. VI.*) habet, plura sunt animadvertenda; et primo ad examen revocanda est substantiae definitio: „per substantiam intelligo id quod in se est" ait Spinoza: sed quaeso, quo in sensu illud i n s e intelligit? Nam et p e r s e, et a s e potest significare. Si i n s e idem significat, ac p e r s e, manus damus amicas; revera enim per se existit substantia sive ita existit, ut alio subjecto non indigeat ad subsistendum. At si i n s e idem significat ac a s e, inprimis eam substantiae definitionem adfert, quae a communi omnium philosophorum sensu aliena est, tum eam minime probat, sed tantum ambiguitate vocabuli nititur insinuare. Nemo autem videt, Spinozam illud tamquam certum assumere, quod est in quaestione, scilicet substantiam id tantum esse, quod a se existit, unamque proinde esse oportere. Hinc

comminiscitur substantiae conceptum, a conceptu alterius rei pendere; substantias ejusdem, aut diversi attributi repugnare: substantiam esse debere infinitam. Recte igitur Heineccius dolosam arguens substantiae definitionem a Spinoza prolatam: „pessime ergo, inquit, Benedictus Spinoza substantiam definit rem a se subsistentem. Unde totum Pantheismi systema huic falsae definitioni inaedificatam sua mole ruit." (*Opera. omnia. Tom. III. Element. Logices. Sect. II. Cap. II. §. XXX).*

Schol. 4. Cum simplicissima sit Dei substantia, non magnitudinem habet, aut figuram; non implet spatium; non potest dirimi, nec in partes distrahi; nequit internis motibus agitari; cuncta denique Deo conveniunt, quae de ente simplici in Ontologia dicta sunt. Si quis latius haec pertractata legere desiderat, consulat Gerdilium (*in dissertatione de existentia Dei etc.*) Antonium Genuensem (*Elem. Metaphys. Tom. V. Dissert. III*), aliosque, qui fusius de hoc argumento scripsere.

Schol. 4. Spinozae propositionis, cui tamquam basi totum illius systema innititur, unicam saltem esse in rerum natura substantiam, Deumque esse illam unicam et universalem mundi substantiam, falsitatem jam alibi indicavimus; ut haec clarius adhuc eluceat, et impium hoc systema radicitus evellatur, ac corruat, specialibus adhuc sequentibus argumentis id commonstrare nitimur. 1. Ex ipsa definitione substantiae, falsitas antelatae propositionis colligitur. Definit enim, ut mox vidimus, Substantiam esse id, quod in se est, et per se concipitur, hoc est, id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat. Ergo res extensa et cogitans res duae sunt distinctae substantiae: non vero, ut ille vult, vel Dei attributa, vel affectiones attributorum Dei; quia nempe una sine altera recte concipitur, res scilicet extensa, sine re cogitante, et vice versa res cogitans, sine re extensa. Adeo nempe haec duo disparata sunt, et distincta inter se, ut a se mutuo non pendeant, ut cognoscantur. 2. Fatente ipso Spinoza, homo cogitat; sed hominis cogitatio non est essentiae divinae, aut attributum, aut effectio, seu modus, ergo est distincta substantia, seu quid a Deo distinctum. Minor propositio videtur ex se clara et certa 1. quia modus entis, concipi non potest sine ente, cujus est modus: atqui hominis cogitatio concipi potest, seu intelligi absque eo, quod concipiatur, seu intelligatur Deus, ergo non est Dei modus. 2. Quia nulla est in Deo limitatio, nulla imperfectio, cum sit infinitus in omni genere imperfectionis fatente ipsomet Spinoza Propositione 11. et 16. Atqui nemo non experitur hominis cogitationem finitam esse, limitatam, et valde imperfectam, non potest ergo Dei esse aut attributum, aut modus: ergo est quid a Deo distinctum, sive substantiam dicas, sive substantiae a Deo distinctae actionem. 3. Unica illa Spinozae substantia

vel est extensa et pure materialis, vel intelligens ac mente praedita. Si prius: tunc coeca est, stupida, iners, quae ex se se nec motum habet, nec formam ullam. Si vero ita, (quod de Deo cogitare insana est absurditas) unde tot ipsius formae, tot modi, tot affectiones? Ex necessitate naturae ipsius reponet Spinoza: at verba sunt sensu vacua. Quaero enim, unde illa naturae necessitas? Unde entis cujuslibet singularis limitatio? Quippe quod est a se, nec ullam sui causam habet, limitari non potest. A quo enim limites illos haberet, cum nihil aliud, a quo sit, supponatur? Quaero rursus: unde tam pulchra tamque ordinata et constans hujus mundi compago, si nulla sit suprema mens, atque intelligentia, qua effectrice et praeside haec omnia et producta sint et regantur, et conserventur? Non minus certe absurdum est, fingere res tam ordinate, tam sapienter, ac constanter dispositas esse a fortuito casu, quam a coeca quadam et stupida necessitate. Quid dicam de unione animae cum corpore? Hanc non negat Spinoza. Unde porro stupenda illa naturae spiritualis cum materiali conjunctio? Non a se ipsis haud dubie, adeo enim indole ac natura distant a se invicem, ut coire nunquam, ac coadunari inter se potuisset, nisi supremus et infinitae virtutis opifex Deus adjutricem manum apposuisset. Quaero iterum, unde sit illa cogitandi facultas, quae homini innata est? An ex substantia materiali et extensa? Sed quid absurdius dici potest? Nusquam enim ex materia, quicunque tandem in ea motus, quaecunque supponatur modificatio, cogitationem elicies; adeo haec duo disparata sunt et distincta. Neque dicas, cogitationem, ut et extensionem, duos esse ejusdem substantiae modos; quasi unius et ejusdem substantiae possent simul duo esse modi tam contrarii, tamque oppositi. Quodsi substantiam illam intelligentem et cogitantem supponat Spinoza: quare ergo dicit illam coeca et stupida quadam naturae suae necessitate ad hoc vel illud determinari? Quis haec unquam conciliabit? Abyssus undique, unde extricare se, ac expedire nunqnam poterit systematis Spinozae defensor. 4. Nulli possunt in Deo esse modi; quia modus omnis ex se se rei modificatae aliquid superaddit; quod quidem sine aliqua mutatione fieri non potest: sed ab ente perfectissimo, qualis Deus est, omnis procul exulat imperfectio, ipsomet fatente Spinoza. 5. Si aliqui forent in divina substantia modi, necesse foret eos infinitos agnoscere, nullumque possibilem excogitari posse, qui in ipsa desideretur; id ultro fatetur Spinoza Prop. 11. et 16. Atqui tamen idem Spinoza negat dari aliquos simplices spiritus, ut patet ex Epistolis ipsius 56. et 58. neque tamen implicat concipere simplices spiritus esse possibiles: sibi ergo manifeste contradicit; nec bene secum cohaeret, quod excogitavit, impiae doctrinae systema. 6. Extensio non potest esse divinae substantiae vel attributum, vel modus; quia extensionis sunt variae partes, et quidem divisibiles, alterationi et mutationi obnoxiae:

atqui nemo sanae mentis hujusmodi imperfectiones divinae substantiae adscripserit. Frustra reponit Spinoza, substantiam, ut est substantia, non esse divisibilem, sed tantum ut est extensa: esto ita sit. Verum, cum extensio modus sit, vel attributum Deo necessarium, et ab ejus substantia inseparabile, necesse est agnoscere divinam substantiam reipsa, et formaliter extensam esse, ac consequenter in plures partes esse divisibilem. In eo fallitur Spinoza ac peccat, quod substantiam metaphysice et abstracte consideret; cum reipsa, ut talis, est in se, physice ac in concreto spectanda sit. Sic vero considerata extensa est; omnesque extensionis imperfectiones secum importat, et involvit. 7. Si Deus est unica et universalis mundi substantia, sequitur manifeste, omne, quod existit, formaliter in Deo esse, et quidem ex necessitate naturae ipsius; adeoque Deum formaliter esse plantam, lapidem, leonem etc. omnibus imperfectionibus eum subjacere, quibus entia illa subjacent: at nihil potest fingi magis insanum et impium. 8. Si unica est in rerum natura substantia, quae Deus est, fatendum erit, omnia et singula individua simul ac semper in Deo extitisse, nihilque de novo produci. Probatur: quia ex propositione 19. Spinozae, nullum in rerum natura datur contingens; et ex Propositione 16. ex necessitate divinae naturae infinita infinitis modis sequi debent: ergo, cum omnia illa entia singularia totidem sint divinae substantiae, aut divini alicujus attributi modificationes, eadem prorsus necessitate extitisse semper necesse est, qua divina ipsa substantia. Parum juvat, quod reponit Spinoza, illa omnia singularia, non esse a Deo immediate, sed mediate duntaxat, ex caussis scilicet externis, quae ipsis sunt occasio, ut existant. Namque 1. Quae sint illae caussae externae in mente Spinozae, vix assignari potest: quandoquidem docet, ille nihil omnino esse extra divinam substantiam. 2. Parum refert, an immediate, vel mediate tantum illa omnia ex Deo esse asserantur: modo istud certum sit, ea ex necessitate divinae substantiae dimanare, saltem tamquam varias illius, aut alicujus divini attributi affectiones, seu modificationes. 3. Fingit Spinoza caussas illas externas, quae singularibus existendi sunt occasio, esse numero infinitas, cum in Deo nihil sit, nisi infinitum: at non advertit ille, nullum unquam effectum futurum, si caussae infinitae percurrendae forent; infinitum enim exhauriri non potest. 9. Denique cum Deus sit ens perfectissimum, quo nihil melius, ne ipso quidem diffitente Spinoza, mirum certe illud videri debet, qua ratione illum mente, intelligentia, providentia, sapientia, consilio, libertate, finis intentione spoliaverit. Vult enim omnia, et singula entia, coeca ac stupida quadam necessitate, ab ejus natura erumpere, sicut erumpit v. g. lumen a sole, fructus ab arbore, rivus a fonte etc. Quid vero magis impium et insulsum? Verum piget in tot deliramentis ac impiis figmentis serio confutandis diutius immorari. Ex quibus omnibus consequitur, Deum nequaquam mundum, seu ens

compositum, verum simplex esse; et cum intelligentia ac libera voluntate gaudeat, spiritualem substantiam, expertem omnis compositionis physicae, sive ex materia et forma, anima et corpore, sive ex partibus quantitativis, aut integrantibus, sive ex subjecto et accidente. Id quod Scripturae testimoniis plurimis comprobatur. Sic JOANNIS, ut caetera missa faciam, 4. v. 24. dicitur: „Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.“ *Secundae Corinth.* 3. *v.* 17. „Dominus autem spiritus est“ etc.

§. 130.

Deus gaudet scientia infinita, sive omniscientia; nec non ratione et sapientia infinita. *Prob.* I. Qui omnia, quae sciri possunt, perfectissime cognoscit, scientia infinita gaudet: sed, qui uno actu omnia cognoscibilia sibi distinctissime repraesentat, scit perfectissime omnia, quae sciri possunt; igitur, qui uno actu omnia cognoscibilia sibi distinctissime repraesentat, scientia infinita gaudet; sed Deus uno actu omnia cognoscibilia sibi distinctissime repraesentat, ergo Deus scientia infinita gaudet. *prob. m.* Deus gaudet intellectu infinito, semperque agente ergo etc. *Prob.* 1. *pars a.* Cum enim Deus sit ens absolute perfectissimum, omni possibili perfectione, sive realitate praeditus sit, oportet: atqui intellectus est certe perfectio quaedam possibilis, sive realitas; igitur Deus intellectu pollet. Hunc porro intellectum esse infinitum, eadem rationis conclusione efficitur, ac proin intellectus Dei, quaecumque intelligi possunt, distinctissime sibi repraesentat. *Prob.* 2. *pars a.* seu Intellectum Dei semper agere. Si enim intellectus divinus aliquando ab omni actione quiesceret, esset etiam aliquod tempus, quo Deus, nec se ipsum, nec alia cognoscibilia sibi repraesentaret, ac proinde, quo nihil penitus cognosceret; atqui istud vehementer

cum infinita Dei perfectione pugnare, nemo non videt, intellectus igitur Dei semper agit; non itaque per modum facultatis, ut nobis hominibus, sed per modum actus Deo tribuendus est. II. Deus gaudet ratione infinita. Cum enim Deus omnia cognoscibilia perfectissime cognoscat, necesse est, ut etiam omnem possibilem cunctarum veritatum nexum distinctissime perspiciat, quare cum hoc sit rationis infinitae munus, gaudere Deum ratione infinita perspicuum est. III. Deus gaudet sapientia infinita. 1. Deus gaudet omniscientia, igitur perfectissime cognoscit, qui fines sint optimi, quae media ad optimos fines accomodatissima, qui demum optimus ea subordinandi modus; sed in perfectissima horum cognitione infinita sapientia sita est; ergo Deus infinita quoque sapientia praeditus est. — 2. Ens, a quo derivatur, quidquid est in creaturis rationalibus intelligentiae, rationis et sapientiae, has perfectiones in eminentiori gradu complecti debet: atqui omnis creaturarum rationalium intelligentia et sapientia a Deo dimanat, siquidem eas creavit, ut probavimus; ergo utramque in longe excellentiori gradu habeat, necesse est. 3. Ens illud est summe intelligens et sapiens, quod suis operibus mirabiles impressit intelligentiae et sapientiae characteres: atqui splendida utriusque indicia passim occurrunt et emicant in Dei operibus, id est, in orbe universo, ut ex iis compertum est, quae adversus Atheos exposuimus; ergo.

Scholion 1. Intellectus Dei actus est, et simplicissimus et purissimus: ex eo, quod simplicissimus sit Dei intellectus, quidquid intelligit, tota aeternitate, non successive, sed simul omnino intelligit: ejusque infinita ac indivisibilis cognitio omnia praeterita, praesentia et futura simul repraesentat, ac infinitis omnino creaturarum exi-

stentium et possibilium cognitionibus aequivalet, imo eas omnes eminenter comprehendit. Ex eo autem, quod purissimus sit, nihil confusionis, proinde nihil imaginationis, ac sensationis admistum habet: sed ipsas etiam creaturarum sensationes ac imaginationes eminenter, subinde purissime et distinctissime repraesentat: ex eo, quod simplicissimus, ac purissimus simul sit, idem divinus intellectus nec abstrahit, nec ratiocinatur: quia nec unum sine altero, nec unum ex altero, sed omnia simul immediate in se ipsis, seu potius in ipsa sua divina essentia cognoscit.

Schol. 2. Infallibilitas, seu veritas Dei in cognoscendo, est ejusce plena perfectaque ab omni errore ac errandi periculo immunitas, omniscientiae ac sapientiae divinae absolute et necessario conveniens, fluitque ex claritate, distinctione, et adaequatione cognitionis divinae: sicut e contrario errores omnes nostri ex eo oriuntur, quod objecta nobis proposita, vel obscure, vel confuse, vel inadaequate cognoscamus; qui defectus utique a Deo infinito intervallo absunt.

Schol. 3. Scientia Dei, licet ratione sui unica et simplicissima, multiplex tamen distinguitur, juxta nostrum concipiendi modum, et pro diversitate objectorum, quae attingit. Res autem aliae sunt mere possibiles, et nunquam extiturae; aliae, vel olim extiterunt, vel nunc existunt, vel aliquando extiturae sunt. Scientia, qua Deus videt res mere possibiles, dicitur scientia simplicis intelligentiae; quia in iis versatur, quarum nulla fuit, nec est, nec erit existentia, et quae ad intelligentiam tantum pertinent. Scientia vero, qua Deus cognoscit res, quae vel fuerunt, vel nunc existunt, vel futurae sunt, vocatur scientia visionis; quia per eam Deus contemplatur res existentes, et quasi oculis subjectas. Haec est celeberrima divinae scientiae divisio, sed inter utramque illam scientiam, aliam admittunt Molinae sequaces, quam ideo mediam vocitant; eam scilicet, per quam Deus futura libera cognoscit, quae ab aliqua conditione pendent, licet non existente; qualis est conversio Tyriorum et Sydoniorum, quam Christus futuram fuisse praedixit, ex hyyothesi, quod apud ipsos ea miracula patrarentur, quae patrata fuerant apud Corozaitas, et Bethsaiditas. Scientiae, inquiunt, suis objectis discriminantur; futura autem libera, quae alicui conditioni alligantur, neque sunt objectum simplicis intelligentiae, quae circa mere possibilia, et nunquam extitura versatur; neque scientia visionis, quae res citra ullam conditionem extituras attingit. Unde concludunt, futura illa conditionalia pertinere ad scientiam aliquam, quae mediam veluti sedem occupat, inter scientiam simplicis intelligentiae, et scientiam visionis. Per scientiam mediam Deus, tamquam callidus indagator, explorat, quid creatura libera in his vel illis circumstantiis factura sit,

in formandisque suis decretis ita dirigitur, ut certo finem suum assequatur, libertatemque humanam servet integram. In eandem vero scientiam invehuntur alii, ut in Philosophia inutilem, in Theologia novam, et S.S. Patrum doctrinae oppositam. Haec igitur controversia duplici modo spectari potest 1. philosophice, si nimirum generatim quaeratur: an quaedam sint futura conditionalia, quae medium locum teneant inter res mere possibiles, et res aliquando extituras, ac proinde utrum, inter scientiam simplicis intelligentiae, et scientiam visionis interponenda sit media scientia, quae hujusmodi futura sibi vindicet? 2. Considerari potest theologice, et speciatim, quatenus connexionem habet cum gratia et praedestinatione. Posteriori illo sensu accepta, quaestio est apud Theologos gravis momenti; sed intra Philosophiae limites non continetur. Priori autem modo spectata, juris est nostri, totaque ad Philosophos pertinet. Quapropter nostram idcirco mentem aperimus, negamusque admittendam esse scientiam mediam, quod sic probamus: Non est admittenda in Deo scientia media, si accurata et integra est divinae scientiae divisio in scientiam simplicis intelligentiae, et scientiam visionis; atqui accurata est ista divisio; siquidem inter ipsius membra nullum datur medium; namque duas inter scientias, quae conjunctim sumtae complectuntur, quidquid est intelligibile, profecto non intercedit alia media, atqui scientia simplicis intelligentiae et scientia visionis simul sumtae omnia intelligibilia involvunt; quidquid enim intelligibile est, vel mere est possibile, vel in aliqua temporis differentia existens, id est, aut fuit, aut nunc existit, aut aliquando futurum est, atqui scientia simplicis intelligentiae attingit, quidquid est mere possibile, nec unquam extiturum; scientia autem visionis circa omnia ea versatur, quae vel extitere, vel existunt, vel extitura sunt: ergo etc. Et vero, si inter utramque praefatam scientiam media quaedam esset admittenda, haec foret maxime scientia conditionaliter futurorum, ut volunt adversarii: atqui hujusmodi scientia ut media haberi non potest; nam conditio, ex qua pendent haec futura, vel ponenda est, vel non; si primum: ipsa vere sunt futura, et ideo pertinent ad scientiam visionis; si secundum: tunc nunquam existent, et mere possibilia sunt, proindeque ad scientiam simplicis intelligentiae referenda: accurata igitur et integra est divinae scientiae divisio in scientiam simp. intell. et scientiam vis. ergo prorsus est inutilis scientia, quae dicitur media, ac proin non est admittenda.

Schol. 4. Jam dudum scholas exercuit praesens controversia, ab an. scilicet 1588 quo primum in lucem prodiit Liber Ludovici Molinae e Soc. Jesu de concordia liberi arbitrii cum gratia, in quo systema scientiae mediae clare ac nitide evolvit. Molinae quippe jam nonnulli praeluserant. In Hispania Prudentius de Monte major, in Germania Gregorius de Valentia, et in Bel-

gio Leonardus Lessius. Verum adversus Librum Molinae de Concordia, maxime exarsit zelus, ac studium Thomistarum. Hinc acris illa disputatio inter Patres Dominicanos ex una parte, et Patres Soc. Jesu ex altera; cujus quidem quaestionis occasione, habitae sunt celebres illae Congregationes de Auxiliis coram S. S. Pontificibus Clemente VIII. ab an. 1598 usque ad an. 1605, quo extremum diem obiit, et Paulo V. a die 20. Sept. an. 1605 usque ad diem 28. Augusti 1607, quo finis impositus tandem fuit illis Congregationibus; et triduo post, ex mandato Pauli V partes litigantes dimissae sunt, ac intra religiosae modestiae fines se continere jussae, nulla sibi invicem inusta erroris nota, nullo etiam a Sancta Sede lato eam in rem definitivo Judicio.

Schol. 5. Ulrich *(in suis initiis Philosophiae de natura divina pag. 96. et 97.)* ait. „Mediae scientiae cogitatio est merus Antropomorphismus. Ardelione Scholastico digna erat quaestio, quid tamen futurum fuisset, si Adamus non peccasset, sed non philosopho, simul atque, aliter evenire non potuisse intelligit; multo minus in Deum ejusmodi aliqua cogitatio cadit. Omnis nostra cogitatio alius nexus, qui esse potuerit, ex eo est, quod pugnam, et quod inest, incongrui, non statim intelligamus, quae tamen confestim teneremus, si universam, quae esse potest, omnium conjunctionem distinctissime complecteremur, nec partem tantum. Hinc interdum talia in mentem veniunt otiosa: Quid si tu 15. Saeculo vixisses? Quid si hic vel ille nostrae aetatis zelotes Calvini tempore et loco fuisset? Sed hae profecto sunt nugae.“ Illinc, si placet, legere potes etiam examen distinctionum intellectus divini primitivi, medii et finalis.

§. 131.

Deus est immutabilis. *Prob.* 1. Deus est ens perfectissimum, quo nihil melius: sed ens perfectissimum nullo modo potest mutari; omnis quippe mutatio imperfectionem involvit: namque vel fit in melius, vel in pejus, vel in aequale. In melius Deus mutari non potest; quia non esset optimus: non in pejus; quia desineret esse perfectissimus: non in aequale, quia aliquid, aut relinqueret, aut de novo acquireret, utrumque summae Dei perfectioni et simplicitati adversatur, ergo. 2. Ille

est prorsus immutabilis, qui nec ratione existentiae, nec ratione perfectionum, nec ratione consilii mutari potest, atqui Deus nec etc. 1. quidem mutari non potest ratione existentiae, cum ex necessitate naturae existat; 2. nec ratione perfectionum, cum nequeat aut novas acquirere, aut habitas deperdere; namque Deus semper et ex sua natura est summe perfectus, ut probatum fuit: atqui si novas perfectiones acquireret, aut jam habitas amitteret, neque semper, neque ex sua natura esset summe perfectus, ergo. 3. Deus mutari non potest ratione consilii. Ille enim est suis in consiliis prorsus immutabilis, qui omnia sua decreta tulit ab aeterno, eaque jam posita rescindere nequit; atqui talis est Deus; sua quidem decreta tulit ab aeterno; alioquin in eo secus admitti posset aliqua mentis suspensio; atqui id repugnat; quaelibet enim animi suspensio suam ducit originem vel ex ignorantia, vel ex impotentia, vel ex metu, vel ex levitate: atqui nihil horum in Deum cadere potest: non ignorantia: est enim summe intelligens; non impotentia, vel metus: siquidem est summe potens; non denique levitas: est namque summe sapiens, ergo nulla potest admitti in Deo mentis suspensio, ac proinde omnia sua decreta tulit ab aeterno. Praeterea si decreta semel constituta revocaret ipsi occurrere deberet nova, cur sic ageret, ratio prorsus incognita; atqui nihil novum et improvisum advenire potest Enti supremo, quippe quod omnia novit per summam suam intelligentiam; ergo Deus mutari non potest ratione consilii, aliunde nec ratione existentiae et

perfectionum, ergo prorsus est immutabilis. 4. Deus est ens aeternum, ergo legi temporis non subest, nec est per mutationem status oriundae successioni obnoxius. 5. Deus est spiritus purissimus, nulli itaque sensuali impulsui obnoxium ens; est independens, seu absolutus, nulla itaque successio in eo possibilis, quae tamen obtineret, si Deus in suis decretis mutabilis foret; ergo Deus est perfecte immutabilis.

Scholion 1. Certe, cum intellectus Dei semper omnia cognoscibilia distinctissime repraesentet, turpis inconstantiae, ac animi levitatis indicium foret, si Deus id, quod antea voluerat, nunc nollet, et vicissim; quemadmodum nobis jure vitio datur, cum manentibus iisdem adjunctis ac invariata eorum cognitione, voluntatis nostrae consilia mutamus. Verum haec immutabilitas decretorum divinorum apud nonnullos philosophiam ignavorum, ut ex Tullio Leibnitzius ait, suscitavit; qui nimirum putant, frustra vota nuncupari, preces fundi, quod, quae immutabiliter decreta sunt, certe alioquin eventura sint. Scire hos oportet, ipsa voluntatis divinae decreta sub conditione precum adhibendarum, operaeque a nobis conferendae lata esse, quare frustra esse nequeunt. Alii quaerunt, qui immutabilitas volitionis divinae cum libertate concilietur? Nempe quae Deus libere vult, ita nunc vult, ut ab aeterno potuisset non velle; at postquam semel voluit, infinita ipsius perfectio postulat, ne quid immutetur. Obscura haec sunt ais, ita sane; verum cogita infinitas Dei perfectiones magis nobis adorandas, quam perscrutandas esse: hac quippe abysso omnes finitae intelligentiae vires absorbentur.

Schol. 2. Voluntatem Dei esse immutabilem nonnulli sequenti quoque ratione probant. Ponamus voluntatem Dei esse mutabilem, tum aut Deus id, quod ante voluit, post aliquod tempus aversari posset, aut vellet nunc id, quod ante multum tempus aversatus est. Consequenter Deus id, quod antea tamquam bonum sibi repraesentavit, repraesentaret sibi nunc, tamquam malum et vicissim. Cum vero sibi omnia possibilia distinctissime repraesentet, fieri nequit, ut id, quod tamquam bonum sibi repraesentavit, post aliquod tempus sibi repraesentet, tamquam malum; magnam enim id imperfectionem intellectus et confusionem involveret. Alii iterum hanc positionem sic demonstrant: Quaecunque voluntas est perfectissima, illa appetit bonum, et aversatur malum sibi consentanee, atqui voluntas Dei est perfectissima, ergo voluntas Dei appetit bonum, et

aversatur malum sibi consentanee. Quaecunque voluntas appetit bonum et aversatur malum sibi consentanee, seu pro exacta bonitatis aut malitiae mensura, illa ita appetit bonum, ut nunquam illud aversari possit, et ita aversatur malum, ut illud nunquam appetere possit, sive quod idem est, illa est immutabilis: ergo Dei voluntas est immutabilis.

Schol. 3. *Objiciunt.* Ille vere mutatur, qui de non operante fit operans, de non creante, creans: atqui talis Deus est, qui cum ab aeterno nihil extra se operatus fuerit, in tempore mundum creavit, ergo vere mutatus ille fuit. R. D. M. Ille vere mutatur, qui de non operante factus est in tempore operans immanenter et intra se ipsum C. factus est operans transeunter, seu extra se. Nego. Distinguenda itaque in Deo duplex operatio, una i m a n e n s, seu i n t r a D e u m i p s u m, quae operatio ab ejus natura et substantia non distinguitur, et est necessaria, ac Deo coaeterna; nulla in Deo nova esse potest hujusmodi immanens operatio: unde fit, ut omnis cogitatio, omne consilium, omnis voluntas etc. ab aeterno in Deo immota extiterint; altera t r a n s i e n s e t e x t e r n a, quae ad creaturam tendit et terminatur; nec est aeterna, sed temporanea; non necessaria, sed libera: quia quidquid est extra Deum, contingens est, creatum est, potest esse, vel non esse: Deus etenim creatura non indiget, qui solus sibi sufficit, et solus aeternus est, solus immutabilis. Porro ex operatione Dei externa et transeunte nulla resultat in Deum mutatio, sed in unam duntaxat creaturam, quae ex non esse, transit ad esse. R a t i o e s t; quia ex tali operatione Deus nihil de novo acquirit, aut perdit. „Quanto facilius ait. D. Aug. (*lib.* 15. *de Trinit. c.* 16.) de illa incommutabili substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi sufficientiae Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae, ad quam dicitur.“ R a t i o n e m q u a s i a p r i o r i r e d d i t idem S. Doctor (*lib.* 13. *de Civit. Dei c.* 17. *num.* 2). „Quia nempe ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibet consilium.“ (*Et lib.* 1. *Confess. cap.* 4). „Numquam, inquit, novus, nunquam vetus, innovat omnia . . . opera mutat, nec mutat consilium.“ Quod quidem illustrat S. Doctor duplici exemplo, luminis scilicet et legis. Lumen nempe solis, idem in se remanens et immutatum oculos sanos vegetat, lippos vero et debiles laedit. Pariter lumen solis per cubiculum diffusum, nova, quae inferuntur corpora illustrat, absque ulla sui mutatione. Similiter lex immota manens, justis favet, ac praemia dispensat; malis vero irascitur, et supplicia decernit (*Ita lib.* 22. *de Civ. Dei. c.* 1. *et in Psal.* 72). *Urg.* Deus alternis vicibus modo diligit hominem justum, modo eundem peccatorem odio habet: at dilectio seu amor, quo Deus in bonum prosequendo, et odium, quo in malum aversando fertur, est quid Deo intrinsecum;

ergo aliquid Deo intrinsecum est, vel non est. R. D. M. Deus alternis vicibus modo diligit hominem justum, modo eundem peccatorem odio habet, ratione diversorum effectuum, quos Deus extra se producit Con. ratione affectuum, quasi de uno affectu transire ad alium Nego. Affectus illi in Deo sunt aeterni, quos enim diligit ab aeterno diligit, et quos odio habet, ab aeterno odio habet: sed in tempore varios effectus producit, pro dilectione sua, vel odio. Eadem igitur Dei substantia immota in se manens, prout terminatur ad hominem justum, illum diligere eique favere; prout vero terminatur ad peccatorem, cum odio habere, ac ipsi subinfensa dicitur, pro vario nimirum statu, in quo homo est; sicut unus et idem sol pro varia dispositione subjecti, in quod agit, ceram liquefacit, et lutum indurat; oculos sanos vegetat, et lippos excruciat. Quo exemplo utitur S. Aug. in Psal. 72. n. 7. „Quid est, inquit, perversus eris cum perverso? Perversum te putabit perversus. Non quod ullo modo pervertatur Deus: absit: Quod est, est. Sed quemadmodum sol, oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus apparet; in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur: intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum: sic cum coeperis esse perversus, et tibi Deus perversus videbitur; tu mutatus es, non ille. Erit ergo Tibi poena quod bonis gaudium." *Urg.* Ibi est vera mutatio, ubi est prius et posterius; atqui in Deo datur prius et posterius; siquidem ab aeterno non creavit mundum, quem subinde creavit, et ita veluti a quiete, et actionis suspensione transit ad opus; igitur creando mundum mutatus fuit, non solum extrinsece et terminative ratione creaturae, sed etiam intrinsece et ratione sui, seu actionis immanentis. R. N. m. In Deo enim non datur prius et posterius, ubi est unicum instans semper durans ac perseverans; et quando Deus de non creante factus est creatus, nulla in ipso mutatio accidit, quia non novo consilio, neque nova voluntate, sed aeterna mundum in tempore creare voluit. Mutata est igitur creatura, non Deus ipse. Novam quidem denominationem externam Creatoris, Domini, Judicis etc. Deus acquisivit; at nullam internam perfectionem aut amisit, aut comparavit. Audiatur S. Aug. (*lib. de Civit. Dei c.* 17). ubi refellens eos, qui contendebant Deum aliter affectum fuisse, cum ab aeterno veluti otiosus, ab omni actione vacavit, et subinde operatus est, sic loquitur" Nobis fas non est credere, aliter Deum affici, cum vacat, aliter, cum operatur: quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod ante non fuerit . . . Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia; sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, et agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium; nec poenitudo, quia prius cessaverat, coepit facere, quod non fecerat . . . . Hoc quod dicitur prius et posterius, in rebus prius non existentibus,

et posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram praecedentem altera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna, et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent, egit quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt: hinc eis, qui talia videre possunt, mirabiliter fortassis ostendens, quam non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex aeternitate initio carente in non minore beatitate permanat." Tantam lucem in praesens nostrum argumentum infert egregium istud S. Doctoris testimonium, ut, etsi prolixius, integrum tamen a nobis describi oportuerit.

Schol. 4. Sunt et, qui immutabilitatem Dei sequentibus vel maxime argumentis everti posse putant; ajunt nempe: 1. Cum tanta sit in universo rerum novitas ac mutatio, quae a Deo rerum omnium principio et motore pendent, colligere inde licet, Deum non semper eadem velle, aut nolle, ac proinde mutabilem esse. Dein 2. Si plena in Deo libertas admittatur, cum absque ulla necessitate velit Deus, quod vult, consequitur, Deum posse velle aliquid, et idem postea nolle. Quidquid autem potentiam habet ad oppositum, est mutabile, ergo Deus est mutabilis. Ut his respondeamus longiori opus non est oratione. Quid enim pugnat Deum velle mutabilia immutabiliter? anne quidquam vetat, ipsum eadem aeterna ratione ac voluntate et rerum origines, et ipsarum series ac mutationes velle? Quodsi Deus, cum perfectissimus sit, atque beatissimus, nulla necessitate externas res vult; ipsas tamen immutabiliter velle dicimus; cum enim volendi eadem semper ac aeterna ratio sit, consequitur eadem semper Deum moveri voluntate. Hujusmodi ergo argumenta ex eo deducta videntur, quod nequeamus tam sublimia divina penetrare, atque hinc ad res nostras labamur. Deum nempe humano oculo considerantes, ipsi tribuere renuimus, quidquid finitae hominum naturae convenire nequit.

Schol. 5. Etsi immutabilitas vi nominis negativum aliquid sonet, positivam nihilominus in Deo perfectionem arguit, per quam scilicet idem semper est, et in eodem statu semper permanet, omnino incapax, qui perfectionem aliquam, aut acquirat, aut perdat. Stoici, referente Origene lib. 3. contra Celsum, Deum mutationi et alterationi obnoxium fecerunt. Hermogenes e contra, immutabilitatis dotem Deo tam essentialem ac necessariam esse duxit, ut materiam increatam, et Deo coaeternam fecerit; ne forte, si Deus eam de novo condidisset, mutationi fuisset obnoxius. Vorstius et Sociniani, quamdam in Deo mutationem, non quidem ratione substantiae, sed decretorum admittunt; quasi decreta Dei ab ejus natura realiter distincta forent.

§. 132.

Deus est liberrimus. 1. Cum in Deo, utpote ente realissimo, seu perfectissimo, omnes rerum creatarum perfectiones secundum realitatem summam, inesse debeant, libertatem autem hominum nemo non in veris perfectionibus numeret, Deum liberrimum esse suapte consequitur. 2 Si nulla Deus polleret libertate, nulla quoque in nobis esse posset; nam nemo dat, quod non habet, aut hac admissa, concedi quoque deberet, eam ex nihilo prodivisse, quod absurdum est. 3. Quod operamur ex consilio voluntatis, illud non ex necessitate volumus: cum igitur Deus omnia, quae operatur extra se, ex consilio suae voluntatis operetur, ea non ex necessitate, sed ex libertate ita vult, ut potuerit ea non velle. Et vero si ea, quae Deus efficit extra se, quadam compulsus necessitate faceret, necessitas haec, vel ex ipsa illius natura, vel a re ab ipso distincta promanaret: quorum neutrum nequidem cogitari potest. Non primum: cum enim Deus sit in se beatissimus, sibi ad omnes perfectiones possibiles possidendas sufficiat, neque ulla re a se distincta ad suam felicitatem egeat, fieri omnino nequit, ut illius natura rei cujuspiam procreationem necessario exposcat; et nonne ejusmodi necessitas Deum ab aliqua re producenda pendentem efficeret? Non alterum: nam res illa vel esset existens, vel solum possibilis; sed nulla res praeter Deum sine sui productione existit: deinde quae possibilia sunt, sunt quoque prorsus ad existendum indifferentia, neque ad sui procreationem aut quidpiam conferre, aut eidem resistere possunt, neque etiam bonitatem infi-

nitam in se continent. Accedit, quod si, quae Deus efficit extra se, quadam compulsus necessitate faceret, nulla debita foret laus misericordiae, quam erga nos exercet, nulla gratiarum actio, nulla gratitudo ipsi rependenda, propter beneficia ab ipso in nos derivata: nihil ab eo sperandum foret, nihilque petendum; ad quid enim et nostrae ad Deum preces, et Dei ad nos adhortationes et commonitiones, si fatali quadam necessitate bona vel mala immitteret; quae cum falsa non minus ac impia sint, negari non potest, Deum nulli necessitati respectu rerum producendarum adstrictum, proinde liberrimum esse.

Scholion 1. Eadem positio ab aliis sequentibus etiam modis probatur. 1. Ratio cognoscit existere Deum; ergo eum nonnisi quatenus ens omnes possibiles realitates complectens, omnem negationem excludens, ergo etiam quatenus ens omni sub respectu illimitatum, absolute independens, se ipsum itaque absolute determinans, consequenter quatenus ens absolute liberum cogitare potest. (*Venzel Metaph. pag.* 296.) Simili nostro argumento libertatem divinam demonstrat Gallicus Scriptor François' „Vous ne pouvéz contester à Dieu la liberté, qu'en le supposant nécessairement determiné à créer, ou par sa nature, ou par une cause distinguée de son Être. Or il est absurde de supposer Dieu determiné par sa nature a créer, puisqu'étant l'Etre par soi, il est independant par sa nature des êtres à qui il peut donner l'existence. Il est encore absurde de supposer Dieu déterminé par une cause distinguée de lui, puisqué tout ce qui existe n'existe que par lui. D'ailleurs cette cause devroit être elle même déterminée par une autre, celle-ci par une troisieme, et ainsi à l'infini. Par consequent la création eût été impossible, parce qu'elle ne pourroit être que dans la supposition d'un nombre infini de determination epuisée."

Schol. 2. Quae adversus libertatem Dei opponit humana ratio, haec fere omnia repetuntur ex defectibus, seu imperfectionibus, quae libertati creatae, ratione subjecti, in quo est, adhaerescunt; illae vero immerito, prorsus ad divinam transferuntur. Divina itaque libertas, sicut humana, non includit 1 indifferentiam, seu suspensionem et indeterminationem actus; quod enim Deus vult, semper ab aeterno voluit. 2. Non est in divina voluntate, sicut in nostra, diversorum actuum successio. 3. Inconstans non est, volu-

bilis, ambulatoria, mutabilis, ut nostra. 4. Ad malum deficere non potest. 5. Denique, actus divinae voluntatis entitative spectatus, est ipsamet Dei entitas, seu natura: Deus enim est actus purissimus; creatura vero, quae semper habet aliquid potentialitatis, ut vocant, non est essentialiter in actu, sed actus ipsi adventitius est et accidentalis. Quapropter actus divinae voluntatis liber constitui non potest, nisi per connotationem, seu habitudinem et respectum ad creaturas.

Schol. 3. *Objiciunt.* 1. Ille mundum libere non condidit, qui ad eum creandum per gloriae suae amorem necessario fuit determinatus; atqui Deus ad mundum creandum etc. „nam universa propter semetipsum operatus est" (*Proverb.* 16.) R. N. m. Duplex distinguitur Dei gloria, alia externa et accidentalis, alia interna et essentialis, atqui neutra Deum necessario ad creandum mundum determinavit. I. Non gloria externa; haec enim sita est in divinarum perfectionum manifestatione, et laudibus, quibus Deum creaturae prosequuntur; atqui haec perfectionum manifestatio necessario Deum non impulit ad mundum creandum: siquidem Deum, nec beatiorem, nec perfectiorem efficit: secus ante mundum conditum aliquid summae Dei perfectioni et beatitudini defuisset, quod absurdum non minus, quam impium est, ergo Deus ad mundum creandum per suam gloriam externam et accidentalem non fuit necessario determinatus. 2. Nec per suam gloriam internam, et essentialem. Haec quippe ipsa est summa Dei perfectio et excellentia, quam Deus in se videt et amat; atqui summa illa perfectio et excellentia non pendet a variis effectibus, quos Deus extra se potest producere: quis scilicet, nisi impius, dixerit, ex mundi creatione novam perfectionis et excellentiae factam esse accessionem? ergo nec per gloriae suae internae et essentialis amorem Deus ad mundum creandum fuit necessario impulsus. *Obj.* 2. Deus non potest esse simul liber et immutabilis, atqui Deus ex superiori §pho est prorsus immutabilis; ergo liber esse non potest. R. N. M. Cum immutabilitate in Deo conciliari potest libertas, si nullam in ipso mutationem arguat, atqui res se ita habet. Si quid enim mutationis Dei libertas importaret, importaret maxime, quia Deus vi suae libertatis posset decretum semel positum revocare, atqui id dici nequit. Libertas quippe Dei perfecta est, ac proinde nullam adjunctam habet, vel ignorantiam, vel levitatem: atqui libertas, vi cujus decretum semel constitutum Deus revocaret, ignorantiam vel levitatem demonstraret, ergo etc. *Obj.* 3. Si Deus foret liber, in eo essent actus contingentes, atqui in Deo nequeunt etc. ergo etc. R. N. m. Potuit enim Deus mundi existentiam decernere: atqui decretum illud in Deo est contingens, siquidem Deus nulla mundi procreandi necessitate constrictus erat, ergo etc. *Urg.* Non magis esse possunt actus contingentes in Ente necessario, quam actus necessarii in ente contingente: atqui in ente contingente nequ-

unt esse actus necessarii, ergo etc. ℟. N. M. et parit. Ratio discriminis est, quod actus necessarius ejusdem naturae subjectum exigat. Actus enim necessarius ita existit, ut nunquam possit non existere: atqui posset aliquando non existere, nisi ejus subjectum foret necessarium; sublata quippe subjecti existentia, tolluntur omnes actus, siquidem nequeunt seorsim a subjecto existere. Contra vero actus contingens non requirit subjectum contingens, sicque potest in Ente necessario reperiri; sublato enim actu, subjectum existere non desinit. Numquid enim mens nostra cessat existere, quando evanescunt quaedam illius affectiones? ergo potest actus non existere, quamvis necessarium sit illius subjectum; ac proinde actus contingens in subjecto necessario esse potest. *Urg.* Contingentia est imperfectio, atqui in ente necessario nulla potest esse imperfectio, ergo nec actus contingens. ℟. D. M. Contingentia, quae cadit in subjectum, est imperfectio C. M. si cadat in actum solum N. M. dist. simil. m. Profecto contingentia, quando in subjectum ipsum cadit, est imperfectio, siquidem arguit subjectum posse existere, vel non existere, ac proinde a causa creatrice pendere. Ubi vero contingentia non spectat nisi aliquos actus, tunc imperfectio dici non potest; ad perfectionem enim maximam, nempe libertatem pertinet.

§. 133.

Deus est summe beatus, sibique perfecte sufficit. *Probo.* Ille summe beatus est, sibique perfecte sufficit, qui habet ex necessitate naturae suae, quidquid perfectionis habere potest; atqui Deus, sive ens a se etc. Si enim ens necessarium non contineret, quidquid perfectionis habere potest, quo pacto illud consequeretur? an quia posset id sibi dare? sed jam istud possideret, namque ex axiomate, nemo dat, quod non habet. An quia id posset a caussa sibi externa accipere? sed ab alio non pendet, et nedum ab alio perfici queat, imo potius ab eo derivatur, quidquid caeteris entibus inest perfectionis; ergo Deus, sive ens a se, ex necessitate suae naturae tenet, quidquid perfectionis habere potest, ac proinde ex se ipso summe beatus est, sibique perfecte sufficiens. Est sanctissimus. 1. Ille est sanctissimus, qui ita fertur in bonum morale, ut nulla ratione in malum possit im-

pelli, atqui Deus, sive ens a Se etc. Enimvero, ut summe intelligens, perfecte novit boni malique limites; quatenus summe sapiens, non potest bonum malo non anteponere; quatenus sibi omnino sufficiens, nec spe, nec metu, nec alio quovis incitamento ad malum incitari potest. ergo etc. 2. Sanctitas est bona voluntas illimitata; Deus autem est ens illimitatum, absolute liberum; ergo etiam absoluta sanctitas. Qua ens absolute liberum non dependet in voluntate sua ab aliquo objecto eum limitante; ergo voluntas Dei nonnisi bona velle, et bona agere potest, in quo Sanctitas consistit. 3. Deus, qua spiritus purissimus, a sensuum illecebris absolute immunis, in volendo bono immutabilis est, et qua ordinis mundi moralis auctor, rectorque finem entium moralium non modo cognoscit, sed etiam possidet ac promovet; cum igitur in illo fine praecipuum elementum sit moralitas, ea Deo perfectissime inesse, et ab ipso in quovis ente rationali probari, aestimari, promoverique debet. Ergo Deus est ens sanctissimum. 4. Cum Deus omnes possibiles perfectiones possideat, vi oppositorum necessario sequitur, omnes omnino imperfectiones absolute ab ipso excludi. Quae absoluta omnium imperfectionum exclusio, cum sanctitatem Dei constituat, manifesta est ratio, cur Deum sanctissimum esse dicamus. Hinc quoque intelligitur, intellectui divino eatenus tribui sanctitatem, quatenus omnia possibilia necessario cognoscit, omnemque ignorantiam a se excludit. Voluntas autem Dei eatenus sanctitatem habet, quatenus omne bonum semper et ubique appetit, et omne malum aversatur. Deus non habet affectus. Cum enim affectus oriantur ex confusa boni malique repraesenta-

tione, Deus autem nonnisi distinctissime, atque adeo sine omni confusione sibi omnia repraesentet, consequens est, Deum omnibus carere affectibus. Deus est Spiritus perfectissimus. Cum enim Deus habeat intellectum perfectissimum, voluntatem item perfectissimam, substantia autem intellectu et voluntate perfectissima praedita, Spiritus perfectissimus dicatur, confitendum est, Deum esse Spiritum perfectissimum.

Scholion. Sanctitatis vox generatim indicat quamcunque separationem, sive immunitatem. Sic Majestas regia dicitur sancta, quia ab omni privata laesione est separata; item vasa, cultui divino consecrata, sunt sancta, quatenus ab usu vulgari sunt separata. Sanctitas autem de Deo praedicata, generatim absolutam omnium imperfectionum in Deo exclusionem significat; speciatim autem summam voluntatis consensionem cum sapientissimis intellectus, seu moralitatis legibus, aut brevius, summum recti bonique amorem et aestimationem, ac omnimodam impeccabilitatem denotat, qua fit, ut peccatum aliquod, perpetrare, aut approbare Deus nullo modo possit.

§. 134.

Deus est summe bonus. *Prob.* 1. Ille est summe bonus, qui suas creaturas, praesertim rationales, sciens et volens, nullaque propria utilitate ductus, innumeris cumulat beneficiis: atqui Deus etc. Quid enim habet Creatura, quod ex mera Creatoris liberalitate non acceperit? neque haec beneficia coeco impetu effundit Deus, siquidem est summe intelligens et sapiens; neque ullo propriae suae felicitatis intuitu, cum sibi perfecte sufficiat, sitque ex se ipso summe beatus, ergo etc. 2. Cum Deus vi suae perfectissimae voluntatis velit omne bonum, consequens est, Deum quoque velle creaturarum perfectiones, atque adeo studium esse in Deo creaturis tribuendi perfectiones, quod cum bonitas sit, Deum bonitatem habere intelligitur.

Quia vero quidquid Deo inest, inest ipsi in gradu absolute summo, sequitur, Deum summae esse bonitatis. 3. Cum omnia, quae in mundo existunt, vel sint objecta, vel organa, vel subjecta perfectionis et salutis, cumque omnia haec, non ad auctoris, sed ad creaturarum viventium perfectionem et salutem conferant, intelligitur, Deum esse benignissimum; et speciatim quidem, plurimum boni hominibus a Deo tributum esse facile is colligit, qui perpendit, omnia entium intelligentium bono inservire, quive se, vires, ac facultates suas animae et corporis, atque innumeras vitae commoditates considerat. Nulla enim est corporis facultas, quae non variarum voluptatum causa esse possit, nulla vitae aetas et conditio, cui non quaedam propria salutis, seu felicitatis species concessa esset; et quamquam nemo omnibus perfectionibus et bonis cumulari possit, voluptatum tamen certarum defectus per se molestus non est, et per alia commoda ac dolorum vacuitatem compensatur. Quare Auctoris naturae, ad perfectionem et salutem viventium adeo idoneae, infinitam bonitatem, nemo sanae mentis inficiari potest.

Scholion 1. Quamvis Deus pronus sit, vi suae bonitatis infinitae ad omnes omnino perfectiones cuique creaturarum conferendas, cum tamen fieri nequeat, ut creatura quidpiam recipiat, quod essentiae suae non congruit, intelligitur, quid sit, quod Deus singulis creaturis tantum conferat perfectionis, quantum potest capere earundem essentia et natura. Non itaque bonitati divinae adversatur, cum magna bonorum inaequalitas in mundo obvia reperitur. Tantum enim creaturae cuique largitur Deus, quantum capere ipsa potest, et quantum sapientia Numinis, nexum ac convenientias rerum spectans, permittit.

Schol. 2. A bonitatis divinae cogitatione procul absint omnia imbecilla et infirma, veluti jucundus quidam motus ac sensus in Deum redundans, aut moeror ex moribus vitiosis, quibus invitus cogatur ad bona quaedam neganda, aut nescio, quae subtractio benignitatis, aut ut gradatim quasi

habeat amicos, alii magis curae cordique sint, quam alii etc. (*Ulrich. Theol. rat. pag.* 113).

Schol. 3. Bonitas divina, seu ea voluntatis divinae proprietas, qua Deus quibusvis entibus tantum beneficii conferre vult, quanti per naturam suam capacia sunt, dum affectu voluntatis constat, speciatim benevolentia, dum factis se ostendit, beneficentia, vocatur, ex qua utraque amor verus exurgit; quatenus miseris et indigentibus quibusvis subvenit benignitas, vel misericordia; quatenus beneficia juxta sapiens pro fine ultimo consilium, non juxta nostrum jus, aut meritum dispensat, gratia; denique dum improbo non extremas statim, nec majores, vel longiores, quam quae necessariae sunt, poenas irrogat, sed emendationi spatium veniamque concedit, clementia, cui patientia, longanimitas et lenitaa includuntur, solet vocari a Theologis. Quibus nominibus Philosophus quoque uti potest; dummodo imperfectiones, quae hisce formulis de homine adhibitis insunt, a Deo removeat, aut falsis bonitatis divinae notionibus inhaerens, severitatem legum moralium non relaxet, rationis vero humanae imbecillitatis in cognoscenda bonitatis divinae misericordia, gratia, et clementia memor, Revelationis doctrinam gratus humilisque audiat. (*Vide Fejér Th. dogm. ed. Vien. Tom.* 2. §. 41). Caeterum per se intelligere est: sermonem hic non esse de bonitate Dei absoluta, seu metaphysica, quae essentiali entis perfectione continetur, sed de bonitate comparativa, quae sub diverso respectu variis, ut indicavimus, insignitur nominibus.

Schol. 4. Bonitati divinae non obstant mala, quibus genus humanum obnoxium est, et quorum consideratio etiam proborum dubia ac querelas commovit. Et quidem primo malum metaphysicum non pugnat cum Dei bonitate. Cum enim hoc malum sit differentia ab infinita perfectione, hujus autem res creatae capaces non sint, malum hoc naturam rerum creatarum indissolubili nexu comitatur, tollique per Deum nequit: ejus proinde bonitati non repugnat. — De malis physicis querela eo revocanda est, ut quaeratur et constituatur, an ea sint conjuncta cum eadem naturae oeconomia, cum iisdem naturae legibus et rerum proprietatibus, quae sunt ad conservationem et salutem necessariae ac utiles, adeoque sapientiae et benevolentiae divinae indices. Conservari entia viventia non possent, nisi ea, quae fabricam corporis laedunt, acri doloris sensu declinare et repellere monerentur; et si homines omnia ad vitam salutemque necessaria sine labore sibi comparare possent, genus humanum omnibus artibus et scientiis careret, quarum cultus et usus plurimas ac suavissimas adjunctas habet oblectationes, et plurima commoda procurat: quare molestiae laboris, qui tot bonorum fons et conditio est, et miseriae, quae ejusmodi laboris

fugam consequuntur, admodum illustria sunt divinae sapientiae et bonitatis documenta. Mala physica, quibus genus humanum obnoxium est, in hominibus partim bonorum sensum acuunt, partim ingenium et industriam excitant, partim imprudentiam et vitia cohibent, adeoque argumentum sunt, Deum genus humanum curare et amare. — De malis moralibus tota querela eo reducenda est, ut quaeratur et constituatur, an Deus satis ea mala impedire judicandus sit? Qua in re id facile intelligitur, a Deo homines omnibus iis instructos esse, quae ad impedienda peccata, et ad illorum animos sensim nobili invictoque recti sensu ac consilio imbuendos necessaria sunt. Quid enim primo a Deo amplius requiri potest, quam ut ita hominem creaverit, quo is sibi a peccato cavere possit, si velit; et profecto hoc a Deo postulari nequit, ut perpetuis miraculis per vim nascens peccatum impediat, atque homini libertatem auferat, sine qua moralitas consistere nequit. Deinde nihil homini ad virtutis culturam, et ad vitii fugam deesse, ipsa ratio, libertas, lex moralis, conscientia, morum excellentia, vel turpitudo, denique vitae probae et scelestae fata satis ostendunt, quae omnia sunt luculenta divinae bonitatis, sanctitatis, et justitiae indicia. Quodsi fata hominum non habent debitam ad ipsorum probitatem et vitiositatem proportionem, id non defectum bonitatis, providentiae, sanctitatis et justitiae divinae, verum futurae vitae necessitatem ostendit. Quae amplius contra bonitatem divinam objici possunt, in dissertatione de providentia divina congruentius expendentur.

§. 135.

Deus est justissimus. 1. Justitia est bonitas per sapientiam administrata, atqui Deus summa bonitate gaudet, sapientiam item summam possidet, ut probavimus; cum ergo haec cum illa amicissime conspirare debeat, ob perfectiones divinas summas, quae omnem repugnantiam et dissonantiam respuunt, consequens est, ut Deus justitia summa gaudeat. 2. Ille est justus, qui perfecte novit justitiae leges, qui perfecte eas exequi valet, nec ab iis servandis ulla ratione dimoveri potest, atqui Deus justitiae leges perfecte callet, quia est summe intelligens; eas perfecte exequi valet, quia est summe potens, et ab iis servandis aliquo impulsu deterreri nequit, cum sibi omnino sufficiat; ergo

etc. 3. Ens sanctissimum, bonum non in se solum, sed in alio quocunque probare, malum vero reprobare, non judicando saltem, sed etiam per praemia et poenas constitutas agendo, debet, sed Deus est ens sanctissimum, ergo etc. 4. Deus, qua auctor legis moralis, ejusque etiam executor, ut hujus auctoritatem tueatur, felicitatem entium rationalium aequa ad ejus observantiae, aut violationis gradum proportione temperare et distribuere debet, sed in hoc consistit justitia, ergo Deus justitia summa praeditus esse intelligitur. 5. Nulla civitas subsistere potest, ubi boni malique cives pari habentur numero, nec pro in de salute communi bene meriti praemio afficiuntur, neque mali poenis coërcentur; ergo nec Civitas Dei subsistere quiret, nisi Deus bonos tueretur, malos autem puniret coërceretque; per consequens, cum Deo civitatis hujus a se fundatae conservatio cordi esse debeat, eum justum quoque esse oportet; cumque justitia nemine negante una ex splendidissimis perfectionibus sit, Deo autem omnes perfectiones in infinito gradu conveniant, eum justissimum quoque esse consequitur.

Scholion 1. Definitio justitiae: quod sit bonitas per sapientiam administrata, Auctorem habet Wolfium, illamque copiosius evolvit Cl. Bülfingerus in dilucid §. 445, et convenit prorsus cum veterum definitione, qui justitiam dicebant voluntatem suum cuique tribuendi. Bonitas enim tribuit unicuique, sapientia autem ostendit, quid sit illud tandem, quod tribuere liceat, aut negare oporteat pro rei convenientia. At sunt, praesertim ex recentioribus, plures, quibus haec definitio minus probatur, quive eam ad homines duntaxat, non autem ad Deum extendi posse autumant. *Vide Ulrich Theol. rat.* §. 75.

Schol. 2. Deum existere, eumque ens infinitis perfectionibus praeditum esse probavimus quidem, at infinitam ejus vim ac potentiam, quam in entia creata exserit, ejus existentiae modum perfecte nos comprehendere non posse, ultro confitemur. Ens enim, quod nullum

habet initium, nullumque finem, quod nullis spatii et temporis conditionibus adstrictum, tamen omnibus in spatio et tempore a se remotis objectis simul eodemque gradu praesens est, omnia simul cognoscit, in omnia agit; ens, cujus intellectus omnia, quae vel realia, vel possibilia sunt, non more humano conceptuum ope, sed, ut ita dicam, una immediata intellectuali intuitione perfectissime cognoscit; ens, cujus voluntati omnia entia existentiam suam in acceptis referunt, et cujus infinita sapientia, illimitatae potentiae juncta, immensum Universum secundum omnes ejus partes ita conservat, regit, gubernatque, ut supremus perfectissimae rationis finis certo certius obtineatur; ens istud a nullo spiritu finito perfecte cogitari posse, per se patet.

MEMBRUM III.

De Operationibus DEI.

§. 136.

Per operationes Dei, seu actiones Dei transeuntes, illae liberae Dei actiones intelliguntur, quibus aliquid, extra se existens, facit. Hae actiones nihil aliud sunt, nisi volitiones; neque enim Deus, aut motu substantiae suae, aut impulsu quodam, aut attractione etc. agere potest. Nulla etiam ratio agendi extra se Deo magis conveniens concipi potest, quam ipsum volendo immediate efficere, quidquid effectum vult. Dixit (voluit) et factum est. Actiones Dei transeuntes sunt Creatio, et Providentia, quaeve ad has pertinent; ut adeo membrum isthoc duobus Articulis absolvatur: uno de Creatione, altero de Providentia Divina.

Scholion. Cum Deus sit necessario id, quod est, nequit circa aliquam sui perfectionem esse liber, nequit ullam augere, nequit se magis perficere, velut essentialiter infinite perfectus; cumque in ipso necessario insint rationes summi amoris, summaeque complacentiae, neque circa haec liber esse poterit. Nihil igitur restat, circa quod liber sit, nisi res extra ipsum producendae, aut productae. Volitio, qua Deus in se ipsum tendit, actio immanens, actus internus di-

vinae voluntatis dicitur, estque necessaria. Quatenus autem divina volitio pro objecto habet res extra Deum, actio transiens, actus externus adpellatur, et eatenus est libera libertate, omnem imperfectionem excludente. Volitio divina, quae versatur circa res extra Deum positas, etiam decretum dicitur: ac modo appellatur positivum, adprobans, quo Deus bona vult, modo permissivum, quo mala permittit; modo universale, in relatione scilicet ad totum universum; modo particulare, in respectu ad partem aliquam hujus totius.

ARTICULUS I.

De Creatione.

§. 137.

Ut vera Creationis notio habeatur, animadvertendum est, magnum interesse discrimen inter rei alicujus productionem et creationem. Producere generatim, est aliquid novi facere, quod prius scilicet non erat. Aliquid vero de novo fit, vel e quapiam materia praeexistente, ut, cum sculptor statuam effingit, vel ex nulla praeexistente materia, ut, cum dicimus, Deum fecisse omnia ex nihilo. Quod producitur novum ex materia jam existente, proprie dicitur educi, et ipsius productio vocatur eductio. Quod vero novum producitur, nulla praeexistente materia, dicitur proprie creari, et ejus productio Creatio.

Scholion 1. Qui creationem quamdam primi ordinis a creatione secundi ordinis ita distinguunt: ut illa pertineat ad materiae statum, nescio, quem chaoticum, ad rudem atque indigestam molem, haec autem ad primam quamdam omnium formam, et ordinem, ita ut hos duos actus re ipsa diversos putent, qui tempore se exceperunt, non intelligunt, quid dicant, quidque consequens sit, et crassissimo Antropomorphismo circumveniuntur. (*Vide Ulrich Theologiae Naturalis pag.* 142.)

Schol. 2. Cum de mundi creatione, ejusque fine, et quae contra objiciuntur, alibi fusius jam disseruerimus, articulo huic saltem aliqua eo pertinentia adhuc innectenda esse censuimus.

§. 138.

Virtus creandi soli Deo competit, ac proinde Deus omnium auctor est creaturarum. 1. Creatio enim proprius est naturae spiritualis effectus, et a sola voluntate potest procedere; omnis quippe motus physicus, et mechanicus inutilis est, ubi nullum, quod exagitet, subjectum reperitur: sed sola voluntas infinita intelligitur potens ad educendum aliquid ex nihilo, juxta cujus nutum omnia peraguntur: voluntas vero finita et limitata, quo minores reperit in subjecto dispositiones, eo majores experitur difficultates; ubi ergo nullae sunt dispositiones, ibi summa difficultas: porro nullae sunt dispositiones in nihilo, ut transeat ad rationem entis; ergo etc. 2. Nullum **possibile**, aut aliquid conducere, aut repugnare sui effectioni potest, sed omnia et passive et aequaliter indifferentia sunt, ut producantur, vel non producantur; igitur potentia aliquid creandi omnibus possibilibus procreandis sufficit, cum ergo potentia talis infinita sit, quae utique nulli enti finito competere potest, virtutem creandi soli Deo competere, ac proinde solum Deum omnium rerum creatarum auctorem esse liquet. **Nulla creatura potest donari virtute creandi, nec etiam rationem habere potest instrumenti physici, respectu creationis.** *Prob.* 1. *pars* Certum est, Deum non posse tribuere voluntati creatae virtutem infinitam, quae tamen ad creationem requiritur; tum quia exhausta tunc videretur potentia divina, quam utpote infinitam exhauriri repugnat; tum quia independentia et voluntas virtutis infinitae separari non possunt, cum virtus infinita cuili-

bet potentiae resistere possit, ergo etc. *Prob. 2da pars*, nempe quod creatura non possit esse instrumentum physicum creationis. Ea quippe est physici instrumenti natura, ut physice attingat subjectum et in illud mechanice agat, aut saltem si de natura spirituali quaeritur, debet illius volitio habere proportionem cum effectu producendo, ita, ut hujus volitionis virtus sit par effectus productioni, servata semper subordinatione caussae principali; sed haec creaturae convenire nequeunt respectu creationis, ut mox dictum est; ergo etc.

Scholion 1. Quo infausto perditoque consilio fieri posse putandum est, ut, cum res omnes pulcherrimam veluti imaginem artificis sui primaeque caussae praeseferant, cum mentibus nostris splendida quaedam lux divinitatis affulserit, cum denique audito vix Caussae primae rerumque omnium motoris et opificis nomine, Dei ipsius se se nobis offerat, et inferat imago, fuerint tamen, qui Caussas illas effinxerunt, quae nihil agere, nihilque moliri unquam possunt; Deum vero, vel impie ac ineptissime prorsus sustulerunt, vel saltem otiosum ac inertem effingere non enubuerunt? Fuerunt tamen aliqui hominum, qui id sceleris auderent; „cum vero ausi sint id etiam defendere, non jam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cujus aures haec ferre potuerint." (*Aug. Epist. ad Dioscor.* 118. *al.* 56). Qui hanc veluti ingeniorum animorumque pestem latius diffudit, atque ipsa mortalium omnium animos inficere studerit, fuit Epicurus.

Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit Coelum

(*Lucr. lib.* 1. *vers.* 9).

Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!

(*Virg. Georg. II. vers.* 491. 2).

Qui Deos quidem fuisse concedit, nihil tamen ab illis fieri, aut in rerum natura praestari contendit. „Scilicet Dii revera sunt (evidens enim est illorum notitia) at quales vulgo homines existimant, minime sunt. Non enim germanae praenotiones sunt, sed suspiciones falsae sunt, quae de Diis ab hominibus e vulgo traduntur. Reputans autem imprimis Deum esse immortale, beatumque animal, cavendum esse, ait, ne quidquam illi attribuatur, quod aut ab immortalitate alienum sit, aut a beatitudine abhorreat:

sed quidquid de illo opinabimur, debet immortalitate beatitudineque constare." (*Epic. in Epist. ad Menac. vid. Nazianz. Orat.* 34. *Clem. I. et IV. strom.*). Quibus quidem, aliisque ejusmodi verbis „videtur Epicurus de Diis immortalibus non magnopere pugnare, tantummodo negare Deos esse, non audere, ne quid invidiae subeat, aut criminis, Areopagi severitatem in Socratem ipsum et Anaxagoram expertus. Cum vero Deos nihil agere, nihil curare confirmat, ludere videtur, satisque putare, si dixerit, esse quamdam beatam et aeternam naturam. Verius est nimirum nullos esse Deos Epicuro videri, quaeque is de Diis immortalibus scripsit, invidiae detestandae gratia dixisse." (*Cic. III. Nat. I*). „Unde Epicurus re quidem tollit, sed oratione relinquit Deos" (*Empyr. I. aur. Phys.* 5. 58); sive ut Empyricus ait, Epicurus, ad vulgus quidem relinquit Deum: ad rerum autem naturam nequaquam. (*Epic. in Epist. ad Herod. ap. Laer. X*). Sed sive Epicurus Deos omnes sustulerit, sive reliquerit, perinde est: certum est enim, quod, quamvis illos admiserit, inertes tamen ac otiosos ipsos existimaverit; cum dixerit saepius „non esse corpora sublimia ab aliqua Causa beata simul et immortali (cujusmodi est Deus) quae illa constituat, constituerit-ve; sed potius existimandum esse initio, sive cum mundus procreatus est, eos factos fuisse fortuitos circumplexus convolventium se atomorum, ut creatis exinde corporibus coelestibus nata sit in ipsis haec necessitas, ut et sic moveantur, et tales circuitus obtineant." Itaque ex Epicuri sententia Casus omnia temere fortuitoque disposuit; ex illa vero fortuita atomorum concursione, et connexione lex illa deinde, ac veluti quaedam necessitas orta est, qua nunc omnia corpora ex certa quadam naturae suae conditione operantur. — Alii tamen complures misere, atque infeliciter hac in parte Epicuro praeluxerunt, cum Plato quosdam fuisse commemoret, qui „ignem, aquam, terram, aërem, omnia haec non arte, sed natura et fortuna esse dicant. Singula nimirum singulis, accomodata quadam ipsorum naturae ratione, frigida calidis, sicca humidis, mollia duris, et omnia contraria contrariis Fortunae quasi auspiciis convenisse. Hac omnia ratione, et universum Coelum, et quae in eo sunt omnia, animalia quoque et plantas, et quadripartita anni tempora nata fuisse, non per Mentem quidem, neque per Deum aliquem, sed Natura atque Fortuna." (Plato *X. de Leg.*). Quibus fortasse verbis, et Empedoclis et Heracliti sententiam expressit Plato, quorum ille fortuito mundum initio conditum esse apud Aristotelem (*II. Phys. cap.* 4.) docuit; is vero „neminem nec Deorum, nec hominum fecisse mundum putavit, metuens scilicet, ne postquam de Diis desperavissemus, hominem mundi conditorem esse potuisse suspicaremur." (*Plato de creat. Anim. ex. Timaeo*). Democritus quoque „hujus rerum omnium dispositionis fortunam dixit esse caussam: atomos nimirum forte fortuna conve-

nisse, et effecisse exterius universum Coelum, tum reliqua ex ordine" (*Philop. II. Phys. tex.* 34. *vid. Lucr. V. v.* 108. *et VI. vers.* 1093). — „Sunt etiam alii, qui mundi hujus, aliorumque omnium Caussam in casum referunt, conversionem enim et motum illum, qui Universum distinxit, et in hunc ordinem redegit, casu esse dicunt. Et hoc sane admiratione maxima dignum est, quod animalia quidem et plantas, neque esse, neque fieri a fortuna; sed aut Naturam, aut Mentem, aut aliquid aliud tale causam esse affirment, quod ex cujusque semine non quodvis fiat, sed ex illo oliva, ex illo autem homo etc. Coelum vero, et ea quae inter sensibilia diviniora sunt, Casu effici censeant, talemque eorum nullam, qualis plantarum et animalium est, Caussam esse. Sed praeterquam quod absurdum sit id, quod dicitur, absurdius est adhuc haec dicere, cum nihil in Coelo casu videatur fieri, in his autem, quae non fiunt Fortuna, fortuito multa accidere, cujus tamen contrarium fieri oportebat." (*Arist. II. Phys. text.* 45. *c.* 4). „Nonnulli denique sunt, quibus Fortuna Caussa quidem esse videtur, sed menti humanae incognita, perinde ac divinum quoddam, admirandumque Numen." (*Text.* 47). — Neque ab his plurimum differre videntur illi, qui Caussam, sive Principium aliquod admiserunt, cui omnia tribuerent; et a quo cuncta producerentur, ipsumque naturae nomine designarunt. Dicuntur enim ab ejusmodi Philosophis lapides, et alia corpora gravia a natura ad terrae centrum moveri, ignem naturae vi sursum tendere etc. quasi nimirum natura Numen aliquod esset, cui omnia subderentur, et a quo omnia penderent. Quo certe sensu locuti sunt illi, quos Seneca reprehendit; et quos supra ait Plato omnia posuisse, non „per Mentem quidem, neque per Deum aliquem facta, sed Natura atque Fortuna" (*Plato X. de Leg.*). quod alii quoque similiter usurparunt. Atque ita uno Naturae nomine duas res diversissimas comprehendunt, Deum, et Mundum, artificem et opus: dicuntque alterum sine altero nihil posse, tamquam Natura sit Deus Mundo permixtus. (*Lact. Instit. VIII. c.* 3. 17). Ab his tamen plurimum differre videntur Peripatetici, qui licet cum Aristotele naturam agnoverint, eamque definiverint „Principium motus et quietis ejus, in quo est:" non illam tamen effingunt, veluti principium quoddam extrinsecum, quod omnia primo moveat, impellat, atque ad finem et locum rebus singulis constitutum dirigat; sed potius ut principium aliquod rebus singulis a Deo, qui „melior Natura" ab Ovidio (*Metam. I. vers.* 21). et Peripateticis ipsis vocari solet, impressum, quo operationes sibi debitas, vel convenientes elicerent; quemadmodum e. g. natura, vel essentia hominis est Principium illud, quo homo intelligit, vult, movetur: cum tamen Epicurus ipse, aliique Philosophi ita naturam rebus singulis inesse, vel praesse putaverint, ut illa per se independenter ab alia quacunque Causa operaretur. — Ac turpissime certe Epicurus, aliique Philosophi hac in parte erra-

verunt, seseque in eas angustias, et errorum ambages conjecerunt, ut ipsum quoque hominum genus pudere debeat, homines aliquos tam prava sensisse. Illustriores tamen Philosophi Deum esse primum Opificem mundi, primam rerum omnium Caussam, primumque Motorem constantissime docuerunt. De Pythagora certe ac Platone (*Plato in Timaeo*) res est illustrior, quam ut uberius et clarius probari unquam possit. „Duo enim Plato statuit rerum omnium Principia, Deum, et Materiam. Deum, quem etiam apellat Mentem, et caussam" (*Lact. III. seq.* 09). Quia etiam Deum ipsum veluti animam mundi constituit, unde illud.

— — — Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum,
(*Virg. Georg. IV. vers.* 221).

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem; et magno se corpore miscet.
(*Id Aeneid. VI. vers.* 726).

Thales quoque Milesius pulcherrimum esse mundum ait, quia „Opificium est Dei" (*Laert.* 1.) quemadmodum etiam dixerat „Aquam esse Initium rerum, Deum autem eam Mentem, quae ex Aqua cuncta fingeret" (*Cic. Nat Deor.* 1. *c.* 10). — Anaxagoras vero a Socrate, Plutarcho et Aristotele mirifice commendatur, quia „primus omnium descriptionem rerum, et modum Mentis infinitae vi ac ratione designari, et confici voluit; primusque Materiae Mentem adjecit, in principio operis sui ita scribens: Omnia simul erant, deinde accessit Mens, eaque composuit;" (*Plut. I. Plac.* 3.) quare cum Anaxagoras, ut in animalibus, ita in Natura Intellectum esse caussam Mundi, totiusque ordinis dixerit, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes apparuit. (*Arist. I. Metaphys.*) „Stoicos etiam in eadem classe numerat Cicero (*Cic. II. Nat. c.* 22. — *et fir. Qu. Nat. II. c.* 45.) aitque illos vim quamdam Igneam vel Ignem posuisse, quem Animam, mundi Mentem, Deum, Jovem dixerunt: Quod etiam, licet obscurius, aliaque certe ratione Poëtae omnes expresserunt; atque inter caeteros Hesiodus, qui Amorem omnia moventem, disponentem, conciliantemque invexit. (*Hesiod. in Theog. et apud Empir. I. adv. Phys.*) Nihil est porro cur Aristotelem quoque in hac sententia fuisse dicamus, cum plurima sint et illustria illius loca, in quibus id expresse aperteque demonstrat; praesertim vero in libro de Mundo (qui tamen suppositititius haberi solet) ubi pulcherrimam Mundi dispositionem ab Universorum Conditore factam esse docet, et a Deo omnia esse, conceptis verbis asserit (*Lib. de Mund.*) Unde merito Aphrodisaeus, cum de Intellectu agente dissereret, ait „Talem autem esse primam Caussam, ab Aristotele demonstratum est, cum prima Caussa procul dubio proprie sit Intellectus. (*Tract. de An.*). Sed

nefas propemodum foret Aristotelem, aliosque graviores Philosophos ab Epicuro, caeterisque Epicuris similibus dissidentes hoc in loco mirari; cum potius mirandum esset, si in gravi adeo perniciosoque errore isti cum illo convenirent. Caeterum locus hic non patitur, ut rationes illas, et argumenta iterum oculis subjiciamus, quibus ostendi et invicte probari solet, Deum existere: inde enim evidentissime sequitur, Deum esse primam rerum omnium Caussam, Opificem, Motorem, Principium, quod omnia creaverit, omnia conservet, ac omnia dirigat. Interim vero, quod ad rem praesentem spectat, Deum existere supponimus, quod Epicurus ipse concesserat, inde vero facile deducimus, Deum esse Creatorem omnium rerum, seu primam omnium Caussam, quod ille aliique negaverant. Et sane cum Dei nomine nihil aliud intelligi debeat, quam Ens perfectissimum, quod in se perfectionem omnem contineat, omniumque rerum pulchritudinem, perfectionemque mirifice complectatur, quod denique a nulla alia re dependeat, non iners certe Deus, aut otiosus esse vel fingi unquam potest, cum id imperfectionem contineat: „quae enim potest esse beatitudo in Deo, si semper quietus et immobilis foret, si precantibus surdus, si colentibus coecus? (*Lact.*) neque perfectionem omnem is contineret, si perfectio et proprietas primae causae, non illi, sed alteri conveniret; neque haberet agendi vim infinitam, et perfectissimam, nisi rebus omnibus esse tribueret. Hinc ex innumeris fere rationibus, quibus Dei existentia probari solet, illustrior et efficacior desumitur ex necessitate Caussae primae, vel Principii illius, a quo omnia creata sint, seu esse receperint, et a quo singula moveantur; unde concluditur, Deum existere; quia debet existere Caussa omnium prima; evidens adeo compertumque, Caussam primam non aliam effingi posse, quam Deum. Illud adhuc his, eruditionis duntaxat gratia adlatis, adnectendum mihi videbatur, quod est eleganter a Seneca dictum, Deum ipsum Fatum, Fortunam, Naturam etc. vocari posse. „Vis illum, inquit, Fatum vocare? non errabis; hic est, ex quo suspensa sunt omnia, Caussa caussarum. Vis illum Providentiam? recte dices: est enim cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconcussus eat, et actus suos explicet. Vis Naturam vocare? Non peccabis: est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus Spiritu vivimus. Vis illum vocare Mundum? Non falleris: in se enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus.“ (*Sen. II. Quaest. Nat. c.* 45.) Et alibi: „insita sunt nobis omnium aetatum, omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. Et Natura, inquis, hoc mihi praestat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim est aliud Deus, quam Natura et divina Ratio toti Mundo, partibus ejus inserta?“ (*de Ben. IV. c.* 7. *Vid. Arist. lib. de Mundo cap.* 6.) Haec eadem egregie docuit Augustinus. „Si propterea quisquam res humanas Fato tribuat, quia ipsam Dei voluntatem fatum appellat, sententiam teneat, et linguam corrigat.“

(*V. Civ. c.* 1.) Illud enim Ecclesiae Patribus maxime cordi fuerat, ne vane Ethnicorum nomina a Fidelibus usurparentur, unde Augustinus ipse inter errores suos enumerat, quod aliquando Fatum, et Fortunam dixisset. (*Retract. l. c.* 1.)

Schol. 2. Krug (*Theologiae suae metaphysicae* §. 189. *Schol.* 2.) recte systema emanationis mundi ex Deo, a nobis alibi refutatum, reprobandum, imo puerile et Philosopho majorem in modum indignum esse pronunciat, quo sensu Mundus, non Productum Dei, sed Eductum ex Deo dici deberet. Generatim cum sententia de creatione mundi ex nihilo tam formae mundi hujus, qui ordinis, consilii et successionis plenus, adeoque intelligentiae opus est, et initii signa gerit, quam etiam ejus materiae (substantiarum mundanarum) indoli, quae suapte natura non existit, adeoque dependens et effecta est, atque attributis Dei, tamquam entis mere moralis, maxime consentanea sit; ea, non obstante sua incomprehensibilitate, quae quaestionem de mundi ortu, tamquam intellectus humani limite necessario, adficit, systematibus emanationis et materiae mundi aeternae, quae utrique illi rationi adversa sunt, praeferri debet; cum emanationis fautores Divinitati materialitatem, fautores vero materiae aeternae, quae si omnis proprietatis expers esse dicitur, chimera est, materiae illi Divinitatem affingere coguntur, utrique vero rerum naturalium (cum agunt per effluvia, vel ex materia praeexistente) similitudine pueriliter fallantur.

Schol. 3. Reimaro (in den vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion) multo probabilior, et naturae materiae congruentior videtur Sententia, hanc ipsam, omnis vitae ac sensus expertem, cujus plane nihil referat, an sit, vel non sit, a vi intelligente propter usus naturarum, vita praeditarum, conditam fuisse, quam ipsam sua virtute et absoluta, ut aliqui opinabantur, necessitate existentem, precario sane sumere. Sed non contentus Cel. Kantius, ut ipsam materiam divina voluntate existere, agnoscatur, plura ac majora consequi studet (*Vide Ejus* einzig möglicher Beweisgrund einer *Demonstration* des Daseyns Gottes, zweite Abtheilung, *per integrum fere, inprimis p.* 56—66.) Nimirum admirandam illam foecunditatem materiae, qua apta sit ad infinitas conjunctiones utilissimas et harmonicas, resque, caeteroquin disjunctissimae, ipsa sua natura tamen conspirent et consentiant ad illos usus, non posse intelligi, putat, sine communi quodam principio intelligente superiori; cumque istae aptitudines necessario conjunctae sint, etiamsi materia tantum, ut possibilis spectetur, consequens esse, ut materia quoad ipsam internam possibilitatem referri debeat ad Intelligentiam unam supremam, fontem omnis possibilis.

Schol. 4. Quaeritur, an mundus hic ab aeterno vi divina existere, vel a Deo in tempore factus videri debeat, cum Ari-

stoteli aliisque propterea hoc visum sit, quod posita caussa, effectus deficere nequeat, quam sententiam systema mundi aeterni, Deo coaeterni vocant. Sed cum primo illud, quod productum esse dicitur, necessario initium existentiae habere cogitetur, deinde cum mundus hic non caussalitate naturae et essentiae, verum caussalitate voluntatis divinae existat, denique cum mundus hic necessario caussarum series, et statuum successiones involvat, quae infinitae esse nequeunt; mundus hic vi divina ab aeterno existere videri nequit, atque adstructa mundi aeternitate, is jam non opus voluntatis, sed foetus essentiae divinae videri deberet, quae opinio ab emanatione, vel a Pantheismo non distat. Deus itaque, ut omnes cum theisticas, tum atheisticas Cosmogonias uno conspectu perviderimus, cum rationem existentiae hujus mundi continet, eam vel tamquam aliquod ens physicum, caussalitate coeca suae naturae, quo systema emanationis et mundi aeterni pertinet, vel tamquam ens morale, caussalitate oculata suae intelligentiae et voluntatis, continere concipitur, quo systema materiae cujusdam aeternae, ex qua Deus, tamquam merus artifex, tamquam architectus mundum fabricaverit, et systema creationis mundi ex nihilo, pertinent, cum Deus tam materiae, quam formae effector esse cogitetur; quod posterius, ut unice validum verumque suo loco in Cosmologia, et in praesenti quoque membro, adoptari sana mente solum posse, docuimus.

ARTICULUS II.

De Providentia Dei.

§. 139.

Creationem excipit Providentia, seu Cura Dei de rebus creatis. Quam qui intelligere cupit, is praevie ea, quae notionem providentiae ingrediuntur, rite perspecta habeat et explorata. Quare quid sit conservatio, quid concursus, quid denique gubernatio, paucis ante definiemus. Qui vero providentiam Dei in mundo agnoscunt, hoc universe statuunt, non Casus aut Fati coecitate, vel sola hominum prudentia et potentia, sed divina ordinatione, praevisione, administratione, et potentia omnia in mundo et genere humano, hoc admirabili ordine et cursu perdurare, consistere et procedere. Posse porro Deum circa mundum providen-

tiam exercere, sequitur ex ipsius perfectionibus, omniscientia, omnipraesentia, omnipotentia, ac supremo Ejus in res creatas dominio.

Scholion. Jus subjective spectatum, sive ut personam adficit, est facultas moralis ad actionem aliquam. Sic e. g. dicimur habere jus ad illa facienda, quae lex praescribit. Nomine actionis hic etiam permissiones et omissiones intelliguntur. Dominus est, qui habet jus disponendi de re, et quidem plenus, qui habet jus disponendi de re, quidquid placuerit. Dominium plenum est complexus jurium omnium, quae in rem aliquam, aut personam exerceri possunt. Dominium plenum in personas speciatim, potestas plena dicitur. Jam Deus in res creatas omnes plenissimum habet dominium. Sequitur hoc vel ex sola creatione. Atque istud Dei dominium tale est, ut Deus illud non possit abdicare, neque ullam creaturam ab eodem eximere, adeoque ut nulla creatura, neque ullo tempore aliqua existere possit, quae huic dominio subjecta non sit, aut aliquo tempore subjecta non sit; est enim Deus necessario talis, cui subjecta sunt omnia, quae existunt; talem quippe esse, certe perfectio est. Dominium Dei etiam Majestas Dei dicitur, vi cujus Deus etiam omnia illa jura habet, quae supremam potestatem constituunt. Dominium Dei consideratum ut ipsius perfectio, est illa, quae ab aeterno in aeternum in Deo, si ita loqui licet, fundat jus perfectissimum in omnes creaturas, si quae sunt, ac proinde in creaturis omnimodam et stabilem subjectionem exigit. Effectus vero dominii creaturarum existentiam supponunt.

§. 140.

Conservatio est continuatio voluntatis divinae de rei creatae existentia. Deus hunc mundum assidue conservat. 1. Cum enim tota ratio, cur esse mundus aliquando coeperit, in una Dei voluntate sit posita, in eadem etiam positum sit oportet, cur esse deinceps pergat: nam sicut res quaevis indifferens est, ut esse incipiat, antequam sit: ita postquam existit, aeque indifferens est, ut existentiam continuet: continuari ergo Dei voluntas debet, ut mundus perduret; atqui ea divinae voluntatis continuatio, rerum creatarum conservatio dicitur: Deus itaque mundum assidue conservat. 2. Sub-

stantiae creatae nunc existunt, vel quia ipsis est essentialis existentia, vel quia modo existit, vel quia existentiam ipsis positiva voluntate Deus prorogat; atqui duo priora dici nequeunt: non primum: non enim existunt a se, sive ex necessitate naturae suae, utpote entia mere contingentia; non secundum: nulla enim est necessaria connexio inter varia, quibus existunt momenta, alioquin destrui omnino non possent, ergo ideo nunc pergunt existere, quia Deus voluntate positiva ipsis existentiam jugiter prorogat. 3. Deus ab aeterno decretum tulit de mundo procreando, vique hujus decreti mundus e nihilo prodiit in tempore. Porro decretum illud, vel subsequentia, quibus extiturus est mundus, tempora complectitur, vel ab iis, ut ajunt, abstrahit; atqui posterius dici nequit; a Deo enim exulat omnis abstractio; ergo praefatum decretum ad singula pertinet momenta, quibus mundus est duraturus, ergo ab aeterno Dei decreto, sive voluntate fluit existentia mundi continuata, consequenter mundum Deus positive conservat. Et sane, vel Deus vult me hodie existere, vel non vult, vel circa meam existentiam suspensus est ac fluctuans: atqui duo posteriora defendi nequeunt, non primum: quia si me existere nollet Deus, certo hodie non existerem; non secundum. quia nefas est aliquam in Deo animi suspensionem admittere; superest igitur, ut me existere velit Deus: atqui velle et facere sunt quid idem apud Deum: ergo positivae Dei actioni tribuenda est hodierna mei existentia. 4. Ea debet admitti in Deo in res omnes creatas dominatio, qua major cogitari nequit, illaesis ipsius attributis: atqui sententia, quae conservationem positivam defendit,

longo majus Dominium Deo vindicat, quam opposita; creaturae enim multo magis a Deo pendent, si ex propria virtute subsistere non valeant: ergo etc. Deus porro conservando entium creatorum existentiam, vim quoque eorum singulis momentis conservat. Deus enim conservando entium creatorum existentiam, simul omnes realitates, quae ipsis, ut existentibus, vi essentiae competunt, conservat, ut in aperto est; sed vis entibus creatis, ut existentibus, vi essentiae competit, ut ex Ontologia notum: ergo Deus conservando entium creatorum existentiam, vim quoque eorum singulis momentis conservat, ac proinde vis agendi entium creatorum eo quoque momento, quo agit, a Deo conservatur, seu, quod idem est: entia creata in eo statu, quem agendo obtinent, a Deo conservantur. 5. Si verum est, mundum opus Dei esse, etiam verum esse debet, existentiae mundi momentum primum immediate a Deo dependisse; creavit enim Deus mundum; mundus autem a Deo creatus, post sui creationem non aliam obtinuit essentiam, quam antehac habebat; ergo etiam momentum mundi creati secundum a Deo dependebat; ergo etiam tertium, quartum, et omnia illa innumerabilia momenta, ad praesens usque momentum. Si itaque Deus voluit ut mundus sit, etiam in voluntate hac voluntas mundum conservandi inclusa esse debebat. Conservat ergo Deus hunc mundum.

Scholion 1. Sunt, qui putant, substantiam eo ipso, quod existentiam acceperit, in ea, ex se ipsa, et citra ullius causae adminiculum permanere, ita ut non possit in nihilum redire, nisi positivo Dei decreto destruatur. Hujusmodi conservatio dicitur indirecta et negativa; sed potius dicenda est nulla. Si enim substantiae creatae ex se ipsis, et quidem solis in existentia semel

accepta permaneant, donec eas Deus voluntate positiva destruat, ipsas conservare vere dici non potest: sicut, qui domum non comburit, vel qui hominem non occidit, nonnisi inepte diceretur domum, vel hominem conservare.

Schol. 2. Conservatio continuata creatio hoc sensu dici potest, quod eadem actio Dei, scilicet volitio, qua substantia finita existentiam obtinuit, continuetur, qua actione continuata etiam existentia substantiae finitae continuatur, sive, eadem durat; actio autem, qua substantia talis primo existentiam suam obtinuit, est creatio, haec actio continuata est conservatio. Verum nequit conservatio creatio dici hoc sensu, quasi quovis momento substantia finita ex nihilo produceretur. Cum porro conservatio substantiarum finitarum sit ratio perdurationis earundem, cessante conservatione cessaret illarum existentia. Quare ad substantias finitas annihilandas non requiritur actio positiva Dei, sed sufficit non conservare easdem.

Schol. 3. *Objiciunt.* Una quaeque res in existentia semel accepta perseverabit, modo nulla sit ex parte Dei actio, qua destruatur, ergo conservatione positiva non indiget. R. N. A. Creatura enim non minus est a Deo dependens in subsequentibus existentiae momentis, quam in primo; non potest igitur existentiam semel acceptam retinere, nisi Deus velit: atqui in Deo velle et agere sunt unum et idem; ergo creaturae in existentia permanere nequeunt sine Dei actione in ipsas jugiter influente, qua proinde sublata in nihilum statim relaberentur, ex quo sine divina voluntate nunquam exiissent. *Urg.* Creatura, utpote contingens, ad existendum, vel non existendum est indifferens: ergo semel existens eo ipso perget existere, donec a Deo positive destruatur R. D. A. Creatura est indifferens ad existendum, vel non existendum, eo sensu, quod possit existere, vel non existere C. eo sensu, quod semel existens sua virtute et citra ullam Dei actionem pergat existere, *nego.* Creatura est indifferens ad existendum, vel non existendum, eo sensu, quod possit existere, vel non existere; non vero, quasi semel existens ex sua virtute et citra ullam Dei actionem pergat existere. Cum enim nullum ens possit absque sufficienti ratione existere, dari debet hujusmodi ratio, non tantum in primo, quo existere coepit, momento, sed etiam in secundo, tertio, et aliis subsequentibus: atqui haec ratio deduci non potest ex ipsa creaturae natura, quia semper est contingens; aliunde ergo repeti non potest, nec debet, quam ex continua et efficaci creatoris voluntate. Et vero, si creaturae sunt indifferentes ad existendum, vel non existendum: non majorem ad futuram existentiam vim ex se habent, quam ad sui destructionem: opus igitur est ipsis influxu externo, tam ut sua in existentia permaneant, quam ut destruantur. Porro concedunt adversarii, creaturas non posse sine actione divina extingui, ergo eandem hanc actionem postulant crea-

turae, ut in accepta existentia perseverent. *Urg.* Res in aliquo statu constituta, in eodem permanet, donec ab eo per causam aliquam externam deturbetur. Sic corpus tamdiu quiescit, donec ab altero moveatur; ergo creatura semel existens non cessabit existere, donec a Deo positive destruatur, ℞. D. A. Res in aliquo statu constituta in eodem permanet posita Dei conservatione C. seposita illa *neg.* Sensus enim axiomatis est, rem in suo statu permanere propter immutabilitatem divinae voluntatis, quae rem in eodem statu conservat, donec occasione caussae alicujus externae eum immutet. Sic corpus non desinit quiescere, donec alterius corporis impulsu movetur; ita etiam natura servat leges a Deo sancitas: sed praefatum axioma non est intelligendum seclusa Dei conservatione; ea quippe sublata, corpus non existeret, nec proinde moveretur, aut quiesceret. Efficacem enim potentiam suam si rebus creatis subtrahat Deus, eae nec existere, nec existentiam continuare, nec in eo, in quo sunt, statu permanere queunt. *Obj.* Opus arte factum sine artifice subsistit, ergo multo magis opus naturale stare potest citra perpetuum sui auctoris influxum. ℞. N. C. et parit. Ratio disparitatis est, quia materiam, in quam operatur, non efficit artifex, sed eam ab alio factam certo modo tantum informat. Contra vero Deus materiae et omnium substantiarum caussa est effectrix, quae quidem caussa, postquam dedit esse, feriari non potest, sed jugi influxu conservat, quod primum dedit. Nulla igitur instituenda est comparatio. Deum inter et quemlibet artificem, cujus semper limitata est potentia. „Neque enim sicut structor aedium, inquit Augustinus, cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente, stat opus ejus; ita mundus nec ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. (*Lib.* 4. *de Genesi ad litterae, cap.* 11). *Obj.* Ad omnipotentiam Dei pertinet, ut perfectiores res producere possit, ac producant homines; cum ergo horum opera cessante artificis actione perdurare soleant, potiore jure dicendum est de Deo, ab eo posse ejusmodi res procreari, quae perdurent cessante etiam actione conditoris, adeoque directa conservatione non egeant. ℞. D. A. ad omnipotentiam Dei pertinet, ut perfectiores res producere possit, ac producant homines. quae tamen res cuipiam divinae perfectioni non repugnent. C. A. tametsi res producendae repugnent cuidam divinae perfectioni N. A. et C. Artefacta humana non secus ac divina illico in nihilum suum abirent, nisi a Deo continenter conservarentur; adeoque hac ex parte artefacta humana et divina sunt paria. At nequaquam pertinet ad omnipotentiam Dei posse res condere artefactis humanis hoc in genere praestantiores, seu tales, quae non egeant assidua conservatione divina; condere enim hujusmodi ens repugnat perfectioni divinae, vi cujus Deus tam necessarium ens est, ut reliquorum omnium existentia non solum primo creationis suae momento, verum deinceps quoque constanter a positivo ejusdem decreto dependeat. Hoc tamen non ob-

stante, Deus res artefactis humanis longe perfectiores condere potest: quia potest res condere, quae inprimis longe plura ac praestantiora perfectionum principia habeant, iisque longe magis consentiant, quam artefacta humana, quae deinde longe minus possint a caussis contrariis destrui, ac ista. Accedit, quod ad id, ut artefacta humana e. g. machinae perdurent, satis sit, si commissurae, atque vinctiones membrorum a machinatore adornatae non dissuantur, cui impediendo providit naturae Autor per caussas alias naturales, vim scilicet inertiae et cohaerentiam. Ut autem res creatae permaneant, impediri debet, ne in pristinum nihilum recidant, cui impediendo una Dei par est potestas. Deinde ipsae etiam machinae ab eodem communi custode Deo conservantur, qui vult unamquamque naturam in statu eodem persistere, in quo est posita, donec externae caussae aliquid immutent. *Obj.* Per creationem res, quae non existebat, incipit existere; per conservationem vero res jam existens pergit existere, ergo creatio et conservatio inter se differunt. R. D. C. Inter se differunt ratione creaturae C. ratione Dei *neg.* Creatio et conservatio discrepant quidem ratione creaturae; dum enim creatur, nihil est; dum autem conservatur, jam e nihilo educta pergit existere. Sed minime differunt ratione Dei: siquidem eadem, aut simili actione et voluntate, ut probavimus, Deus creat et conservat. *Urg.* Si creatio et conservatio ratione Dei non differrent, Deus res creatas conservans, eas singulis instantibus e nihilo educeret, atqui id absurdum est, ergo etc. R. N. M. Neque enim dicimus creationem et conservationem ex parte Dei non discrepare, quia Deus res creatas conservans eas singulis momentis e nihilo extrahit, ita ut creaturarum duratio ex iteratis et repetitis existentiis coalescat. Quo pacto enim homo in instanti B educeretur e nihilo, cum jam existeret in instanti A: sed creationem et conservationem ratione Dei non differre dicimus, quia eadem voluntas Dei omnipotens, quae fecit, ut res primo existeret, efficit etiam, ut res per totum suae durationis spatium a Deo constitutum existat Uno verbo, Deus vult existentiam continuari, non iterari. Et vero creationem et conservationem eamdem esse ex parte Dei actionem, quamvis prima substantiam e nihilo educat, non autem altera, ista comparatione exhiberi potest: Nonne eadem est luminis in meos oculos actio in primo et secundo instanti, quamvis in primo tenebras, in quibus versabar, depellat, in secundo autem e tenebris me non liberet, siquidem in eas non recideram? Sic homo in momento B e nihilo non educitur, utpote qui in momento A jam existebat; sed in nihilum rediisset in instanti B, nisi adfuisset vis efficax Dei conservantis *Obj.* Mentes humanae sunt natura sua immortales: atqui po ius natura sua mortales dici deberent, si natura sua ita tenderent in nihilum, ut ne minimo quidem tempusculo durare queant absque positiva idgenus actione divina, qua fulciantur, vindicenturque ab interitu C. M. n. m. Natura enim immortale non

illud est, quod conservatione divina non eget, sed quod servato communi naturae cursu vita privari non potest, seu cujus vita servatis naturae legibus a Deo stabilitis in omnem aeternitatem ab eodem conservari debet.

§. 141.

Ens concurrit ad entis alterius actionem, si agendo contineat aliquam rationem, cur illud agat e. g. Qui alterum consilio, adhortatione, aut imperio ad agendum inducit; item qui alteri ad agendum necessaria suppeditat etc. ad ejusdem actionem concurrere dicitur. Quaeritur hoc loco, utrum Deus ad omnes generatim actiones creaturarum, et quomodo concurrat? Ad quod priusquam respondeamus, scire debemus, concursum divinum dici immediatum, si Deus non minus ad existentiam effectus, quam ad existentiam caussae concurrat; mediatum autem, si concursus ille in eo duntaxat consisteret, quod Deus entibus a se conditis efficacitatem agendi largitus sit, caetera illis relinquens. His praemissis, dicimus: Deus ad omnes entium creatorum actiones concurrit, et quidem concursu immediato *Prob.* 1. *pars:* Deus positiva actione (quae conservatio directa dicitur) conservat singula entia creata, et omnem eorumque agendi vim, idque etiam eo ipso momento, quo entia illa agunt, ut supra probavimus; ergo ad omnes eorundem actiones concurrit. *Prob.* 2. *pars:* Caussa creata, quemadmodum quovis momento quoad suam existentiam a Deo dependet per conservationem, ita per eandem conservationem quovis etiam momento retinet dependenter a Deo et agendi vim, et eum quoque statum suum, quem agendo obtinet, ergo Deus non minus concurrit ad existentiam effectus, quam

ad existentiam caussae, eo ipso autem ad omnes entium creatorum actiones concurrit concursu immediato. 2. Cum caussa creata agit, novum quemdam statum obtinet: et si agat extra se, novum etiam alteri rei inducit, in quam scilicet agit: si ergo non concurrit Deus proxime ad cujusvis causae creatae quamlibet actionem, non pendet quaelibet res mundana perfecte, et secundum totam sui constitutionem proxime a Deo; sed hoc adversatur summae Dei potentiae et dominatui. Praeterea 3. non minus voluntate duntaxat Dei agere possunt res creatae, ac voluntate duntaxat ejus possint existere; alias summum in ipsas Deo non foret arbitrium; sicut ergo existentia ipsorum proxime pendet a Deo, sic et actio quaelibet. Denique 4. non modo agendi potentia, sed et actio caussarum creatarum est quaedam earundem perfectio: perinde igitur haec, ac illa, proxime, seu immediate pendet a Deo.

Scholion 1. Concursus, generatim spectatus, nihil aliud est, quam conservatio substantiarum, virium earundem, totiusque status, quem substantiae agendo obtinent, isque dicitur immediatus, quatenus Deus immediate hac conservatione cooperatur ad existentiam effectus, quae tamen immediata cooperatio reipsa illa conservatio est, ita ut conservatio et concursus nonnisi diversa relatione Dei differant. Conservatio scilicet consideratur, ut operatio Dei quovis quasi momento creans; et concursus ut operatio cum vi rerum, quatenus Deus etiam tunc vires conservat, dum agunt, et hac actione in existentiam effectus simul influit. Dicitur ille concursus etiam naturalis, physicus, universalis.

Schol. 2. Qui Deum ad actiones creaturarum concurrere negant, creaturas in agendo a Deo nimis independentes faciunt, quod repugnat supremo Dei in res creatas dominio, cui non tantum substantiae in existendo, sed etiam in agendo subjectae sunt, ita, ut quo modo sine conservatione Dei esse non possunt, sic, dum sunt, sine cooperatione Dei agere nequeunt. Concursus moralis Dei est illa Dei actio, per quam ipse fit caussa moralis quarumdam

actionum liberarum creaturae rationalis; quales sunt e. g. legum, poenarum, et praemiorum constituti . suasiones adhortationes, atque aliorum adjumentorum subministratio. Hic concursus etiam specialis dicitur. Cum Deus intendere peccatum ob summam sanctitatem non possit, etiam esse non, potest ut ipse alicujus etiam minimi peccati caussa moralis sit; hinc nulla motiva ad peccandum allicientia proponere aut ulla alia ratione voluntatem ad peccatum inclinare potest. Concurrit igitur moraliter Deus tantum ad actiones bonas singulas, cum ipse sit auctor legum naturalium etc. Et quidem concurrit concursu duplici; primo generali et physico, deinde speciali ac morali. Ad actiones autem creaturarum rationalium malas, quatales, Deus non concurrit: malitia enim actionis defectus est; Deus autem defectu non operatur . . . Distinguunt hic materiale actionis a formali: primum est actio considerata, ut est mutatio ex vi activa profluens, quae mutatio semper est aliqua realitas, cum sit exercitium vitae ipsius vis. Alterum est actionis determinatio, aut complexus determinationum, quae actioni adveniunt a libertate agentis, et conformitate, aut difformitate cum lege cognita, a quibus determinationibus actio, vel moraliter bona, vel mala est. Ad materiale actionis sufficit concursus Dei generalis, et Deus, dum ad materiale ita concurrit, author peccati, qua talis, non efficitur, quod ne quidem qua tale permittit, cum illud moraliter omnino impediat. Vult Deus, dum illud permittere dicitur, tantum non impeditionem physicam, quam si vellet, creatura libera non esset. Qui putant, formale a materiali in quibusdam actionibus separari non posse, attendant tantum ad amentes, qui, dum e. g. linguam in voces blasphemas solvunt, non peccant; est igitur ratio peccati distincta ab actione physica: ad physicam Deus concurrit, ad pravitatem autem actionis concurrere nequit, sive nequit adjuvare, ut actio mala sit.

§. 142.

Gubernatio est mediorum et eventuum ad praefixum rei finem directio. Sic gubernare rempublicam dicitur is, qui ad salutem publicam promovendam singula in eadem dirigit. Gubernatio igitur mundi est directio mediorum eventuumque, qui in mundo contingunt, ad finem mundi. Ad perfectam proin Gubernationem requiritur 1. Scientia objecti gubernandi, ipsius finis, et illorum omnium, quae vel sunt media, vel talia fieri possunt, et scientia

modorum adplicandi: 2. Potentia exequendi, 3. Voluntas. Gubernationis autem regulae sunt fines rerum gubernandarum. Deus omnia gubernat ita, ut singula ad certos fines bonos referat, aptaque ad eos adsequendos media adjungat. Si enim dicto modo mundum non gubernaret, id vel propterea esset, quod non sciat ita eum gubernare, ut singula ad certos fines bonos referat, mediaque iis finibus accomodata statuat, vel quod non possit ista praestare, vel denique quod nolit. Jam duo priora dici non possunt, cum Deus cumulatissimam rerum omnium scientiam habeat, sitque praeterea omnipotens. At neque potest dici tertium, quod ostendo. Quidquid in rerum natura fit, id debet fieri, vel positive, volente Deo, vel saltem consulto permittente: ut enim hoc modo res omnes a Deo dependeant, summa ejus perfectio ac dominatus postulat. Porro insipientis est, quidquam velle, aut consulto permittere absque ullo fine; insipientis item, vel saltem infinita scientia potentiaque carentis est, non constituere media, quae apta sint ad assequendos fines a se praestitutos. Denique Deus ut infinita bonitate praeditus nequit malo fine quidquam velle, aut consulto permittere. Fatendum ergo est, velle Deum singula, quae fiunt, referre ad certos bonos fines, hisque adsequendis accomodata media constituere, ac proinde mundum ab eodem dicto superius modo gubernari. Mundum a Deo gubernari, etiam ex constanti ordine, qui in mundo observatur, elucet. In mundo enim conspiciuntur effectus constantes et uniformes, cujusmodi sunt siderum conversiones, quatuor anni tempestates sibi invicem succedentes, dierum et noctium

vicissitudines, corporum viventium generatio, eadem in plantis et animalibus organica dispositio, earundem specierum propagatio; stat quoque perpetuum inter elementa aequilibrium, quo destructo confunderentur omnia et interirent: atqui effectus tam aequabiles summam rerum moderatricem caussam arguunt. Cum enim nihil sit, quod ex natura sua certam constantemque habeat perpetuitatem, necesse est tanti ordinis conservationi praecesse mentem aliquam summe intelligentem, omniaque potentissima et occultissima virtute moderantem. Si quis enim Rempublicam bene constitutam videat, ubi ordinate geruntur omnia, ubi artes feliciter excoluntur, ubi civibus necessaria quoque largiter subministrantur; hujusmodi profecto Rempublicam a nullo Rectore administrari nemo sanus crediderit; ergo pariter cum pulcherrimam istam orbis compagem oculis usurpamus, in qua tanta rerum varietas tantaque simul constantia deprehenditur, in qua singula suos ad usus aptissima sunt; in qua tandem post multa annorum millia nihil de ornatu et ordine pristino decessit, quis, nisi plane desipiat, inficiari ausit, hunc mundum a Deo gubernari?

Scholion. Ex supremo Dei in mundum dominio simul fluit jus gubernandi mundum; imo ipsa actualis gubernatio, est aliqua supremae in mundum potestatis administratio.

§. 143.

Gubernatio Dei dividitur in positivam, negativam, et permittentem. Positiva consistit in eo, quod Deus media ad certum finem, vel ex toto, vel ex parte producat, disponat, et ad illum finem dirigat. Negativa sita est in eo, quod Deus ad certum finem aliquas

possibiles actiones creaturae impediat, excepta una, quae idcirco consequitur, et ad finem intentum servire debet. Permittens in eo est, quod Deus ob certum finem aliquid permittat, quod ipsum permissum facit esse medium. Gubernatio haec non debet confundi cum illa permissione, qua aliquid tamquam accidentale ideo permittitur, quia ipsum non obest, quominus finis intentus obtineatur. Dividitur etiam gubernatio in universalem, quatenus singula hujus mundi aequaliter gubernat, et specialem, quatenus singulari quodam modo certas creaturas, aut creaturarum species gubernat. Item in ordinariam et extraordinariam: Prior est, qua Deus secundum datas creaturis vires, statutasque naturae leges gubernat. Posterior, qua actione sua immediata sine concursu virium naturalium eventum aliquem ad fines suos altissimos obtinendos interserit, qui sine tali actione immediata Dei nunquam fuisset productus, etsi hinc inde produci potuisset; ad hanc gubernationem etiam miracula pertinent, et ipsam esse maxime specialem per se patet.

Scholion. Duplex de modo gubernationis divinae disciplina proposita est, altera, ex qua omnia et singula sunt praestabilita, ita ut nullis novis consiliis, aut actionibus divinis in tempore demum susceptis opus sit; altera, ex qua nova subinde efficientia divina, et concursu quodam speciali opus sit. Atque ex illa sententia gubernatio continetur tum ipsa creatione nexuque semel constituto, tum hujus conservatione. Nec intelligunt, quid dicant, qui putant, hoc modo nunc Deum otiosum esse, et ab opere suo disjunctum, illud non amplius curantem; cum per ea, quae de conservatione dicta sunt, nullo unquam temporis puncto cesset et remitti debeat efficientia divina, ut perseveret mundus. Quae autem pro altera disciplina adferuntur rationes, ductae a generatione quotidiana, aut annua, novorum germinum in regno animali et vegetabili, quae neque praeformatione, sive involutio, sive disseminatio placeat germinum, neque Epigenesia quadam mere naturali explicari queat, a proportione tum specierum ipsarum, tum sexus inpri-

mis in qualibet specie: aut a libertate omnem praestabilitionem plane respuente; tanti non sunt, ut prior illa disciplina refellatur, et haec vincat. (*Ulrich Theologiae rationalis* §. 96). Vide quoque Reimari (H. S. vornehmste Wahrheiten der natürlichen Religion etc. VIII Abhandl. — Tum: A Collection of Papers, which passed between the late learned Leibnitz and Dr. Clarke, by Samuel Clarke. London 1717. vernac. redd. ab Henrico Koehler. Jen. 1720. 8.

§. 144.

Gubernatio Dei circa hunc mundum se extendit 1. ad singula objecta, ita ut nulla sit in mundo substantia, mutatio nulla, quae huic gubernationi non subsit; nam singula sunt partes invicem connexae, eundemque finem communem habent, cui quaedam directe, quaedam indirecte inserviunt. Et quidem directe inserviunt omnes mutationes vi legum naturalium consequentes; omnes actiones liberae bonae, et omnes illae mutationes, quas Deus per se ipsum in mundo producit. Indirecte autem ad finem communem conferunt peccata ab hominibus committi solita. 2. ad omne tempus ita, ut nullum sit momentum inde ab origine mundi, nullumque persistente mundo futurum sit, quo Deus mundum non gubernet: neque enim unquam mundus sine fine esse poterit, sapientia id non permittente; hunc finem semper adsequitur Deus directione mediorum ad ipsum finem. Gubernatio Dei circa creaturas rationales etiam specialis est. Nam cum creaturae rationales liberae facultates limitatas habeant, atque hinc a fine primario, scilicet glorificatione Dei, et consequenter a secundario, propria nempe felicitate, vitio tum intellectus, tum voluntatis deficere possint, sapientis Gubernatoris est, media sufficientia ad fines obtinendos subministrare, praesertim cum ipse

illas creaturas tales condendo ostenderit, se fines illos cum libera ipsorum cooperatione obtinendos intendisse. Atque hinc concursus specialis per leges et motiva ad actiones bonas necessitas, tamquam pars gubernationis elucet, quae se ulterius ostendit in actionum bonarum directione, et cum pluribus bonis, quam creatura intendebat, connexione. Gubernatio extraordinaria, nec in se impossibilis, nec Deo inconveniens est. Primum ex conceptu talis gubernationis, atque etiam ex miraculorum in Cosmologia vindicata possibilitate patet. Alterum inde, quia nulla in Deo adest perfectio, cui talis gubernatio esset opposita; imo vero potest eadem hinc inde esse convenientissima sapientiae et bonitati divinae, dum scilicet sine tali gubernatione fines mundi, aut omnino non, aut non ita perfecte obtineri possunt.

Scholion 1. Indirecte peccata serviunt ad finem mundi, ipsaque licet non concursui, gubernationi divinae substant; nam licet hi actus directe repugnent perfectionibus divinis, Deusque illos velle non possit, dum tamen, Deo physice non impediente, a creatura fiunt, connecti possunt et ipsi et eorum consectaria cum aliis mutationibus ita, ut eorum consectuaria et nexus, et aliae mutationes ad optimos fines inserviant. Quam in rem plura illustria exempla suppeditantur ab Historia.

Schol. 2. Poterat utique Deus vi supremi sui dominii creaturis liberis dare leges, sed vi sapientis, benignae justaeque gubernationis etiam dedebat dare leges, atque has ipsas praemiis et poenis statutis sancire. Systema tale, in quo subditi sunt, qui a supremo Domino ita reguntur, ut ipsis leges praescribat, easdem praemiis et poenis muniat, vocatur Civitas. Complexus igitur creaturarum rationalium civitatem Dei constituit, atque ipse Deus suae Civitatis supremus et independens Dominus est, et Gubernator.

Schol. 3. Non est necesse, ut extraordinaria gubernatio Dei nobis semper aperta sit; potest ipsa esse occulta, potest esse tam circa actiones rerum non liberas, quam liberas spirituum, et immediata circa quasdam, mediata circa multas alias. Qui talem gubernationem non admittunt,

sed dicunt, jam tum ab initio creationis singula ita a Conditore fuisse disposita, occultosque in rerum natura ab initio ductos praeparatosque cuniculos fuisse, etiam ad extraordinarios eventus certo tempore producendos, aut ad quasdam actiones impediendas, ne certi eventus producantur: ii, si tales eventus a rerum creatarum actione produci, aut impediri judicant; gubernationem non aliter concipiunt, quam continuatam conservationem dispositionum semel factarum, et ordinarium ad eventus naturales concursum; negant igitur in mundo immediatas Dei, ut solius ac proximae caussae, actiones, adeoque et miracula. Sed talia adserta, ut ut speciose proposita, solida tamen ratione destituuntur.

§. 145.

Qui universa conservat, ad singulas rerum creatarum actiones concurrit, omnia denique gubernat, ille curam omnium gerere dicendus est: quae quidem cura, et quasi sollicitudo uno vocabulo Providentia adpellatur; dicitur generalis, si aequaliter omnibus totius universi entibus impendatur; specialis, quae singulari modo ad quaedam rerum creatarum genera, procurando bona et removendo mala, impenditur. Deus providentia sua mundum administrat. I. Primum enim cuncta a se creata in hoc universo conservat, dein ad singulas creatarum rerum actiones efficiendas concurrit, denique gubernat omnia; ergo omnium et singulorum entium mundanorum curam gerit: sed in hac cura providentia Dei sita est, ergo Deus providentia sua mundum administrat. *Prob.* 2. Ex bonitate divina: haec enim sola Deum impellere potuit ad creaturas e nihilo educendas, atqui creaturarum curam abjicere, easque temeritati et fortunae committere a divina bonitate prorsus alienum est. Quis enim operator negligat operis sui curam? Quis deserat, aut destituat, quod ipse condendum putavit? Praeterea parentes natura duce liberorum curam suscipiunt; ipsaemet belluae

suos foetus non deserunt; sed de iis enutriendis sollicitae sunt: quanto magis credendum est, Deum optimum rerum, quas condidit, curam gerere! absurde enim diceretur, Deum eos sensus deposuisse, quos aliis indidit, et naturalem propensionem exuere, quam suis creaturis impressit. 3. Sublata Providentia, eodem ictu subvertitur et Divinitas et omnis Religio. 1. quidem Divinitas; nam persuasio, vel nullum existere Deum, vel eum esse providum, ita semper invaluit, ut asserere non dubitaverint veteres Philosophi, Epicurum tollendo Providentiam, Deos revera sustulisse, et inane tantum Divinitatis nomen reliquisse, ut imperitis fucum faceret et atheismi infamiam declinaret, ergo sublata providentia, tollitur Divinitas. 2. Tollitur et omnis Religio, juxta illud Augustini: „si Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum“ (Tom. 8. pag. 67. lib. de utilitate credendi). Enimvero „si negligit Deus in hoc saeculo genus humanum, inquit Salvianus, cur ad coelum quotidie manus tendimus; cur ante altaria supplicamus“ (Lib. 2. de Prov.). Id senserat ipse Tullius, cujus ista sunt verba: „Si Dii neque possunt nos juvare, nec volunt; nec curant omnino, nec quid agamus animadvertunt . . . . quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibemus. (Lib. 1. de natura Deorum. c. 1.) ergo rejecta Providentia, ruit et omnis Religio. 4. Ipsa hominibus naturaliter insita rationis vis docet, mundum providentia divina regi. Si enim graviori aliqua necessitate premamur, vita, vel aliae res nostrae periclitentur, mox suspicimus in coelum, ad Deum confugimus, opemque illius exposcimus, faterique cum Virgilio cogimur:

— — O! qui res hominumque, Deûmque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres

Aeneid. L. 1. v. 233.

Unde vero istud, nisi quia persuasum nobis est, mundum Deo curae esse; quidquid evenit, eo volente, aut permittente fieri; id est, nisi quia mundum divina providentia regi tacite persentiscimus? si enim Deus humanum genus negligit, cur orationibus crebris, ipsa natura incitati, ejus misericordiam imploramus? nulla quippe ratio precandi nobis est, si spes tollitur aliquid impetrandi.

Scholion 1. Divinam Providentiam sustulerunt 1. Epicurei, qui fortuitae atomorum concursioni ea omnia tribuebant, quae in mundo contingunt. 2. Stoici, qui ferream et ineluctabilem quandam necessitatem ex siderum motu et influxu exortam inducebant, quae non solum res creatas, sed et ipsum Deum constringeret. Eam fatum appellarunt. 3. Deistae plurimi, qui Deum sublimiorem et praestantiorem esse affirmant, quam ut rebus humanis providere, ad illarumque curam se se demittere velit. Turpissimus hic error suam ab hominis corruptela ducit originem, qui supremum illum judicem, criminis ultorem agnoscere reformidat, ne importuna illa cogitatione suis in libidinibus turbetur, optatque magis, quam credat, Deum humanis rebus non consulere. Audi Vellejum, Epicureum illum, apud Tullium adversus providentiam depugnantem: „Imposuistis, inquit, in cervicibus nostris sempiternum dominium, quod dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem curiosum et plenum negotii Deum.“ Hinc nimirum illae lacrimae, hinc ardens illud providentiae submovendae studium, hinc illa senis Ennii vox:

Ego Deum genus esse semper dixi, et dicam coelitum;
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Schol. 2. Gravissimum momentum pro providentia divina Religio ipsa suppeditat, qua Deum nationes omnes venerantur, quod profecto non facerent, nisi a Deo rebus suis consuli arbitrarentur. „Sunt enim philosophi, inquit Cicero, et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim omnia pure ac caste tribuenda

deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos juvare, neque volunt, nec omnino curant, nec, quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit; quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores preces adhibeamus? (*Lib.* I. *de nat. Deor. c.* 2).

Nam quid erit, quare solito dignemur honore
Numina, si demas velle juvare Deos?
Jupiter oranti surdas si praebeat aures,
Victima pro templo cur cadat icta Jovis?
Si pacem nullam pontus mihi praestet euntí,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis si fiant vota coloni;
Accipiat gravidae cur suis exta Ceres?
Nec dabit intonso jugulum caper hostia Bacho,
Musta sub inducto si pede nulla fluant.
(*Ovid. L.* 2. *de Pont. Eleg.* 9).

§. 146.

Providentiam Dei res singulas, et non tantum earum universitatem, neglectis partibus, genera, neglectis individuis, maxima, neglectis minimis, complecti, tum ex hactenus dictis intelligi, tum et hoc modo effici potest. Cum enim omnis vis finita, omnisque virium finitarum connexio intelligente Dei efficientia existere coeperit, et existere pergat, ab hac autem omnes virium finitarum status, operationes et usus dependeant, fieri nullatenus, nec cogitari ullo modo potest, ut aliquid a vi divina ullo momento remotum sit, aut ut ejus distinctissimum intuitum aliqua mntatio lateat, aut ut ejus voluntati aliqua res, quam homines exilem, vel sordidam appellant, ipse autem condere conservareque non est dedignatus, vilescat. Et revera singulorum omnino cura opus est, ut in mundo omnia cunctis finibus satisfaciant et correspondeant. Quemadmodum enim intellectus infiniti, singula accuratissime cognoscere, ita et sapientiae et bonitatis summae est, cuncta re-

ctissime et optime perficere, conjungere, administrare et curare, quae procreavit. Cum praeterea intimus sit omnium rerum maximarum et minimarum in mundo nexus, atque a parvis initiis saepe maximi eventus dependeant, divinam mundi providentiam singulas res complecti, nec quidquam sibi, aut casui, aut mero hominum lubitui relinqui, suapte consequitur.

Scholion. Omnis opinionis illius error, Deum universitatis tantum rationem habere, ac totius, non item partium, ducitur a confusa totius, salutis totius, salutis publicae cogitatione. Qui autem semel didicerit, idque probe perceptum tenuerit, salutem publicam totius, aliam non esse, quam salutem singulorum, eousque ex omni parte cuique tributam et auctam, quousque fieri potuit, salvo commodo majore, et alia ex parte, aut illius ipsius, aut plurium nobiliorumque partium, perfecto nunquam in ejusmodi nugas incidet, et terminis ejusmodi inanibus se aliosque non decipiet. Neque vero etiam altera ex parte offensus verbis, statim illos damnabit, qui recte caeteroquin sentientes, id ipsum profitentur: „Magna Deum curate, parva negligere; publici commodi rationem habere, non privati singulorum.“ (*Ulrich Theolog. rationalis* §. 98. *pag.* 151).

§. 147.

Praecipuum Providentiae divinae objectum sunt naturae viventes et morales. Cum enim omnia, quae universum complectitur, sentientium et intelligentium causa constituta esse certum sit, sequitur etiam, ut ad has maxime et proprie provida Summi Numinis cura se se extendat. In qua re hoc praecipue notandum est, quod Deus earum cuique pro praestantiae ipsius ratione prospexerit; cum enim tot naturas condiderit innumera varietate diversas, easque per omne subsequens tempus existere voluerit, finis certe fuit illi, ut quaevis tantis, quantas capere potest, perfectionibus et oblectationibus frueretur; quo

praestantior itaque una natura, quam altera, eo plus boni ei destinatum esse credimus; quare etiam ex eo, quo caetera animantia ab iis, quae ratione et libertate praedita sunt, longissime sejungit, discrimine colligendum est, Deum hujus diversitatis vel maxime rationem habere; atque ideo de his longe alia certe, ac de reliquis, consilia inivit, idque per omnem saeculorum decursum efficiet, ut, ad quam formatae sunt, nobiliorem perfectionem aptae reddantur. Versatur itaque providentia divina vel maxime circa ea entia, quae intelligentiae, rationis, et voluntatis viribus instructa vivunt viventque unquam in mundo; et cum rei vel minutissimae, cui sensus tantum et vita inest, tanta cum sapientia et bonitate consultum esse videamus, multo minus entium rationalium ullum, atque ita hominem quemquam, utpote quibus solis Deum et nexum suum cum Deo cognoscere, atque adeo ejus perfectiones in illustriori et ampliori gradu manifestandi facultas obtigit, in omni saeculorum propagine ab illo neglectum iri, nobis persuadeamus, necesse est.

Scholion 1. Complexus entium vita et sensu destitutorum, seu mundus physicus, est quid determinabile, nullam habet spontaneitatem, nullam intelligentiam, non est ergo finis per se, verum medium finis alicujus nobilioris constituit. Finis autem iste nobilior mundi physici, sunt creaturae intelligentes, ergo providentia divina se etiam ad has, imo majori quodam in gradu extendere debet; atqui creaturae intelligentes constituunt mundum moralem, ergo mundus moralis praecipuum providentiae divinae objectum sit, est; qui enim ad media respicit, eum ad finem quoque respicere oportet. (*Wenzel Metaph. pag.* 325).

Schol. 2. Et pro genere quidem humano, ejusque singulis individuis excubantem continuo Dei providentiam historia humani generis luculentissime docet. Manet per omnem durationem eadem sexus utriusque proportio (*Vide Süszmilch* göttliche Ordnung in der Veränderung des menschlichen Geschlechts. Berlin. 1765.) idem ortus, vitae, ac mortis ordo:

EGYETEMI KÖNYVTÁR PÉCS

Neque bellis, vastationibusque morborum et passionum, neque quavis actuosa hominum in suam perniciem ingeniosorum stultitia et malitia, constans naturae ordo perturbatur. Summi momenti inventa v. g. artis typographicae etc. eo semper tempore facta sunt; quo erant generi humano maxime necessaria. Et quantos fecerunt homines progressus in vera Dei cognitione! In societate civili omnia legislationis et administrationis genera perficiuntur; nec ulli unquam muneribus his recte gerendis idonei desunt homines. Gaudent homines libertate, ut ordinem moralem custodire, vel deserere, non vero mutare, aut tollere possint; prava illorum consilia et molimina mirifice inflectuntur, ita, ut ope nexus universalis, ex iis semina saluberrimorum eventuum progerminent; maxime vero illud accidit saepissime, ut, in quo quis peccavit contra alterum, in eo contra ipsum deinde peccetur, aut in eo genere, in quo quis peccavit, in ea parte animi, aut corporis puniatur. Clarissime denique divinae providentiae documenta quisque adultus inveniet, si vitae suae peractae historiam velit perlustrare; nempe Deus saepe consilia nostra ad salutem nostram, vel elusit, vel promovit, pericula amolitus est, media, quae in nostra potestate non erant, praeparavit, nostramque prosperitatem tum maxime promovit, cum minime cogitavimus. e. s. p. (*Vide Feder Met. p.* 428. — *Karpe Met. p.* 137).

§. 148.

Contra providam Supremi Numinis rerum omnium curam et administrationem potissimum pugnatur malis omnis generis, in mundo occurrentibus, quae admodum volubili lingua, memoria satis fida et solerti phantasia operam praestante, Lucretii etiam, Bardezonis, Priscilliani, Machiavelli etc. scriniis expilatis, recitantur ab iis, qui, sive ex animo id fiat, sive simulate, et ad alios vexandos, ad fortunam, aut coecam necessitatem omnia referri volunt. Nonnullis eorum, praesertim circa mala, metaphysicum, physicum et morale, formatis objectionibus jam alibi occurrimus, at hic quoque loci nonnullis obviam eundem est, quod et in sequentibus Scholiis, quantum expedit, fideliter praestabimus, id unum monentes, nulla, quae in vita contra Providentiam divinam

objectantur, faciliores habere explicatus, quam si nequaquam hujus vitae fata hominum terminis contineri, verum in omnem aeternitatem protendi, ac proinde animas hominum immortalitatis praerogativa ornatas esse, identidem meminerimus.

Scholion I. Frequens est popularis sermo: promiscuam ac confusam esse bonorum malorumque in hoc mundo sortem: et quasi fortuito accidere, quod bonis tam adversa, quam prospera; malis etiam, tum optata, tum odiosa contingant. Hunc nodum vera imbuti religione facile solvunt, dicendo: post hanc vitam, longe diversam bonos malosque manere sortem; hanc certissimam spem bonis, adversa fortuna adflictis, esse solatio; malos vero vel in ipsis suis deliciis poenarum metu, malaeque conscientiae stimulis cruciari. Quod sane verissimum esse puto. Si quis vero mihi objiciat: Aeternae justitiae esse, justos, utpote sibi amicos, tueri, injustos vero contra justitiam rebellantes supprimere; paucis: justum esse, ut justi sint beati, miseri vero injusti — quid jam ad haec quaeso, respondendum est? — Primo dicemus: non ea homines interna mentis vivere integritate, ut quos probos improbosve censuerint, eos quoque, uti censuerint, esse necesse sit — atque in hoc hominum judicia pugnant, et quos alii praemio, alii supplicio dignos arbitrantur. Sed concedamus aliquem posse bonos, malosque discernere. Num igitur poterit intueri illam intimam temperiem, veluti de corporibus dici solet, animorum? Non enim dissimile est miraculum ignoranti, cur quibusdam sanis corporibus dulcia, aliis vero amara conveniant, cur aegri quidam lenibus, quidam acribus adjuventur; at hoc medicus, qui corporis, tum sani, tum aegri modum temperamentumque dignoscit, minime miratur. Quid vero aliud salus animorum videtur, quam justitia? Quid aegritudo quam vitia? Quisnam autem alius et servator bonorum et malorum depulsor est, quam rector ac moderator mentium, Deus? qui pro sua sapientia novit, quid unicuique conveniat, et pro suo amore, quod convenit, adcommodat. Hinc fit, ut quod sciente rerum Domino geritur, stupeant ignorantes. Nam ut pauca de divinae dispositionis profunditate adtingam, de eo, quem tu justissimum, aequive servantissimum aestimas, omnia scienti Providentiae diversa videri possunt. Et victricem quidem causam diis, victam vero Catoni placuisse Lucanus admonuit. Hinc quidquid citra spem vides geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni vero tuae perversa confusio. Vera haec sunt, nosque nostrae inscitiae admonent, ne nostris confidamus judiciis. Verum sit aliquis ita bene moratus, ut de eo divinum pariter, humanumquo judicium conse n-

tiat. — Sed tamen diversam video etiam justorum in hoc mundo sortem, forsitan vis dicere? — Hoc volui dicere. — Verum justos probosque, quamcunque tulerint sortem, providentiae rectrici curae esse, ratio ipsa convincit. Sit ergo justitiam colens animi viribus infirmus; qui, si quid eveniat adversi, forsitan colere innocentiam desinet, per quam non potuit retinere fortunam. Parcit itaque sapiens dispensatio ei, quem deteriorem facere posset adversa fortuna. Fit etiam hinc inde, ut bonis reipublicae gubernacula deferantur, quo luxurians retundatur improbitas. Aliis mista quaedam pro animorum qualitate distribuit, adversa infligens, ne longa felicitate mollescant: alii duris exercentur, ut animi virtutes confirmentur, poliantur. Quidam cruentis suppliciis mortibusque inexpugnabiles exemplo suo docuerunt, invictam in adversis esse virtutem. Quae quam recte, convenienter et ex eorum bono, quibus accidere videntur, fiant, nulla prorsus dubitatio est. — Pari modo, quod improbis nunc tristia, nunc optata proveniant, ex iisdem ducitur causis. Ac de tristibus quidem nemo miratur, quod eos male meritos omnes existimant: quorum quidem supplicia, tum caeteros a criminibus deterrent, tum ipsos, quibus inferuntur, vel emendant, vel reipublicae innoxios reddunt. Laeta vero magnum bonis argumentum loquuntur, quid de hujusmodi felicitate debeant judicare, quam saepe improbis famulari cernunt Quid quod alios in cladem meritam praecipites dedit indigne aucta felicitas? — Hinc bene modulatur Poëta:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi,
Praescriptosque mari fines, amnisque meatus,
Et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei etc.
Sed cum res hominum tanta calligine volvi
Adspicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Religio etc.
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror; tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Cl. Claudian. in Ruf. L. 1. *Lipsiae* 1715.

Adde permissum quibusdam puniendi jus, ut exercitii bonis, malis esset causa supplicii. Nam ut probis atque improbis nullum est foedus, ita inter se improbi nequeunt convenire. Quidni? vel a semetipsis discerpentibus conscientiam vitiis, quique dissentiunt, faciuntque saepe, quae cum gesserunt, non fuisse gerenda decernunt? Ex quo

saepe summa illa Providentia insigne protulit miraculum: ut malos mali bonos facerent. Dum enim iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem rediere; dum eis, quos oderant, se dissimiles esse student. Recte ergo Augustinus: „Non frustra existunt impii! omnis impius, aut ideo vivit, ut convertatur, aut ut justus per eum exerceatur. (*Enarrat in Psal.* 54.) Hinc divinam Providentiae vim mirabere,, cui vel impii utut inviti servire coguntur. Ordo etenim cuncta quidem complectitur, ut, quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium — in ordinem tamen relabatur, ne quid in regno providentiae liceat temeritati. — Jamne igitur vides, quid ex his omnibus, quae diximus, consequatur? — Quidnam est illud? — Omnem scilicet bonam esse prorsus fortunam. — Et qui id fieri potest? — Attende modo: cum omnis fortuna, vel jucunda, vel aspera, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi, corrigendive malos causa deferatur: patet, omnem bonam esse, quam vel justam esse constat, vel utilem. — Nimis vera ratio, et si, quam paulo ante docuisti, providentiam considerem, firmis nixa est argumentis sententia. Sed si vulgi opinionibus, sermonibusque accedamus, qua ratione quemvis de tanta veritate convincere possumus? — Hoc fere modo! Tu autem sis, qui vulgi nomine respondeat. Nonne bonum esse censes, quod prodest? — Ita! bonum. — Quae vero aut exercet, aut corrigit fortuna, prodest? — Fateor. — Bona igitur? — Quidni? — Sed haec eorum est, qui vel in virtute positi contra aspera bellum gerunt; vel a vitiis declinantes virtutis iter arripiunt. — Negare nequeo. — Quid vero jucunda, quae in praemium tribuitur bonis, num vulgus malum esse decernit? — Nequaquam: verum uti est, ita etiam esse optimam censet. — Quid reliqua, quae cum sit aspera, et justo supplicio malos coërceat, num bonam populus putat? — Imo, quae excogitari possunt, omnium judicat esse miserrimam. — Vide igitur, anne opinionem populi sequentes quiddam valde inopinabile confecerimus? — Quid? — Ex his enim, quae concessa sunt, sequitur: eorum quidem, qui sunt in possessione, vel profectu virtutis, omnem, quaecunque sit, bonam — in improbitate vero manentibus, pessimam esse fortunam. — Hoc verum est, tametsi nemo audeat confiteri. — Quare vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunae certamen adducitur; quemadmodum virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus. Neque enim in virtutis profectu positos diffluere deliciis, emarcescere voluptatibus oportet: sed cum omni fortuna praelium nimis acre gerendum est, ne aut tristis nos opprimat, aut jucunda corrumpat.

Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via! cur inertes
Terga nudatis? superata tellus
Sidera donat.

Boeth. Lib. IV. de consol. Ph.

Schol. 2. At et aliis, quae contra Providentiam divinam moveri solent, dubiis occurrere placet. Dicunt 1. Si Deus minutissima quaeque curaret, suam deprimeret Majestatem, sicut et Regum nostrorum vilesceret dignitas, si ad infima quaeque descenderent, ergo etc. ℈. N. A. Si enim Deum vel tenuissima curare dedeceret, ea creare pariter indecorum esset et indignum: atqui tamen Deus ea creavit, ergo ipsis prospicere Deo turpe non est. Divinam providentiam vel ad minutissima pertinere ratio demonstrat, ut adeo etiam revelationis lumine haud collustrati vera esse, vel ad summum rigorem exacta profieri cogantur, quae Scripturae sacrae proferunt: „Dat enim escam pullis corvorum invocantibus eum (*Ps.* 146. *v.* 9.) „Respicite volatilia coeli, inquit Christus, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea et Pater vester coelestis pascit illa — — — Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Si autem foenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei (*Math.* 6. *v.* 26). „Nonne duo passeres asse veneunt et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? (*Ibidem cap.* 10. *v.* 29. *Vide etiam Utrichii super his opinionem Theol. rationalis pag.* 151). — Ideo autem terreni Principes rerum tenuissimarum curam abjiciunt, aliisque committunt, quod nimia negotiorum multitudine obrueretur humanae mentis imbecillitas. Unde fieret, ut levioribus distracti, majora negligerent. Sed Deus, cujus mens et potentia pariter sunt infinitae ad minima quaeque descendit; omnia uno videt intuitu; omnia simplici et efficacissimo voluntatis actu, sine labore, sine sollicitudine, sine felicitatis suae detrimento disponit. *Obj.* 2. Si Providentia divina orbem universum regeret; nihil esset fortuitum; atqui tamen plura sunt fortuita, ergo etc. ℈. D. M. nihil esset fortuitum respectu Dei C. respectu hominum *neg.* Multa quidem respectu hominum fortuito contingunt, quia varias ignorant causarum secundarum concursiones, quae ideo praeter opinionem nostram evenire possunt. Haec autem ignorantia in Deum non cadit; nihil igitur fortuito respectu Dei accidere potest. *Obj.* 3. Si Providentia Dei ad omnes et singulos effectus pertineat, divinae voluntati injuriosus est, qui in gerendis negotiis et suam et aliorum curam interponit; qui morbo laborans sanitatem in remediis quaerit; haec enim omnia Deo summe provido committenda sunt: falsum consequens, ergo et antecedens. ℈. N. M. Non exigit enim divinae providentiae fides, ut consuetas prudentiae humanae regulas omittamus; imo Deum tentare diceretur, qui ab iis legibus recederet. Id unum postulatur ab eo, qui divinam agnoscit providentiam, ut scilicet totum sui laboris eventum Deo permittat et deferat, ipsiusque voluntatem in omnibus animo submisso veneretur. *Obj.* Ex principiis nostris sequeretur, contra voluntatem Dei non peccasse, qui olim eventu fortuito v. g. ignis probatione, vel singulari certamine, causas civiles, aut capitales definiebant;

ipsis enim persuasum erat, et quidem, juxta nos, merito non permissurum esse Deum summe providum, ut eventus nocenti faveret, et innocentis expectationem falleret: atqui tamen haec agendi ratio, non tantum prudentiae regulis, sed etiam multis Ecclesiae decretis damnatur; ergo Deus omnes et singulos eventus sua providentia non disponit. R. N. M. Quamvis enim omnes et singulos eventus disponat Providentia divina, non tamen licitum est a Deo postulare miraculum indebitum et minime necessarium. Jam vero, qui ex hujusmodi probationum eventu sontis et insontis cognitionem expectat, a Deo poscit 1. miraculum; nulla quippe est connexio naturalis inter victoriam v. g. in singulari certamine relatam, et victoris ipsius innocentiam; 2. miraculum indebitum; quia illud a Deo promissum nullibi legimus; 3. minime necessarium; suppetunt enim viae naturales, juridicae nimirum inquisitiones, quarum ope nocentes ab innocentibus secernantur; eas autem adhiberi jubet Deus in causis tum civilibus, tum capitalibus; ergo ex eo, quod omnes et singuli eventus divinae subjiciantur providentiae perperam concluditur, non peccasse eos, qui objectas probationes adhibuerunt, ut illarum exitu sontes ab insontibus secernerentur. *Urg.* Si Deus, ut contendimus, sit summe providus, velle non potuit, ut in singularis certaminis probatione caderet innocens; adversus divinam providentiam ergo non peccabant, qui hujusmodi probatione utebantur. R. N. A. Re quidem vera, sive nocens, sive innocens in certamine succumbat, neutrum sine speciali Dei voluntate contingere potest, siquidem sine Dei imperio, nec arborum folia, nec capitis nostri capillos in terram decidere scriptura testetur: verum unde norunt adversarii, unde probant, Deum velle non posse, ut in singulari conflictu pereat innocens? numquid Dei fuerunt consiliarii, ut tanta cum securitate pronuncient, quid Deum velle deceat, vel non deceat? Standum est igitur humanae prudentiae regulis, meritoque probationes de quibus agitur, praesertim vero singularia certamina, jure tum naturali, tum divino semper vetita, deinceps legibus humanis, et quidem sub poenis gravissimis omnino prohibita sunt. *Obj.* Multa sunt in hoc mundo prorsus inutilia ac imperfecta; aut ergo Deus non omnia summa ratione disposuit, aut mundus providentia ipsius non administratur. R. N. A. Summae temeritatis ac arrogantiae est ita argutari: tum enim quis quidquam inutile ac imperfectum in hoc mundo censere posset, si totius naturae ordinem ac cohaerentiam haberet sibi perspectam, atque ita videret, aut nullo fine, aut minus apte ad suum finem aliquid esse factum. At nunc, quod ob brevitatem mentis nostrae non videamus quarumdam rerum fines, quomodo possumus inutiles eas continuo ac imperfectas judicare? Videmus profecto plurimas alias utilissime, sapientissimeque suos in fines esse constitutas; secundum rectam igitur rationem, ita ex analogiae legibus, cum nihil in oppositum pugnet, statuere debemus: caeteras quoque omnes similiter plane

esse constitutas: quamvis nos, quae nostra est infirmitas, fines, relationes, ac habilitates omnium non perinde assequamur. Praeclare adeo Emin. Polignacus.

O ratio humanae mentis, quam coeca superbis!
Haec in mente Dei, si quondam carcere rupto
(Atque utinam)! aspiceres, proh! quam tibi justa repente
Cuncta viderentur, quae nunc male cognita damnas!

(*In Anti-Lucret. Lib.* 9. *av.* 780).

Obj. Quoniam observantia moralium naturae legum necessaria est homini veram felicitatem adsequi cupienti, ad divinam providentiam, si quae daretur, pertinuisset, eas leges omnibus ratione utentibus sufficienter promulgare; atqui reperiuntur sane plurimae nationes, quae morales naturae leges ignorant; ergo providentia divina non datur. P b a n t m. Reperiuntur complures nationes, quae pecudum instar vivunt, eaque pro honestis habent, quae moralibus naturae legibus prorsus adversantur, ut e. g. infantes, quos nolint educare, frigori, inediae, bestiis exponere: senes desperata valetudine in foveam abjicere; liberos diis immolare, et sexcenta ejus generis flagitia; ergo eae, morales naturae leges prorsus ignorant. R. D. M. ad divinam providentiam pertinuisset, morales naturae leges quoad prima et universalia principia omnibus ratione utentibus sufficienter promulgare. C. M. etiam quoad conclusiones remotiores, quae variis ratiociniis deducuntur ex primis illis, et universalibus moralium naturae legum principiis N. M. s i c d i s t. m. et n. C. Prima, universaliaque moralium naturae legum principia e. g. Deum esse colendum, parentes honorandos etc. ita promulgantur per ipsam rationem, ut nullus omnino rationis compos ea citra culpam ignorare possit; at quod conclusiones remotiores, quae ex generalibus illis principiis ratiocinando deduci debent, idque saepe non sine magnis difficultatibus, omnibus ratione utentibus non aeque promulgentur, profecto divinae providentiae nihil detrahit. Cum enim morales naturae leges cuivis per rationem, modo ipsi accomodato, promulgandae fuerint, hoc modo rem confici oportebat; sique hanc ob caussam quispiam erret, errat citra culpam, nec error ex ignorantia invincibili oriundus eum in vera felicitate impediet. A d p r o b. a j o: barbarae illae nationes, quae pecudum instar vivere dicuntur, si reapse ita pravis adfectionibus se se abripi patiuntur, ut vitam nec primis quidem naturae legum principiis studeant conformare, culpandae omnino sunt, suamque infelicitatem malitiae suae, non defectui providentiae divinae attribuere debent. Ea enim principia citra culpam prorsus ignorare, si rationis compotes sunt, omnino nequeunt. Quodsi autem ex invincibili earum legum, quae subtilius ratiocinando erui deberent, ignorantia errent; hujusmodi error ipsis frandi non est, adeoque rursus non est, cur adversus providentiam divinam conqueri possint. *Obj.* C u m C o t t a apud Ciceronem L. 3. de Nat. Deorum

c. 31. „Si homines rationem bono consilio a dis immortalibus datam in fraudem, malitiamque convertunt, non dari illam, quam dari humano generi, melius fuit, ut si medicus sciat eum aegrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumturum, statimque periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista providentia reprehendenda, quae rationem dederit iis, quos scierit ea perverse et improbe usuros. Nisi forte dicitis eam nescisse.“ R. Praevidisse Deum, complures homines ad perniciem suam abusuros ratione, neque tamen providentiam ejus hoc ex capite impugnari posse. Cum enim is eam nobis naturam indiderit, qua duce veram felicitatem adpeteremus, omnemque miseriam aversaremur, dubitare non possumus, eum sincere velle nostram felicitatem; ad quam consequendam sufficientia etiam adjumenta nobis suppeditat; quodsi ergo his liberrime abutatur homo, quo jure in Deum rejicitur culpa? cur eam infelicitatem, quam pro arbitrio suo in caput suum accersit peccator, non propriae suae malitiae adscribit? Quod allatum Medici exemplum attinet, dispar ratio est. Medicus enim lege adstringitur, ut omni eo, quo potest, modo aegrotum sanitati restituere studeat. Contra quis a supremo absolutoque mundi Domino exigat, ut is omni eo, quo potest modo, felicitatem cujuspiam hominis curet? an non summa veneratione dignus est vel ideo, quod singulos nos felices esse cupiat, sufficientiaque ad veram beatitatem adipiscendam subsidia nobis administret? Profecto, si quis ex eo capite neget providentiam Dei, quod is liberam peccandi potestatem relinquat hominibus: ille negat Deum providum esse posse, nisi simul ita constrictum, ut neque bene meritos praemiandi, neque in peccatores misericordiam, lenitatem, aut justitiam manifestandi occasionem unquam habere possit: quod nimium esse, nemo non videt. *Obj.* Providentia Dei pugnat cum ejus beatitudine. „Nam quod aeternum ac beatum est, inquit Lucilius Epicureus apud Ciceronem (*Lib. I. de nat. Deorum*) id nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri, itaque neque ira affici, neque gratia teneri; quod quae talia essent, imbecillia essent omnia et mutabilia; Deum vero quid nisi quietum dicere licet? At si Deus regit cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservat, terras et maria contemplans, hominum commoda vitasque tuetur; nae ille est implicitus molestis negotiis et operosis.“ Ergo humanis rebus minime providet Deus. R. N. A. Deus enim, qui pura mens est, qui infinita sapientia et potentia praeditus est, cujus potentia, sapientia, et voluntas unum idemque sunt, quemadmodum sine labore u l l o ac sollicitudine omnia intelligit, ita eadem tranquillitate omnia vult, atque hac voluntate omnia regit, conservat, atque gubernat. Nae igitur Epicurei stulti sunt, qui divina humanis metiuntur, quibus proinde Virgilianum illud occinere possis:

Urbem quam dicunt Romam Meliboee putavi,
Stultus ego, huic nostrae similem, quo saepe solemus

Pastores ovium teneros depellere foetus.'
Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
Noram, sic parvis componere magna solebam.

Obj. Homines physicis malis ita persaepe opprimuntur, ut se omni divina ope veluti destitutos esse, merito conquerantur. BAELIUS (*Diction. Articulo Manichaei*) causam generis humani agens aperte ait: „hominem esse pravum et infelicem, ubique esse carceres et nosocomia, et historiam nihil esse, nisi criminum et infortuniorum epitomen.“ Quomodo ergo dici potest, elucere in hoc universo summam Dei erga homines providentiam? R. Huic difficultati generatim jam ibi occurrimus, ubi de malis metaphysico, physico et morali opinionem nostram depromsimus, nec proinde aliud ad praesentem objectionem, quam illud LEIBNITZII (*Tentaminum Theodiceae etc. Pars II. Num.* 148 *pag.* 239.) respondemus: haec exagerate dici „Multo enim plus boni est in vita hominum, quam mali, uti multo sunt plures domus, quam ergastula. Quod ad virtutem et vitium attinet, quaedam ibi mediocritas regnat, ac si majora alicujus saeculi fuere vitia, excellentiores quoque justorum effulsere virtutes. Notavit olim MACHIAVELLUS paucos extare homines insigniter improbos, paucos eximie probos; et hac de causa multa ingentia coepta effectu suo frustrari. Historicorum autem hoc vitium censeo, quod malo potius, quam bono immorentur. Historiae uti et Poëseos scopus praecipuus esse debet exemplis prudentiam sapientiamque docere, tum vitium iis depingere coloribus, qui homines ad ejusdem horrorem fugamque permoveant. *Obj.* Deus tribuendo homini liberum arbitrium, cultrum veluti prae manibus puero dedit, quem se se vulneraturum certissime praevidebat. Quomodo ergo beneficus et providus erga homines dici vere et scienter potest? Huic objectioni responsum ad objectionem, ob datam homini rationem per adversarios formatam, datum, adplicandum est; illud superabundantiam addendo: Quod si Deus hominem ratione ditatum libertate penitus orbasset, naturam etiam abstulisset. Paritas cultri in pueri manus traditi non est ad rem, nilque contra nos evincit. *Obj.* Leges naturae superfluae forent, si Providentia divina ad singulas se se creaturas extenderet; atqui; ergo. R. N. M. Etiamsi Deus in regendo suae creationis opere leges naturae universales observet, propterea tamen singulae creaturae ex providentia divina non excluduntur; nam etiam positis legibus naturae universalibus, quaevis singula creatura in conscientia creatoris infiniti manere debebat. Quodlibet itaque individuum eorum in intellectu divino existit, opus ejus est, et quatenus Deus, utpote ens realissimum, nonnisi pura activitas est, ita etiam idea, quod providentia divina ad quodvis singulare respiciat objectum, non tantum rationi quam maxime consentanea est, sed etiam realitatem habet. Dicere, Deum tantum in universum mundo providere, idem est ac omnem providentiam negare, quia

in hoc casu Deus nec conservator, nec gubernator mundi foret.

Schol. 3. Ad extremum, ut cujuscunque generis objectionibus aptissime occuratur, duo haec generalia certissimaque principia alte animis insculpenda sunt. Primum: viae, quas divina providentia ingreditur, mediaque, quibus utitur, ab humano intellectu comprehendi minime possunt; sicut enim bestiae hominum consilia haud assequuntur; sicut inter ipsos homines, qui rudiores sunt, ea non intelligunt, quae sapientiores mente agitant: ita nobis supremae Providentiae arcana perscrutari datum non est; nostra certe sapientia magis ab infinita Dei sapientia distat, quam illa rationis umbra, quae in belluis est, a nostra intelligentia et ratione. Obscuritatis hujus fontes praecipui sunt infinitas sapientiae divinae; amplitudo et duratio, finem non habitura, systematis rerum gubernandi; ejus demum multiplex ratio; non enim physicum solum est, sed etiam morale, istudque non naturale modo, verum et supernaturale. Inde facile omnes argutationes labefactantur: fere enim, aut ex parte ad totum concludunt, aut media a fine separant, inque illis, quae huic propria est, perfectionem requirunt. Inde omnes hujus universi eventus, qui in aliqua hypothesi justam habere caussam possunt, ab omni iniquitate vindicantur; nam firmissime opinandum est, eos hoc ipso solum, quod contingant, justissimam caussam habere. Jam vero impii homines, ac minuti philosophi nihil ad hoc usque tempus attulerunt, quod non in certa quapiam hypothesi aequissimum esse queat: uno igitur ictu nodus omnis praeciditur. *Vide* Hoockium (*Rel. nat. et revel. princ. t.* I. *theo. nat.* 3. *de provid. Dei pag.* 141) *item* Butterum (*Analogy. of. relig. nat. and. rev.*). Alterum est, Deum in procreatione hujus universi eam sibi praecipue pro fine praestituisse perfectionum suarum moralium manifestationem, quae per actus creaturarum liberos, et moraliter honestos comparatur, eandemque in ejus conservatione et gubernatione constanter intendere. Hinc omnis pulchritudo materialis, omne bonum temporarium longe inferiore loco constituendum, atque ut medium duntaxat ad nobilissimum illum finem considerandum est: cum igitur intelligentia nostra eo se non porrigat, ut clare pervideat, quomodo omnes hujus mundi eventus, omnia mala physica, quin et moralia ad actus moraliter honestos concurrant, temerarium est, contra divinam providentiam judicium ferre; adde: quod omnes ferme murmurationes insipientium hominum, ac convicia adversus Dei providentiam ex falsa universi et naturae humanae cognitione oriantur ac proficiscantur. Nam plerique hominum persuasum habent, sui tantum causa mundum hunc a Deo esse conditum; ex quo conficiunt, nihil in Universo esse, aut contingere posse, quod propriae non inserviat felicitati. Cum autem id falsum esse intelligant, quotiescunque plurimis naturae malis afflictantur, in turpes errores facile

labuntur, ut vel mundum nulla providentia regi, vel a benefico et sapientissimo Conditore neutiquam gubernari arbitrentur. Nae ii tamen medius fidius stulte et impiissime ratiocinantur. Nam Deum felicitatem hominum velle extra omne dubium est, sed hominum tantum caussa Universum esse conditum, id demum est, in quo de Deo stulte et de semetipsis arrogantissime judicant. Porro si totam rerum universitatem, ejusque genericum finem plane intueri datum esset, nec de ipsis tam elate, nec de operibus Dei tam abjecte sentirent. Intelligerent enim, ea ipsa, quae mala, et ordinis perturbationes appellant, omnia esse sapientiae et bonitatis Dei perspicua argumenta. Dei enim opera quaecunque, nonnisi perfecta et absolutissima in tota complexione esse possunt. Vana igitur sunt, et sine ictu cadunt omnia adversariorum tela contra summam Dei Optimi Maximi, atque infinitam Providentiam.

§. 149.

Recensitas perfectiones et opera, quibus Majestas Divina exsplendescit, qui distinctius pieque considerat, non poterit non ad sanctam Dei reverentiam, ad cultum religiosum, amoremque Numinis benignissimi incitari. Quem quidem religiosum Dei cultum, ex diligentiori perfectionum operumque divinorum consideratione oriundum, in doctrina morum, suo tempore sumus exposituri.

Interim TIBI Sanctissimum rebusque humanis propitium Numen, gratias, quas possum, submississimas persolvo, quod perclementer mihi adesse volueris, ut opus hoc, variis interruptum laboribus, ad finem perducere potuerim!

Notabiliora errata.

Pag.	*lin.*			
5	9	*ab infra loco*:	quas	*pone*: quos
7	2	*a supra* —	Hoc	— Haec
—	8	*ab infra* —	ea	— eae
11	11	*a supra* —	laevia	— levia
16	24	— —	asserunt	— asserant
17	5	— —	aereae	— aëreae
20	19	*Schol.* —	definita fuerint	— definita non fuerint
24	18	*Schol.* 2. —	aut	— at
—	26	— —	prave	— grave
32	1	*Schol.* —	ustrorum	— astrorum
46	6	*Schol.* 2. —	reciprocam	— reciprocum
49	22	*Schol.* 1. —	itat ut neessaria	— ita, ut necessaria
59	4	*ab infra* —	Philosophta	— Philosophia
93	4	*a supra* —	geneologicas	— genealogicas
107	14	— —	rejiciendum	— rejicienda
115	3	§. 44. —	praestitum	— praestitutum
117	9	*a supra* —	nodstrum	— nostrum
174	4	— —	unique	— unicuique
179	30	— —	imprimiret	— imprimeret
186	7	— —	instaurando	— instauranda
181	31	— —	labyriathum	— labyrinthum
207	21	— —	didistinctae	— distinctae
212	28	*Schol.* 2. —	delectantus	— delectatus
243	8	*ab infra* —	reprehendat	— non reprehendat
244	3	— —	bibisse	— bibisset
263	14	— —	ardontissime	— ardentissime
271	2	§. 85. *a supra* —	amplectandum	— amplectendum
304	6	*Schol.* — —	producta	— producat
—	7	— — —	deducta	— deducat
325		*ultima* —	Deniqua	— Porro
330	21	*a supra* —	tantandem	— tantundem
347	4	— —	in corruptibilitate	— incorruptibilitate
354	17	— —	graviter	— gnaviter
361	20	— —	existeatiam	— existentiam
—	34	— —	bic	— hic
362	5	*ab infra* —	indissolubili	— indissolubili nexu
366	11	— —	domiciliorem	— domiciliorum
385	10—11	*a supra*—	alisquo	— aliquo
388		*ultima* —	scrips	— scripsit
392	10	*ab infra* —	coniingentem	— contingentem
401	2	*a supra* —	exspoliareat	— exspoliaverat
402	6	— —	Aenesedimus	— Aenesidemus
404	3	— —	facta sumus	— facti simus
409	35	— —	Logicaes	— Logicae
422	4	— —	Humiis	— Humius
422	5	*ab infra* —	Det	— Dei

449	22	*a supra*	*loco*:	potuisset	*pone*: potuissent
459	5	—	—	transire	— transiret
482	2	—	—	existit	— existunt
494	3	*Schol.* 2.	—	dedebat	— debebat
499	10	*Schol.*	—	perfecto	— profecto
—	14	—	—	curate	— curare
505	11	*a supra*	—	profieri	— profiteri.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

EKD.1940/3162. GYSZ

756514

756514